HISTORIA

REGUM HUNGARIÆ,

PARS II.

A


GEORGIO PRAY,

ABBATE B. M. V. DE TORMOVA, ET CATH. M. VARADIEN. CANONICO CONSCRIPTA.

COMPLECTENS RES GESTAS

AB

ANNO M. CCC. ad M. D. XXVI.



BUDÆ,
TYPIS, ET SUMTIBUS REGIÆ UNIVERSITATIS PESTANÆ TYPOGRAPHIÆ.
ANNO 1801.





WENCESLAUS BOHEMUS.

Ab Anno 1301.—1305.

I. Andrea Stirpis Arpadiánæ ultimo rege defuncto, regnum confestim in duas factiones scissum est, auctoritate, & clientum numero, pene pares. Utraque Archiepiscopum antesignanum habuit, qui, de rege deligendo, inter se concertabant. Strigoniensis in Carolum, Colocensis in Wenceslaum, Bohemiæ regem, inclinabant. Nec deerant utrique parti momenta, quibus niterentur. Ambo enim candidati se ad prosapiam Arpadi referebant, & quamquam Carolus propinquiore sanguinis nexu hanc *a*) contingeret,

1301.

a) Id patet ex hoc laterculo.

Bela IV.
- Stephanus.
  - Ladislaus.
  - Maria. — Carolus Rex Sicil.
    - Carolus Martellus. — Clementia Rudolphi Imp. filia.
      - Carolus Robertus.
- Anna. — Radislaus Dux Haliciæ.
  - Cunegundis. — Ottocarus Rex Boh.
    - Wenceslaus. — Gutha Rudolphi Imp. filia
      - Wenceslaus.

ret, in Bohemum tamen pars potior, ſtudio
1301. imprimis Archiepiſcopi Colocenſis, conſpiravit, quod Carolus juvenis admodum, & Sicilia integro mari ab Hungaria diremta, itaque rebus, ut tunc domi erant, minus opportuna eſſet; Wenceslaus contra & ætate, & potentia, Poloniam enim Bohemiæ nuper adjunxerat, & ex ipſa vicinia, ſi uſus poſceret, ad opitulandum maxime idoneus videretur. Strigonienſis, quem conſilia Colocenſis non latebant, tempus occupandum ratus, Carolum Zagrabia Strigonium deduxit, eumque, non ſolita regni corona, incinxit. *a*) Colocenſis, ut ſibi rationes fere conturbari vidit, cum Legatis accelerato itinere Pragam ad Wenceslaum contendens, regnum ab Hungaris ei oblatum, prolixe expoſuit, orans, ne ad id occupandum moras vellet nectere. Ille, non ignarus eorum, quæ Pontifices hactenus pro Carolo moviſſent, abnuit primum, dein precibus Legatorum motus,

a) Litt. Bonifacii VIII. anno 1303. apud Raynaldum Nro. 17. & apud Pray Tom. I. pag. 374. & Katona Tom. VIII. pag. 41. ubi hæc. *Carolus nepos ejus*, (Mariæ) *regnum ipſum in parte non modica, ex perſona jam dictæ ſuæ paternæ aviæ poſsidebat, & poſsidet, de quo etiam in Strigonienſi Eccleſia juxta ritum antiquum Hung. per perſonam idoneam regale ſuſceperat diadema &c.*

motus, filium ſuum Wenceslaum, qui deci-
mum tertium ætatis annum agebat, petenti- 1301.
bus indulſit; eumque cum exercitu in Hungariam comitatus eſt. (a) Colocenſis, ut rem hactenus adductam properaret, juvenem brevi poſt ſolenni ritu coronavit, qui, ut gentis favorem captaret, a coronatione nomen Ladislai, omiſſo paterno, deinceps uſurpavit. (b) Abhinc factiones mutuo ſibi adverſari, magisque odio, quam armis, inter ſe certare. Carolus, ne ſui cauſa regnum, quod aliquando ſe adepturum ſperaverat, novis calamitatibus objiceretur, prudente uſus conſilio, Viennam ſe recepit. Pontifex factum Colocenſis Archiepiſcopi graviter tulit, eumque, quod in jus ſedis Apoſtolicæ, & Eccleſiæ Strigonienſis, Wenceslao coronato, temere involaſſet, Romam, ut ſe purgaret, evocavit, ſimul Wenceslaum per litteras monuit, ut a propoſito deſiſtens, filium in Bohemiam reducat, &, ſi quid juris in Hungariam ſe putaret habere, id judicio ſedis Apoſtolicæ decernendum relinqueret, mitti a ſe idcirco Nicolaum Oſtienſem Epi-

a) Chron. Zwetlen. apud Linck Tom. I. pag. 535. & Gerardus de Roo libr. 2.

b) Hoc nomine, in ejusdem litt. autogr. an. 1302. & 1303. uſum fuiſſe, vidi.

ſcopum, attributa ei Legati auctoritate, ut de controverſia inter partes cognoſcat. *a*)

1302. II. Interea Colocenſis Archiepiſcopus, quem minæ Pontificis maxime ſpectabant, obiit, & Nicolaus Legatus, ut Budam venit, re, cujus cauſa venerat, infecta, coactus eſt reverti, quod Wenceslaus plerosque Optimatum muneribus corrupiſſet; *b*) non tam pronos in ſua vota Epiſcopos nactus, ex quibus Stephanus, Joanni, præcipuo Caroli adverſario, in ſede Colocenſi ſuffectus, aliamque ab illo rationem amplexus, ut Caroli res ſuſtentaret, Romam cum Michaele Zagrabienſi, Thoma Jaurinenſi, & Benedicto Veſzprimienſi, Epiſcopis, procuratorio nomine profectus eſt. Horum, ut videtur, conſilio Pontifex uſus, ut contentioni inter æmulos finem faceret, partes Romam, ad dicendam cauſam, accerſiit. Bohemus per nuncios facti ſui rationem, ad liberam electionem retulit, Carolus vero per procuratores, jus ſuum ex proximiore ſanguinis nexu tuitus, facile Pontificem, ſibi alioquin addictum, permovit, ut publico edicto, eos ſententia ex-
1303. communicationis percelleret, qui illum regem

a) Raynald. ad hunc annum Nro. 10. apud Pray Tom. I. pag. 370.

b) Vid. Pray P. II. Hierarch. pag. 67. Item, Chron. Clauſtroneoburg. apud Hier. Pez Tom. I. col. 475. & Thurocz cit. l. c. 86.

gem Hungariæ non agnoscerent, aut hunc titulum Wenceslao, ejusque filio verbis, scriptove auderent tribuere, aut re, consiliove adessent, aut regni proventus illorum nomine pergerent administrare. Denique, ut omnem litibus occasionem præscinderet, Hungaros a fidelitatis, quod Wenceslao præstiterant, juramento absolvit, *a*) data tamen mora quatuor mensium, intra quos jus suum persequi posset. *b*) Simul Albertum Cæsarem per litteras hortatus est, ut Carolo ad obtinendum regnum adjumento esse vellet. *c*) Colocensis Archiepiscopus, mentem Pontificis edoctus, Neapolim cum sociis, ad Caroli avum divertit, & consiliis cum eo habitis, in Hungariam reversus, edictum Pontificis per provincias, quantum per impacatum regni tempus fas erat, divulgavit. *d*) Abhinc res Caroli sensim meliore loco esse cœperant, & Dalmatæ primi omnium illius nomen in publicas tabulas retulere, *e*) multique ex Hungaris, præsertim Austriæ vicinis, intentata a Bonifacio excommunicatio- 1303.

a) Ibid.

b) Raynald. ad an. 1303. Nro. 17. apud Pray Tom. I. pag. 373.

c) Balbinus epit. rer. Boh. l. 3 c. 16.

d) Raynald. ad an. 1303. apud Pray cit. l. pag. 376.

e) Lucius l. 4. c. 10.

nis pœna moti, partes ejusdem amplexi ſunt.
1303. Mors quoque Pontificis non nihil ad Caroli fortunam in melius mutatam contuliſſe viſa eſt, cujus nimium in eo obtrudendo ſtudium, apud gentem libertatis ſuæ tenacem, plurimum hactenus ei obfuit.

III. Wenceslaus, cum rem huc adductam videret, veritus, ne filio, cui præter
1304. nomen regis, fere nihil poteſtatis, relictum erat, periculum ſe abſente conficeretur, Hungariam cum filio deſerere cogitabat. Ut tamen propoſitum ſuum celaret, Procerum ſtudia ſolicite captans, in id curas ſuas convertit, ut regni Inſigniis potiretur, quæ ſi obtineret, non dubitabat, hoc pignore, quod genti ſacerrimum eſſe norat, ſe regnum filio conſtabiliturum, & ſpem potiundæ Hungariæ Carolo ademtum iri. Itaque dolo utendum ratus, incredibile deſiderium, filium eo ornatu indutum, quo coronatus erat, videndi præferebat. Ordines nihil fraudis ſubeſſe ſuſpicati, ut curioſitati illius ſatisfacerent, regem eodem apparatu, qui in coronatione adhiberi ſolet, excultum eidem ſiſtunt. Ut huc rem adductam vidit, filio ita induto, intra duo millia militum, quos ſecum adduxerat, in tutum recepto, (a) & Michaele Strigonienſi Archiepiſcopo, qui acerrimus Caroli

a) Horneck, c. 740. & 741. apud Pez, Script. rer. Auſtr. Tom. III.

li propugnator erat, fugato, portas castri
Strigoniensis violenter effringi, vasa aurea, 1304.
reliquamque argenti supellectilem, sacris usibus destinatam, indigna regio nomini rapina, aufferri jussit, tum capituli Tabularium deprædatus, documenta litteraria, avulsis sigillis aureis, partim corrupit, partim abstulit, a) & cum filio in Bohemiam rediit, malam Hungaris pro beneficio gratiam rependens. b)

IV. Non impune tamen id ei fuit. Carolus abeuntem cum viginti millibus Hungarorum, & Cumanorum, quos ex insula Cituorum collegerat, c) consequutus, & Znoimam progressus, Bohemiam incursans, circumlata etiam per Moraviam vastitate, ingen-

a) Pray Hierarch. P. II. pag. 170.

b) Chron. Ms. apud Linck cit. Tom. pag. 560. nominat, coronam, gladium, & tunicam S. Stephani reg. hæc Ivanus, & Henricus Wenceslao tradidere, ut litt. testantur Thomæ Archiepiscopi Strigoniensis. Albæ 1305. prid. cal. Augusti. *Ipsique Boh. regi, filioque ejus præfato, & ministris eorundem, prædictum regnum Hung. potissime Strigon. Ecclesiam occupantibus, — spoliantibus, — regnicolasque capientibus, coronamque sacram B. regis Stephani — cum ceteris pertinentibus ad eandem Insigniis, in Boemiam asportantibus &c.*

c) Cumanorum partem olim in insulam Cituorum a Bela IV. fuisse traductam, docent litt. Stephani

ingentem hominum copiam abduxit. *a*) In-
1304. de illi ſpes potiundi regni oborta, quod æmulus abitu ſuo Hungaros turpiter prodidiſſet. Verum iſti clientem Pontificum averſati, præ hoc Ottonem Bavarum, Belæ IV. ex filia nepotem, *b*) Wenceslao ſubrogarunt. Carolus ſpe ſua iterum fruſtratus, ne cauſam ſuam deferere videretur, fœdus cum Rudolpho, Auſtriæ Duce, pepigit, *c*) quo ſibi mutuo auxilia ſtipulati ſunt, cui mox acceſſere Strigonienſis, & Colocenſis Archiepiſcopi, tum Tranſilvanus, Jaurinenſis, Nitrienſis, & Bosnenſis Epiſcopi, complures quoque ex optimatibus, inter quos tres Palatini, Omodæus, Rorandus, & Oporius, *d*) aliique a geſtis regni Magiſtratibus inſignes, fuere, qui pa-

---

phani regis, an. 1272. *Volumus, ſicut ante dictus dominus rex, chariſsimus pater noſter voluerat — de inſula Chut, in qua Cumani, per præfatum Belam regem — fuerunt conſtituti. &c.*

a) Chron. Ms. apud Linck cit. Tom. pag. 560.

b) Averſa Sigilli pars an. 1306. hanc epigraphen refert: *S. Primi. Ottonis. Regis. Vngarie. Nepotis. Quarti. Bele. Regis.*

c) Tabulas fœderis vide apud Pray Tom. I. pag. 378.

d) Non, quod eodem tempore hunc Magiſtratum geſſerint, ſed diverſo, aut certe ab æmulis regni ſimul fuerint renunciati.

pactione inita, se illos, qui Carolo, & Rudolpho, amici, inimicive essent, sibi etiam futuros, data fide spoponderant. a)

Nec opposita his factio segnior, missis Legatis Ottonem, ut in Hungariam acceleret, orabat, qui, ut Hungarorum in se vota conspirasse intellexit, confestim in Bohemiam ad Wenceslaum contendit, ut de recuperandis regni Insigniis cum eo transigeret, sine quibus dubiam regni possessionem sibi futuram videbat. Commode factum, quod pater Wenceslai jam obierit, regnum filio relinquens, qui paterna hæreditate contentus, facilem se Ottoni præbuit, &, traditis regni Insigniis, simul juri in Hungariam renunciavit. Ille his obtentis, Brunam movens, recto itinere in Hungariam evadere cogitabat, cum repente mutato consilio, per extimam inferioris Austriæ partem, perdita per incuriam bajuli, sed iterum reperta corona, Sopronium, delusis Carolo, & Rudolpho, qui eum aditu in Hungariam intercludere volebant, incolumis pervenit, ubi a suis magna lætitiæ significatione acceptus, & Albam regiam deductus, a Veszprimiensi, & Csanadiensi Episcopis solemni ritu coronatus est. b) 1305.

OTTO

a) Vide Pray P. II. Hierarch. pag. 349.

b) Chron. Ms. apud Linck cit. Tom. pag. 571. Salisburgen. apud Hier. Pez Tom. I. col. 402. & 475. Thurocz cit. l. c. 88.

OTTO BAVARUS.

Ab Anno 1305. — 1308.

I. Coronatione, anno vergente jam ad fi-
1305. nem peracta, non diu quieto Ottoni eſſe li-
cuit. Rudolphus elapſam ſibi prædam, &
Carolum rurſus regno excluſum, ægre ferens,
ductis in Hungariam copiis, ditionem inter
Leitham, & Arabonem fluvios ſitam, abdu-
cta ingenti præda, populatus eſt, nullo ta-
men emolumento illius, cujus cauſa arma
ſumſerat. Hungari enim viciſsim Auſtriæ in-
fuſi, cladem reddidere, atque ita bellum mu-
tua ditionum vaſtatione, finem habuit, &
Rudolphus, juſſu patris, militem in Bohe-
1306. miam traduxit, ut hanc, cæſo a ſuis rege
Wenceslao, ſecundum pacta juri Auſtriæ aſ-
ſereret. *a*) Sed, ut hunc conatum Henricus
Carinthiæ Dux, cui ſoror cæſi Wenceslai
matrimonio juncta fuit, interverterat, ita res
quoque Caroli, & Ottonis fere afflixit, quod
ille in Rudolpho, hic in Bohemorum auxilio
ſpem hactenus repoſuiſſent. *b*) Itaque, cum
aliunde opem vix ſibi affuturam viderent,
uter-

a) Chron. Ms. apud Linck, cit. Tom. pag. 571. & 78. Hiſt. Ducum Stiriæ pag. 151.

b) Chron. apud Linck l. cit.

uterque factionem partibus fuis addictam fuftentare nitebatur.

II. Ac Otto quidem, ut animos Nationis fibi arctius conjungeret, confilio fuorum perfuafus, Ladislai Wayvodæ Tranfilvanienfis filiam fibi defpondit, cumque illam vifurus in Tranfilvaniam contendit, a defignato focero, per Albertum Cæfarem fubornato, captus, ultraque annum detentus eft, nec ante dimiffus, quam regni Infignia ei tradidiffet, quibus refignatis, per Rufsiam, & Silefiam, retento, dum vixit, regis Hungariæ titulo, in Bavariam fequente anno rediit. *a*) Clemens V. Pontifex, videns Hungariam tot annorum motibus quaffari, mifceri perinde res facras, & profanas, caufamque omnium eam effe, quod Proceres cum non paucis Epifcopis, rejecto Carolo, in deligendis regibus difcordes effent, datis ad Strigonienfem, & Colocenfem Archiepifcopos gravifsimis litteris, utrique mandavit, ut eos, qui Carolum nollent regem agnofcere, iisdem pœnis Ecclefiafticis, quibus fautores Wenceslai Bonifacius VIII. affecerat, perftringendos effe, per regnum divulgarent, mittendum a fe Fratrem Gentilem, quem recens Cardinalem cre- 1307.

a) Compilatio rer. Boicar. apud Oefelium, Tom. II. pag. 341. Chron. Clauftroneoburg. apud Hier. Pez Tom. I. col. 478.

creaſſet, qui opportunam rebus medelam al-
1307. laturus eſſet. *a*)

III. Valuit comminatio, & præcipue Ottonis captivitas, ut regni Ordines, qui ſe ab uno regum deſertos, alium vero captivum teneri videbant, unanimi conſenſu Comitia in campum *Rákos* indicerent, & poſt exſtinctam virilem Arpadi ſtirpem, jure ſuo uſuri, *b*) communibus ſuffragiis regem eligerent, cujus poſteritas, eadem, qua familia regia Arpadi, prærogativa deinceps frueretur. Carolus clam a ſuis monitus, ut Conventui adeſſe vellet, paucis ſuorum comitatus, improviſo adfuit. Hæc confidentia, mentisque præſentia, qua ſe coram oppoſita etiam factione ſiſtere auſus erat, mirum, quam ſubito omnium animos in ſe converterit. Utraque enim factio, quæ ſe hactenus mutuis odiis impetebat, & opinionum varietate, in eligendis duobus regibus, inter ſe digladiabatur, opera imprimis Thomæ Strigonienſis, & Vincentii Colocenſis Archiepiſcoporum in unam ſententiam conſpirans, Carolum regem elegit, &, ne regnum frequenti mutatione domini, iisdem, quibus ante, calamitatibus agitaretur, jus ſucceſsionis ad ejusdem poſteritatem traduxit, *c*) conditis quoque legi-

a) Raynaldus ad an. 1307. Nro. 15.

b) Vide Notit. præv. §. 3.

c) Ibidem.

legibus, quibus damna, tempore duorum decessorum, juri regio, ordini Ecclesiastico, & 1307.
oppressis Nobilibus illata, compensari jubentur, iique, qui Carolo obedientiam detrectarent, hostes publici haberentur; ad quæ servanda omnes unanimiter, præstito juramento, se obstrinxere. *a)*

CARO-

a) Leges, idem Decret. cujus ibid. in Notit. præv. mentio fit, continet in hæc verba: *Quicunque vero dignitatem aliquam, seu possessionem, tributa, vel jura aliqua ad regalem, vel reginalem magnificentiam pertinentia obtinet, absque contradictione qualibet, libere eidem domino nostro regi restituat, nisi forte suum hoc esse evidenter ostenderet. Possessiones etiam, seu jura alia ad Ecclesias, Nobiles homines, vel quoscunque alios pertinentia, qui occupata detinent, nisi super eis legitima instrumenta ostenderint, ea suis dominis, sine difficultate qualibet restituant, nullo unquam tempore ad ea redituri. Nobiles quoque regni Hung. quos hactenus indigna servitute oppressisse dignoscuntur, juxta naturalem ipsorum libertatem, cuicunque, & ubicunque voluerint servire, seu propriis rebus curam impendere, sine omni contradictione permittantur. Si quis vero in ipso regno Hung. obstinato animo, eidem domino nostro regi obedire contempserit, velut infidelem, ac hostem publicum, singuli reputabimus.*

CAROLUS ROBERTUS.

Ab Anno 1308. — 1342.

I. Electioni, cum jure ſucceſsionis in fami-
1308. liam regiam iterum ab Ordinibus traducto, Cardinalis Gentilis, poſtquam res in Dalmatia feliciter confeciſſet, ſupervenit. Miſſus erat

bimus. Hæc omnia ſuſcepimus obſervanda perpetuo, præſtito in manus Ven. Patris, Domini Thomæ Archiep. Strigonienſis, corporaliter juramento, præſentibus eodem domino noſtro rege, domino Vincentio — ac aliis Epiſcopis, cœtuque, ac magna regni frequentia in eadem ſolemni Congregatione adunata, obligantes nos, ut, ſi quis huic ordinationi contraire præſumpſerit, infidelis regi, & regno, hoſtisque publicus deputetur, & in ſententiam excommunicationis, quam idem dominus Thomas Strigonienſis ac dominus Vincentius Colocenſis Archiepiſc. cum pluribus aliis coepiſcopis ibidem promulgaſſe dignoſcuntur, incidat, & perſona ipſius, ac res ad manus regias, abſque contradictione qualibet, devolvantur. In cujus teſtimonium, perpetuamque firmitatem Sigilla noſtra, ac Ven. Patrum prædictorum præſentibus duximus apponenda. Actum hoc apud

erat a Pontifice, ut, fublato diuturno animorum difsidio, res Hungariæ componeret, 1308.
& Caroli caufam tueretur. Ut vero vidit, hanc ordinum confenfu jam anno fuperiore confectam effe, cupiens illam nomine Pontificis magis firmare, parum abfuit, ut penitus affligeret, cum jus, confirmandi regis, ad Pontificem pertinere, in primo cum Ordinibus congreffu, afferuiffet. Offenfi obfoleto hoc præjudicio, negabant, hujusmodi jus Pontifices unquam habuiffe, effeque ex Majorum inftituto in Ordinum arbitratu, ut, exftincta virili regum familia, regem, quemcunque vellent, cenferentque confervando, & augendo bono publico idoneum, renuntiarent. *a*)

Lega-

---

apud Ecclefiam B. Petri, in Rákos, Anno Domini 1307. *in craftino B. Dionyfii Martyris.* Hæc fatis indicant, plerisque Magnatum, non tam libertatem, quam præferebant, eligendi regis cordi fuiffe, quam ut in eâ, quam ftudiofe alebant, rerum perturbatione, occafionem haberent, proventus regios fundosque Ecclefiarum invadendi, Nobilesque, qui tenuioris fortunæ erant, opprimendi, quibus pene in fervitutem redactis, nihil propius erat, quam ut ipfi, evacuata regum auctoritate, foli dominarentur.

a) Apud Raynald. ad Anno 1308. Nro. 23. „ „ Poft quæ, fub fpecie tuendæ libertatis ejus-

„ dem

Legatus, ne rem hucusque ab ipsis Ordini-
1308. bus feliciter adductam, importune corrumperet, tempori cessit. Prudenti hac dissimulatione cum videret animos pacari, usus opportuni-

„ dem regni, inter ipsos Barones, & Nobiles „ murmur, quod ipsius domini Legati attigit „ aures, per querelam patulam in publicum „ productam, exoritur, videlicet " *quod nolebant, nec erat aliquatenus intentionis eorum, quod Ecclesia Romana, vel ipse dominus Legatus, ejus nomine, saepe dicto regno de rege ullatenus provideret, sed placebat eis, quod illum, quem ipsi ex antiquo, & approbato more vocaverant, & in regem assumserant, praefatus dominus Legatus, ejusdem Ecclesiae Rom. nomine, in verum regem Hungariae confirmaret; &, quod etiam perpetuis futuris temporibus, veri Summi Pontifices, & ipsa Rom. Ecclesia haberet jus confirmandi, & coronandi reges Ungariae, de vera regali progenie propagatos, quos ipsi unanimiter, & concorditer de dicta progenie ducerent eligendos.* Merito Ordines intercesserant. Nec enim uspiam vestigium exstat, quo doceri possit, a Pontificibus reges Hungaris esse datos, & constitutos. Id quidem Gregorius VII. postea inter Sanctos relatus, sub regibus Salomone, Geisa, & S. Ladislao tentaverat, irrito tamen conatu, quod in ea persuasione esset, Hungariam a S. Stephano

tunitate, fanctiones, nemine diffentiente, edidit, quibus ea, quæ Ordines jam ante ejus 1308. adventum, ad inftaurandam rem publicam conftituerant, fuo quoque affenfu firmavit. Hæ potifsimum ad regis ftatum, ac immunitatem, ad præftandam eidem a fubjectis fidelitatem, tum ad bona, quæ ad jus regum, & reginarum antiquitus pertinuere, illibata fervanda fpectabant. In regiæ immunitatis violatores, quoniam auctoritas regia fere vilefcebat, pœna gravifsima conftituta fuit. Si quis regi manus injicere, vel nocumentum inferre aufit, vel partem in hoc fcelere haberet, patratores juvaret confilio, aut favore profequeretur, eo ipfo feudis fuis, ceterisque Nobilium immunitatibus cenferetur privatus effe, quin ut pœna latius pateret, filii etiam

phano rege olim Ecclefiæ Rom. fuiffe donatam. Ita enim ad Salomonem fcripferat: *Nam ficut a Majoribus patriæ tuæ cognofcere potes, regnum Hung. Sanctæ Rom. Ecclefiæ proprium eft, a rege Stephano olim B. Petro, cum omni jure, & poteftate fua oblatum, & devote traditum.* Confer Notit. præv. §. 29. Juri autem, quod Ordines Pontificibus tribuunt, reges confirmandi, derogatum eft a fucceffloribus, cum ipfe etiam Ludovicus, Caroli filius, nullibi legatur, a Pontifice confirmatus fuiffe, nec ceteri deinceps reges.

etiam illorum, nullius dignitatis, beneficiique
1308. Ecclesiastici, capaces essent, nisi summus Pontifex delicti veniam faceret. a) Egit præterea de rege coronando, sed cum usitatam regni coronam Ladislaus Wayvoda Transsilvanus abhinc, quam Ottoni illam extorserat, in potestate haberet, unanimi Antistitum, Baronum, Nobiliumque consensu decrevit, ut alia interim pararetur, cujus eadem, quæ illius vis, ac potestas esset. b)

II. Hac confecta, & ex ritu Ecclesiæ sa-
1309. crata, nihil jam ad consequendam jurisdictionem regiam Carolo deerat, quam ut coronatio perageretur. Peracta est XV. Junii c) Budæ in Ecclesia Beatæ Virginis per Strigoniensem Archiepiscopum, præstito prius a rege Ordinibus, & accepto vicissim ab his fidelitatis, juramento. Illius hæc fere summa fuit: rex fidem Catholicam, quam Romana Ecclesia profitetur, teneat, Ecclesias, harum-

a) Document. exstat apud Péterfi Concil. Hung. Par. I. pag. 148.

b) Ibidem.

c) Thomæ Strigon. Archiep. litt. apud Koller Episcop. Quinqueecclesien. Par. II. pag 297. *Karolus Rex illustris — XVII. Kal. Jul. cum Magno Prælatorum, Baronum, Nobilium, Cleri, populique tripudio, per meas Strigonien. Archiepisc. manus — de volantate, & assensu nostrum, & Baronum exstitit coronatus.*

harumque Episcopos tueatur, jura Nobilium illibata servet, nec sinat eos a potentioribus 1309.
opprimi, limites legitimi conjugii ne excedat, populo curæ suæ credito studeat prodesse magis, quam obesse, nemini, nisi præmisso diligenti examine criminis convictus fuerit, mortis pœnam constituat, omnibus denique jus indiscriminatim administret. *a*) His præter morem additum, ne Papam, hujusque Legatos impugnet, jura Ecclesiæ Romanæ defendat, nec ejus statuta, terrasve impetat, quin det operam, ut alienatæ, quoad posset, integre restituantur. Hæc regni Neapolitani, quod fiduciario jure Pontificibus obnoxium erat, causa, credo adjecta esse. Carolus enim Martelli filius, titulo juris primogenituræ, avo successurus putabatur, quod si factum fuisset, accessione novi regni, & classe maritima, quæ nobis hactenus defuit, insigne auctarium ad Hungariam factum esset. Sed obstabat, qui hoc anno obierat, avi testamentum, qui relictis, ut alias memoravi, Carolo nostro bis mille auri unciis, jus primogenituræ in Robertum tertio genitum filium suum transtulit. *b*)

a) Juramenti formam exhibet Excell. Episc. Transsilvan. C. a Batthyán Legg. Eccles. Tom. I. p. 462. & Katona Hist. Tom. VIII. pag. 171.—77.

b) Leibnitz. Cod. jur. gent. diplom. pag. 52. — *instituimus hæredem & universalem successorem*

Ita Carolus tunc quidem hac ſpe excidit,
1310. cui alioquin domi ſatis curarum erat, quibus a proſequendo ſuo jure abſiſtere cogebatur. Plerisque enim parum ſecuritatis in eo videbatur repoſitum, quod Rex novitia, non item illa, qua deceſſores ſolebant, corona incinctus fuiſſet. Id ubi Strigonienſis Archiepiſcopus comperit, nihil moræ interponendum ratus, habita cum Legato Pontificis, & Omodeo Palatino deliberatione, per litteras, & nuncios cum Wayvoda Tranſsilvanienſi, de ea recuperanda egit. Nec is, conſtituto jam rege, ſe difficilem præbuerat. Szegedini, ut de reſtitutione ageretur, conventum. Wayvoda jure jurando ſe in fide Caroli manſurum, & non ſolum coronam, ad diem S. Joannis Baptiſtæ, aut citius, ſi Rex juberet, vel ipſe in Tranſsilvaniam venturus eſſet, reſignaturum, ſed quæcunque præterea ad proventus regios pertinerent, redditurum, pollicitus, ſimul tamen, ſi illam reſtituerit, mercedem pactus eſt. a) Recuperata ſecundum conventionem corona, Albam profectio indicta, & Rex ſexto calendas Septembis, jam quartum coronatus eſt. b) Hunc tandem in modum

rem noſtrum in regnis noſtris — Robertum primogenitum noſtrum, Ducem Calabriæ &c.

a) Fridvalſzky Mineralog. Tranſilv. pag. 107.

b) Litt. regis apud Pray Hierarch. Par. I. pag. 106. *ipſo novo diademate exſtitimus coronati, &*

dum suspicio, si quæ adhuc animis insedisset,
omnibus exemta, & Carolo, ab æmulis libe- 1310.
ro, regni possessio constabilita fuit, multis
tamen curis in principio impedita. Regni
ærarium rapinis exhaustum & proventus re-
gios ab aliis usurpatos reperit, Bani in Cro- 1311.
atia, & Bosnia, dum rivales de successione
inter se contendebant, fere jure regio uteban-
tur, Veneti in Dalmatia ditionem suam ul-
tra Jadram proferebant, ita dissensiones do-
mesticas alii sensim in suum lucrum conver-
terant. Cogitanti his malis mature obicem
ponere, opportune Jadrenses, excusso Vene-
torum dominio, in fidem pristinam rediere.
Nihil regi, ut tum res domi erant, in plures
rei publicæ partes intento, commodius ad le-
niendas curas accidere poterat. Grato igi-
tur animo civium voluntatem accipiens, eas-
dem illis, quas hactenus reges Hungariæ,
cumprimis Bela IV. largiti erant, immunita-

& licet hujusmodi coronationis modus sufficiens exstitisset, ut opinioni tamen gentis Hungaricæ satis fieret, &, ut scandalum de medio tolleretur, recuperata — per solicitam curam ejusdem D. Archiepiscopi, ipsa sancta corona — rursum in loco debito, videlicet in Alba regia, ubi solitum est ab antiquo reges Hung. coronari, facta convocatione universorum Prælatorum, Baronum, fidelium regni nostri — eadem sancta corona de novo exstitimus coronati.

tes confirmavit, data fimul poteftate, ut urbis rectorem, five ex fuis popularibus, feu aliunde vellent accerfere, liberum eligendi arbitrium haberent. a) Hinc inter regem, & Venetos primum de jure ligitatum: hi præter duas tributi partes a porta Jadrenfi, nihil aliud juris regii effe, b) cetera autem a vetuftifsimis temporibus, & ex conventione cum Bela IV. inita, c) ad fe pertinere contendebant, idque Nicolao Grimano, Legato fuo, ut apud regem diligenter ageret, in mandatis dedere; d) Rex contra, jus fuum in univer-
1311.

fam

a) Lucius l. 4. c. 12. & Pray annal. Par. II. pag. 2.

b) Litt. Ducis Venetor. ad regem, an. 1311. d. 12. Nov. apud Muratorium fcriptor. rer. Ital. Tom. XII. pag. 495. ubi inter reliqua, hæc: *per confequens in eadem (Jadra) & jus veftri regni Hung. expreffum, & notorium in ipfa civitate femper voluimus, & fecimus, ob reverentiam, & amorem regum, prædeceſſorum veftrorum, tamquam qui intendimus non turbare jura regia, fed ad confervationem eorum dare potius auxilium, & favorem &c.* Integras vid. apud Pray annal. Par. II. pag. 2. 3. &c.

c) De conventione hac inita, fed rurfus antiquata, confer ea, quæ in rebus Belæ IV. ad an. 1244. Nro. 5. & ad an. 1254. Nro. 9. dicta funt.

d) Litt. Duc. Venet. apud Murator. l. cit. pag. 493. & apud Pray Par. II. pag 4. 5.

ſam Dalmatiam extendebat. Ex litigatione juris, ad arma ventum. Veneti, cum viderent, regem nihil de ſua conſtantia remittere, miſſa claſſe, Jadram obſedere, Rex viciſsim Paulum Bosniæ Banum obſeſsis auxilio miſit. 1312.

IV. Quo minus ipſe Jadrenſibus adeſſe poſſet, novi in regno motus impedivere. 1312. Matthæus Trencſinienſis, fortunarum amplitudine ceteris Magnatibus affluentior, & ſub Wenceslao regni Palatinus renunciatus, illo in Bohemiam reverſo, nec Ottonis, nec Caroli partes amplexus, ſeorſim Principatum ſibi parabat. Vaſtata ultra ditionem ſuam utraque Vagi ripa, Nitrienſis quoque Epiſcopatus partem depopulatus, exuſtis etiam, quæ juris Archiepiſcopi Strigonienſis erant, villis, *a*) jam ipſi Strigonio imminebat, cum rex, ſeditionem in principio opprimere cupiens, in rebellem profectus, conſerto ad vicum Rozgonium prælio, fugatum, magnaque ditionum parte mulctatum, *b*) in ordinem redegit.

Fructum victoriæ, qua ſeditioſi ad tempus in metu continebantur, Mladinus Banus perfidia ſua temeravit. Is auro Veneto corruptus, *c*) Jadrenſibus, qui ſe hactenus fortiter 1313.

 tue-

a) De damnis Archiep. illatis vid. document. apud Pray Hierarch. Part. II. pag. 169.

b) Thurocz Part. II. Chron. c. 90. & litt. regis an. 1312. in feſto B. Eliæ.

c) Muſſatus de reb. geſtis Ital. l. 2. & Madius c. 6.

tuebantur, auctor fuit, ut Venetis, quando
1313. ſerum, aut nullum ex Hungaria affuturum
eſſet auxilium, honeſtis conditionibus ſe de-
derent. Perſuaſi, deditionem his pactis fe-
cere: cives liberam facultatem Comitis eli-
gendi, & Veneti auctoritatem confirmandi il-
lius habeant; ceteris arbitrio illorum permiſ-
ſis, æquo jure ſocii deinceps eſſent, liberaque
navigatione uterentur. *a*) Mladino pacifica-
tori honor Patriciatus Veneti conceſſus. Ba-
ni perfidiam, Rex diſsimulare tum quidem co-
gebatur, quod Tartari, quorum aliquot turmæ
ab obitu Ladislai reſtiterant, adjuncta ſibi la-
1314. trocinantium colluvie, actis ſpoliis, ma-
gnam Chriſtianorum copiam in ſervitutem ab-
egiſſent. *b*) Acceſsit aliud quoque impedi-
mentum ex fœdere cum Friderico, Auſtriæ
Duce, inito, quo Rex Duci contra Ludovi-
cum Bavarum, uterque enim, diſſentientibus
Electoribus, Imperator electus erat, ſuppe-
1315. tias ſe laturum, & Dux viciſsim, Poſonium,
cum ea ditione, quam Andreas III. conjugi
ſuæ Agneti, dotis nomine contulerat, ſe red-
diturum, ſpoponderant. *c*) Copiæ igitur do-
mi

---

a) Lucius l. 4. c. 12.

b) Clementis V. litt. ad Hungaros apud Raynald. & Pray Parte II. pag. 11. ad an. 1314.

c) Diplomatar. Stiriæ Nro. 155. apud Pray Parte II. pag. 11. & Continuator. Martin. Poloni apud Eckart. Tom. I. col. 1443.

mi retinendæ erant, ut ex pacto, cum res poſceret, fœderato Duci in ſubſidium mitte- 1315.
rentur, Mladino autem, qui maritimas Dalmatiæ urbes inſolitis oneribus premebat, a) tempus interea datum, ut, aucta in dies potentia, ſenſim ad tyrannidem aſpiraret.

V. Inter has, quas regno, pro regis officio, impendebat, curas, ea quoque, quæ 1317.
jure avitico ſibi exiſtimabat deberi, minime negligenda eſſe cenſuit. Bis mille enim auri unciis, quas ei avus teſtamento legaverat, ſi cum iis, quæ reliquis cohæredibus obtigerant, conferret, parum ſibi, ad quem ceteroquin ſucceſsio in regno Siciliæ, jure paterno pertinuiſſet, obveniſſe putabat. Ad jus itaque ſuum vindicandum, miſit ad Robertum Siciliæ regem, Joannem Delphinum, Comitem Viennenſem, & Albenſem, b) qui Principatum Salernitanum, & Honorem montis ſancti Angeli, velut legitimam hæreditatis partem, regis nomine poſtularet. c) Eſt is mons

a) Lucius l. 4. c. 13. & Farlati Tom. IV. p. 371.

b) Cur hunc Rex fratrem ſuum dicat, mihi obſcurum eſt. Litt. vid. apud Katona Tom. VIII. pag. 327.

c) Ibid. *Conſtituimus, & creamus noſtrum certum Procuratorem, & nuncium ſpecialem, & generalem, illuſtrem, & magnificum virum, D. Joannem Delphinum, Viennenſem & Albenſem*

mons in Apulia, *Gargani* nomine alias cog-
1317. nitus, cui oppidum insidet, cujus ditio amplissima ad litus maris Adriatici porrecta, Dalmatiæ objicitur, freto, quod interjectum est, facile navigabili diremta. Hanc sibi Carolus tribui imprimis cupiebat, cum ut res Dalmaticas hinc quoque tueri posset, tum ut Venetis, ditionem suam in Dalmatia latius identidem proferre cupientibus, ex utraque maris parte frænum injiceret.

Jus suum hæreditarium prosequenti, con-
1318. jux Maria, Casimiri Poloniæ Ducis filia, e vivis erepta fuit, *a*) ex qua cum nullam prolem sustulerit, regi tamen, quod ei hoc anno ex concubina filius Colomannus esset natus, *b*) novo conjugio opus esse videretur.
1319. Beatricem, Henrici Imperatoris filiam, Joannis Bohemiæ regis sororem, sibi in conjugem ad-

sem comitem, dominumque de Turre, fratrem nostrum carissimum, ad petendum, exigendum, & recuperandum a serenissimo D. Roberto, Dei gratia Hierusalem, & Siciliæ rege, vel à quopiam alio, possidente, seu tenente, Principatum Salerni, — nec non & honorem montis sancti angeli, sive constant in civitatibus, seu castris, vel villis, — nec non & jura, jurisdictionemque dicti Principatus, & Honoris. — ad petendum, & exigendum omnia, & singula jura &c.

a) Madius cit. l. c. 13.

b) Vid. Pray Hierarch. Part. II. pag. 712. 73.

adſcivit, *a*) hac quoque anno evoluto ſublata, Eliſabetham, Wladislai Poloniæ Ducis, 1320.
cujus ditiones, Siradienſi, Cracovienſi, Gnesnenſi provinciis, & rubra Rufsia continebantur, filiam, uxorem duxit, *b*) ingenti ſuo, & regni emolumento, cum & plures ex hac liberos ſuſceperit, & ſenſim viam quaſi ſtraverit, ut Polonia Hungariæ olim conjungeretur. A pompa nuptiarum ad bellum repente vocato, nova occaſio data eſt, ut regni limites, facta acceſsione, propagaret. Vroſius rex Serviæ, & Hungariæ fiduciarius, abhinc, quam tres æmuli de regno contendebant, dominatum ſibi parare, & ditionem ſuam in Macedoniam, & Achajam proferre conabatur. Hac prolatationis cupiditate, Philippus Tarentinus, regis avi quarto genitus, cui pater Achajam teſtamento reliquerat, *c*) irritatus, arma in Vroſium ſumere decrevit. Eadem regi cauſa erat, ut ab obſequio ſecedentem bello peteret. Datis igitur ad Banum Bosnenſem mandatis, ut cum ſuis copiis ſibi præſto eſſet, in Serviam profectus, ubi primum ad fluvium *Obonam* Vroſium nactus eſt, prælio fractum, ad priſtinam obedientiam revo-

---

a) Madius ibid.

b) Thurocz. Chron. Part. II. c. 92. & Madius, cit. l.

c) Leibnitz, Cod. jur. gent. Part. I. pag. 52.

revocavit, *a*) simul occasione usus, partem Macedoniæ in potestatem redegit. *b*)

1321. VI. Reduci non leve per absentiam periculum fere confectum est. Petrus quidam, ut opibus potens, ita infenso in regem animo, eadem, qua olim Matthæus Trencsiniensis, insa-

a) Hujus meminit Ludovicus in Litt. an. 1347. prid. Kal. Jul. *Porro cum idem genitor noster — ipsum Stephanum, nunc Wayvodam, tunc Magistrum agazonum — in terram Raciensem destinasset, idem Stephanus ipsam terram Raciensem usque caput fluvii Obona penitus destruendo spoliavit &c.*

b) Joannes XXII. Pont. in litt. ad Fridericum Imperat. datis, apud Raynald. ad an. 1320. de subacta Macedonia hæc habet: *Caroli regis Hung. illustris, jucunda, & grata relatio, nostro Apostolatui patefecit, quod dudum ipse — in potenti manu, & exercitu copioso procedens — de dictis Schismaticis feliciter triumphavit, ita, quod regnum Macedoniæ, sicut nota evidentia facti in illis partibus evidentius notum reddidit, de manibus illorum ereptum, suæ subdidit ditioni.* Fuisse jam olim aliquam Macedoniæ partem juribus Hung. obnoxiam, testatur Dipl. Belæ IV. an. 1269. quo civitatem *Castoriam*, cum vicino agro, familiæ *Ohmuchievichii* contulerat, quam donationem postea Ludovicus an. 1349. Sigismundus ann. 1395. & 1406. confirmarunt.

insania correptus, Principem Russici sanguinis, quamquam invitum, in Hungariam inducere statuerat, ut eum Carolo opponeret, aususque propterea cum Dousa Transsilvaniæ Wayvoda confligere, victus, & bonis omnibus exutus est, nulla vel spe posteris suis relicta, ut iis aliquando potiri possint. a) Quo magis sibi rex exteros conciliare, necessarium putabat, ut, si quid domi rursus discriminis oriretur, suppetias aliunde quoque haberet. Quare iterum fœdus, cum Friderico Imperatore alias sancitum, b) instauravit, eique supremum cum Ludovico Bavaro certamen inituro, quatuor millia Hungarorum, & ex Cumanis lectissimos sagittarios, c) univer- 1321.

a) Vide Katona Tom. VIII. pag 431.

b) Tabular. Cæsareum apud Ant. Steyrer, S. J. in comment. de reb. Alberti II. pag. 3.

c) Ab hoc tempore rex Cumanos secundum diversam armorum tractationem bifariam divisit. Pars sagittis militabat, *Jászones*, ab *Ijas*, quod nobis sagittarium notat, dicti: Pars a *balistis*, in oppugnationibus adhiberi solitis, primum *balistarii*, postea corrupto nomine, *Philistæi* nuncupati. Postquam autem vetus armorum usus obsolevit, utrique equites in bello mereri solent. *Jászones* memorat Carolus in litt. an. 1323. dum quemdam nomine *Lárzán*, filium *Zokán*, ex jurisdictione filio- rum

verse auxiliariorum viginti sex millia, suppe-
1322. tias misit. a) Ipse vero suis profectionem in Dalmatiam indixit, quam Mladinus tyrannide sua adeo presserat, ut Traguriens es cum Sibenicensibus, fidi ceteroquin Hungarorum socii, se denuo Venetis dediderint, ea tamen cautela usi, ut honor, & jus regis Hungariae salvum integrumque maneret. b) Simul instaurato, quod priore anno inter se pepigerant, foedere, c) Paulum, Comitem Breberiensem, in armorum societatem adscivere. d) Mladinus, comperto, quid illi adversum se cuderent, tempus occupans, utriusque urbis ditioni, vastitate illata, cum audiret, regem cum copiis Tinninum adventare, regressus misso

rum *Keverge* eximit, & speciali favore, *in coetum Jaszonum specialiter regiae majestati exercituare debentium, ob praeclara in bello praestita servitia*, transfert. Hodie nomine *Jazygum* veniunt. *Philistaei* occurrunt in litt. Sigismundi, an. 1427. in quibus Stephanus *Boharnik* de Berzencze, *Philistaeorum regalium Comes* dicitur. In Cod. jur. patrii passim *Cumani* audiunt, primaque, si rite recordor, Philistaeorum mentio fit in Wladislai Decreto an. 1498. art. 47.

a) Albertus Argentin. sed ad an. 1323.

b) Lucius l. 4. c. 14. de reb. Dalm.

c) Idem Memorie istoriche di Tragurio, p. 166.

d) Id. ibidem.

miſſo fratre ſuo Georgio, gratiam regis implorabat, quem dum ipſe eadem de cauſa eſſet conſequutus, comprehendi, & in Hungariam abduci juſſus, rex autem, allato nuncio, quam infeliciter Friderico contra Ludovicum, pugna ad Müldorfium ceciderit, cura Dalmatiæ Joanni Boboniſcio credita in Hungariam reverſus eſt. *a)* 1322.

Nihil tamen, capto etiam Mladino, res feliciores in Dalmatia fuere. Georgius frater illius, eundem morem ſequutus, non modo urbes, imprimis Spalatenſem, actis crebro ſpoliis, infeſtabat, ſed ipſum quoque Boboniſcium, a rege abſtractum, in ſuas partes pellexit. Utrumque quidem Nicolaus Giletus a rege miſſus in ordinem redegerat, *b)* ſed, dum nullo iſthic relicto Hungarorum præſidio, reverſus eſſet, Georgius paulum poſt reſumto animo, conciliatis ſibi etiam Croatis, rurſus res novas moliri cœpit, ſuumque propoſitum, latrocinando magis, quam arma conferendo, proſequutus, anno ſequente a Neliptio Cetinenſium Comite, ad Tinninum profligatus, & in captivitatem redactus eſt. *c)* Ex Boboniſcio quoque, perfidiæ reo, Stephanus Bosnenſis Banus, cum Comite Veglienſi, expugnatis, quæ illius juris erant, 1323. 1324. 1325.

caſtris,

a) Madius c. 18. & 19.

b) Idem c. 22.

c) Idem c. 23. & Lucius Memoriæ iſtor. p. 177.

caſtris, juſſu regio pœnam ſumſit, & ad quietem ſtabiliendam præſidiarios Hungaros Bihacſio impoſuit. *a*) Gliſcebat nihilominus,
1326. quæ ob diverſam utriusque Nationis linguam, dudum coaluerat, inter Croatas factio, qui collato ſæpe per nuncios, & litteras, cum Bosnenſibus, Dalmatis, ac ipſis etiam Venetis, conſilio, nihil pacati pollicebantur, ipſe adeo Nelipſius, poſt captum Mladeni fratrem, polliticis illorum depravatus, ad eliminandos, qui recens Bihacſio impoſiti erant Hungaros, operam ſuam addixit. *b*)

VII. Hoc loco res Dalmaticæ erant,
1327. cum rex ad fœdus illud, quod biennio abhinc cum Joanne Bohemorum rege, de reddendis utrinque transfugis pepigerat, *c*) aliud quoque adjunxit, quo ſibi communes utrinque amicos, & hoſtes futuros, ſtipulati ſunt, Auſtriæ Ducibus ſolum exceptis, in quos ſi Bohemi moverent, rex a ferendo eisdem auxilio immunis eſſet; contra ſi Auſtrii Bohemos bello peterent, iſtis ſuppetias ferret. Ad confirmandum fœdus, actum quoque de ſponſione futuri matrimonii inter Ladislaum Caróli

a) Madius c. 28.

b) Lucius Mem. iſtor. pag. 187 — 89.

c) Apud Lunig Cod. Germ. diplomatic. Tom. I. pag. 991. Nro. 34. dat. in alto caſtro, ſeu Viſſegradi, an. 1325. Dominica prox. ante feſtum nativ. B. Virginis.

roli primogenitum, & Annam Bohemiæ regis filiam ineundi, si sponsioni huic ob consanguinitatem Pontifex intercederet, ad hanc firmandam triennii mora, sin autem veniam faceret, semestre spacium, daretur. Sponsæ a patre decem, a Carolo quindecim millia marcarum, quamlibet quinquaginta sex grossis Pragensibus æstimando, dotalitium munus constitutum. *a)* 1327.

Succefsionis ratio, ordoque, si quos olim Ladislaus ex hoc matrimonio liberos tolleret, is decretus fuit, ut semper filius patri, jure hæreditario, succedat, sin autem filiæ solum essent superstites, hæ similiter eodem jure regnum capesserent. *b)* Illud præterea ad stabi-

a) Apud Lunig, Cod. Germ. diplomat. Tom. I. pag. 994. Nro. 35.

b) Id. ibid. *Quod si prædictum Ladislaum, filium nostrum, ante, vel post obitum nostrum, habendo liberum, vel liberos masculos, decedere forte contingeret, idem filius, sive filii, in regno Hung. supradicto succedere debeant, & ipsum regnum ad eos, & non ad alios, jure hæreditario pertinebit. Si vero sæpe dictum filium nostrum habendo filiam, vel filias, mori contingeret, ex tunc ipsa, vel ipsæ, juxta consuetudinem Hungariæ observatam, succedere, & hæreditare debent.* Tabul. integras exhibet Katona, Tom. VIII. pag. 570. Matrimo-

nium

1327. ſtabiliendam utriusque regni ſecuritatem additum, ut, ſi alteruter regum ex paciſcentibus, mortem prior obiret, alter defuncti ditiones, & proles, velut ſuas complexus, tueretur. Ceterum, ſi matrimonium etiam non coaleſceret, fœdus ratum nihilominus, firmumque maneret. a)

Hæc dum Rex ea potiſsimum de cauſa ſatagit, ut familiæ regiæ, ne inter hanc ambitio ſemen diſcordiæ aliquando jaciat, tum regni etiam commodo, quod ſæpe variato, ex privatorum arbitrio, & utilitate, domino, miſere jactari, expertus erat, conſuleret, res in Dalmatia vehementer nutabant. Spalatenſes tyrannidis comitum Breberenſium impatientes, cum nihil præſidii ex Hungaria adeſſet, Venetis ſe interim dedidere, quos Traguriui, Sibenicenſes, & Nonnenſes mox ſequuti ſunt, eam tamen omnes conditionem pacti, ut ſalvo jure regis Hungariæ, ipſi ſuis immu-

nium tamen, ſponſo an. ſeq. defuncto, non coaluit. Vid. Katona, l. cit. pag. 603.

a) Lunig, ibid. pag. 994. ſed in documento, quod huic præmittit, erronee Ludovicum ſubſtituit Ladislao. Ille, ut habet Thurocz. Part. II. Chron. c. 94. natus eſt an. 1326. Ladislaus vero, an. 1323. ut ipſe Rex teſtatur in litt. ejusd. an. quibus nuncio, qui ei natum filium ſignificarat, donationem facit. *Dat. in Dámás, loco venationis.*

immunitatibus, quas a regibus olim obtinuere, frui permittantur. *a)*

VIII. Nullum dubium regi erat, factionem, quam Mladinus in Croatia, & Bosnia 1328.
conflaverat, licet captivus in Hungaria teneretur, etiamnum serpere, & clam a Venetis ali, quo minus autem hanc confestim oppressum iret, bellum Austriacum, ex fraterna ambitione ortum, impedivit. Occasio hæc erat. Albertus Cæsar cum plures filios haberet, veritus, ne a suo obitu fratrum discordia hæreditariæ ditiones in partes discerperentur, statuerat, ut major natu in his succederet, ceteris tantum daretur, quantum ad vitam cum dignitate sustinendam satis esset. Perstitit hæc ratio ad id tempus, quo ex filiis tres solum, Fridericus Cæsar, Albertus, & Otto, superstites fuere. Postremus hæreditatis suæ partem importune deposcebat, quæ cum negaretur, correptis armis, regem Bohemiæ in societatem, & ad tuendam suam causam adscivit. Huic Carolus quoque, etsi invitus, copias suas adjunxerat, mox tamen, cum videret bellum, nimis barbare a Bohemo geri, in Hungariam reduxit, *b)* utilius, nisi jam serum fuisset, in Dalmatia adhibendas, cujus partem maritimam Veneti fere omnem interea occuparunt. *c)*

a) Lucius, l. 4. c. 14. & Madius, c. 28.
b) Chron. Ms. apud Linck ad an. 1328.
c) Lucius l. 4. c. 14.

Jactura hæc eo gravior erat, quo magis
1329. ærarium regium in dies attenuari fere oportuit, cui reparando dum curas omnes intendit, eam rationem amplexus est, ut ne onus plebi incumberet. Supererant fundi regii, quos Wenceslai, & Ottonis tempore, potentiores rapto sibi asserebant, & qui ex Ordinum decreto, tempore electionis condito, reddendi erant, quod cum hactenus non ea, qua oportebat, fide factum esset, omnes ad regum proprietatem, & censum redigi jussit. Similiter decretum generale, quod nobis temporum injuria eripuit, per regnum vulgari fecit, *a*) quo

a) Decreti hujus mentio fit in litt. adjudicatoriis Fancisci Comitis de Thurocz, Locumtenentis Palatini, Posonii an. 1549. fer. 5. prox. ante festum Nativit. B. M. V. *Licet serenis Princeps D. Carolus Rex Hung. pater ipsius Ludovici regis, eo vivente, & demum ipse Ludovicus Rex — litteras, & privilegia dicti Andreæ regis, super donationibus, & gratiis per ipsum factis, emanatas, & confecta, ex causis rationabilibus usque ad tunc, minime acceptassent, & iidem actores intentionem ipsorum fundabant juxta generale decretum exinde editum, sigillo antelati quondam D. Caroli regis anulari, in quo littera K. habita exstitisset, per appositionem ceræ rubræ in dextra parte imaginis regalis habitæ, minime roborata*, tæ,

quo donationes Andreæ III. penitus antiquatas, & irritas haberi volebat. Qua sanctione cum multi ad incitas redigendi essent, victus multorum precibus, hanc rationem ineundam censuit, ut documenta litteraria, quæ Andreæ regis nomen referrent, judicum quæstionibus subjicerentur, ex quibus, quæ æquitate niti videbantur, appresso suo in cera rubra anulari Sigillo, *a*) rata, reliqua vero pro irritis haberi decrevit, & bona Fisco regio addixit. 1329.

IX. Tam firmum, seriumque, fundos regios ad pristinum jus revocandi studium, regi, ejusque familiæ mortem propemodum conscivit. Felicianus de genere *Zaah*, qui olim Matthæi Trencsiniensis partes sequutus, parique cum eo rapinarum cupiditate actus, bona regia in suum usum converterat, nunc autem reddere coactus, enorme facinus aggressus est. *b*) Rege Vissegradi, loco æsti- 1330.

 va-

tæ, &c. Ea proinde solum regis hujus documenta in judiciis locum habent, ut monet Verbőcius Trip. Par. I. Tit. 14. §. 17. quæ in sigillis appressum in cera rubra Sigillum anulare regis Caroli referunt.

a) Id nonnunquam lauro circumdatum est, alias, & sæpius, sine hac, quod critirii causa monendum putavi.

b) Litt. regis ad an. 1330. in Octavis B. Jacobi Apostoli. *Cum nos prædictum Magistrum Joannem*

vario, cum familia sua prandente, in tricli-
1330. nium furiis agitatus, irrumpit, manum regis levi vulnere perstringit, reginæ quatuor dextræ digitos amputat, in filios quoque Ludovicum, & Andream, gladium vibrans omnes neci daturus erat, nisi is, qui reginæ ministrabat, periculum prævertens, sceleſtum hominem, bacillum, quod præ manibus habuit, occipiti impingens, humi prostravisset, quem mox accurrentes satellites membratim conciderunt. Fama deteſtabilis facinoris didita, regni Ordines certatim ad regem excivit, qui unanimi consensu sceleſtissimi hominis prosapiam, ad tertium generationis gradum, partim morte, partim exilio, mulctandam decreverant, omnium, qui sceleris participes erant, bonis Fisco addictis. In proles, nisi criminis magnitudo excuset, acerbius, quam humanitatis ratio ceteroqui patitur, sævitum. Filius, caudis equorum alligatus, frustatim discerptus, filiarum una capite diminuta, altera

annem, consideratis suis fidelitatibus, quibus nos inter cetera in eo, quod nos, & prædictam reginam dulcesque natos nostros, a morte, quam quidam sceleratus, nomine Felicianus, nefanda præsumtione inductus — in omnium nostrorum personas insultu subitaneo, & inopinabili inferre volebat, annuente Dei clementia viriliter defendit, &c. Similia quoque Thurocz Chron. Par. II. c. 96.

tera digitis, naso, & labiis abscissis, per regni urbes, ut sceleris horror ad plures pertineret, circumducta est. a) 1330.

Rex periculo hoc liber, prope erat, ut majus adiret, dum, consanato vulnere, in rebellem Bezarabam, Valachiæ Transalpinæ Wayvodam, arma convertit. Hic, cum per exploratores comperisset, regem occupato Zevrino, ultra progredi, nuncios illi obviam misit, qui, si Rex pacis consilia amplecti vellet, septem mille marcas argenti, censum annuum pendi alias solitum, & filium præterea obsidem, suo nomine promitterent. Honesta, & æqua conditio plerisque visa est. Verum Rex spreto suorum consilio, Wayvodam post repulsam, in montana recedentem, improvide sequutus, interque montium angustias comprehensus, amisso fere toto, qui ex Nobilibus constabat, exercitu, ægre, mutato amictu, paucorum virtute servatus, vitæ periculum evasit. b)

Felicius sequente anno bellum contra Tartaros gestum, quos, cum rapinarum causa Hungariæ ingruerent, insigni clade profligatos, in fugam conjecit. Hoc perfunctus, causam suam apud Pontificem de Principatu Salernitano, & adnexa ei ditione, instauravit, 1331.

 quem

a) Ibiden.

b) Thurocz Par. II. c. 97. & regis litt. an. 1333. apud Pray Par. II. pag. 25.

1331. quem ut impetraret, nihil jam obstare videbatur, quod Carolus Calabriæ Dux, unicus Roberti regis filius, triennio abhinc defunctus, & regnum Siciliæ ad lineam femineam devolvendum, esset. Pontifex quidem propterea, sed irrito eventu, litteras ad Robertum dederat, monuitque, ut Carolo, nisi quid obstaret, ea in re gratificari vellet. a) Forte, ne id fieret, ipsius Pontificis intererat, cum, si Principatus Salernitanus, cum honore montis sancti Angeli, in Caroli, ejusque filiorum jus transiret, verendum fuerit, ne a Siciliæ regno, clientelæ sedis Apostolicæ obnoxio, sensim avellatur. Ut tamen æquitatis haberet rationem, simul etiam caveret, ne quidquam ex regno Siciliæ aliquando decerpatur, mediam utrinque viam deligens, scripsit ad Sanctiam Siciliæ reginam, daret operam, ut inter suam neptem Joannam, & Andream Caroli regis alterum filium, nuptiæ in posterum tempus concilientur, ita futurum, ut & regis Hungariæ postulatis satis fiat, & regno Siciliæ integritas sua constet.

Nihil adversum hæc obmovendum Carolus censuit, dum hac ratione & filio suo, per quem regnum Siciliæ rursus stirpi suæ asserendum erat, & Dalmatiæ præterea ex hac sanguinis conjunctione, per Dalmatiam autem Hun-

a) Litt. Pontif. apud Raynald. ad an. 1331. & Pray l. c. pag. 29.

Hungariæ etiam, cujus ad pristinum statum reducendæ studio cum primis tenebatur, satis consultum videret. Eandem ob causam 1331.
fœdus, quod cum Friderico Imperatore olim pepigerat, a) cum ejus fratribus, Alberto, & Ottone, Austriæ Ducibus, innovavit. b) Quia vero prioribus pactis neutra pars alteri opem ferre obstricta erat, si bellum Bohemiæ inferendum esset, novas tabulas fœderis condidere, quibus sibi mutuo auxilia spondent, etiamsi arma in regem Bohemiæ corripienda essent. c)

X. Fœderi huic occasionem præbuit Rex Bohemiæ, qui Carinthiæ, & Tyroli, ad 1332.
quas Ducibus Austriæ jus erat, jam dudum inhiabat, veritus tamen rem armis experiri, arbitri interea partes inter Wladislaum Poloniæ regem, & Cruciferos milites, cum rege Carolo suscepit. Induciæ, utriusque studio, annuæ confectæ sunt, quibus nondum evolutis Wladislaus anno sequente obiit, eique Casimirus filius, Carolo per Legatum id cumprimis agente, subrogatus est, d) quo 1333.
ab Ordinibus confirmato, Rex iter in Siciliam cum

a) Hujus mentionem facit Rex in litt. an. 1331. apud Pray l. c. pag. 30.

b) Anton. Steyrer in rebus Alberti II. addit. ad c. 1. col. 34. apud Pray l. c. pag. 30.

c) Idem apud eund. pag. 31.

d) Dlugossus l. 9. col. 1027.

cum Andrea filio fuscepit, ut se de nuptiis,
1333. inter hunc, & neptem Sanctiæ reginæ olim designatis, certiorem redderet. Modrusiam ex itinere divertens, Spalatensium, quorum præcipua in Dalmatia erat auctoritas, Legatos liberaliter accepit, eisque concessa ab Hungariæ regibus privilegia confirmavit. *a)* Inde Venetis, qui, cur Rex in Italiam proficisceretur, non ignorabant, metus injectus, ne ex conjunctione utriusque regni ea, quæ turbulentis temporibus in Dalmatia occuparunt, aliquando amitterent. Modrusia in Apuliam delatus, re, cujus causa venerat, cum Roberto rege confecta, Andream filium, septennem puerum, Joannæ, Roberti, & Sanctiæ nepti, die 27. Septembris despondit. *b)* Sponso abhinc titulus Ducis Calabriæ inditus est.

Non minor ei cura de filio Ludovico fuit. Etsi enim sciret, successionem suæ stirpi, in ipsa sui electione ab Regni Ordinibus, edito Decreto, confirmatam esse, ne tamen a suo obitu inter filios, Stephanus enim hoc anno ei recens natus erat, dissidia orirentur, aut Ordinum studia in contrarias partes abirent, optabat, ut Ludovicus, se adhuc vivo, Rex Hungariæ coronaretur. Cum Pontifex per id tempus Avenione morare-

a) Apud Lucium l. 4 c. 15.
b) Willanus apud eundem. ibid.

raretur, dedit ad eum litteras, quibus, quid cuperet, eidem significavit, qui regis deside- 1333.
rio libenter annuens, scripsit ad Archiepiscopum Colocensem, ejusdemque suffraganeos, Varadinensem, & Zagrabiensem Episcopos, ut, si Archiepiscopus Strigoniensis, ad quem ceteroqui jus coronationis pertineret, regi eatenus nollet obsequi, quemcunque ex his tribus sive Rex, sive filius deligeret, is functionem coronationis ritu solito peragendi potestatem habeat. a)

Reduci ex Italia, prope erat, ut bellum cum Stephano Dusciano, Serviæ Despota, 1334.
qui ditionem suam ultra limites proferebat, confectum fuerit. Frustra commonito, ut a proposito desisteret, facto militum delectu, arma opponere decreverat, sed ubi comperit, juniorem Palæologum ingenti cum apparatu, Stephano suppetias venire, ne sibi cum Græcis eodem tempore res esset, copias in stativa reduxit, b) quas sequente anno utilius in Tartaros, Hungariam incursantes, convertit, quibus profligatis, & regno ejectis, 1335.
c) amicitiam cum Bohemiæ rege, quem alias ex fœdere, cum Austriæ Ducibus inito, excluserat, iisdem conditionibus, in quas decen-

a) Litt. Pontif. apud Raynaldum ad an. 1333. & Pray Par. II. pag. 35.
b) Cantacusenus l. 2. c. 25.
c) Raynald. apud Pray Par. II. pag. 35.

1335. cennio ante conventum fuerat, instauravit, a) eumque Casimiro, Poloniæ regi, utroque in Hungariam invitato, conciliavit. Leges conciliationis hæ erant: Rex Bohemiæ, titulo regis Poloniæ, & juri in Gnesnensem, Calissiensem, aliasque inferioris Poloniæ urbes, renunciet, & litteras renunciationis edat, Carolo regi consignandas, Casimirus autem sex millia marcarum regi Bohemiæ dependet, harum vero vadimonium rex Hungariæ in se recipiet. b)

Aliud quoque fœdus inter Hungariæ, & Bohemiæ, reges, hujus item filios Carolum Marchionem Moraviæ, & Joannem Carinthiæ Ducem, eodem tempore initum; quo sibi vicissim auxilium contra hostes, alterutrius regna invasuros, similiter profugos, si qui fuerint, utrinque reddituros, polliciti sunt, &, ut fœderi stabilitatem conciliarent, id ad utriusque paciscentium hæredes eadem ratione pertinere volebant. Illud præterea adjectum, ut, si regi Hungariæ, ejusque hæredibus discordia, bellumve, cum Alberto, & Ottone Ducibus Austriæ, vel horum posteris oriretur, nefas sit, cum eis pacem conficere, nisi regis Bohemiæ, vel illius hæredum, consen-

a) Dobner Monument. inedit, Tom. IV. pag. 297. & Katona, Tom. IX. pag. 67.

b) Tabulas exhibet Lunig Cod. Diplom. Germ. Tom. I. col. 1014. & 1015.

ſenſus accedat. Ceterum, ex numero hoſtium Rex Hungariæ, præter Caſimirum Poloniæ, & Robertum Siciliæ, reges, eos quoque Principes, qui Roberto, ſibique in Italia conſanguinitate juncti eſſent, exemtos voluit. a) 1335.

Præterea, quoniam arbitrium componendæ litis, quæ inter Caſimirum Poloniæ regem, & Magiſtrum militiæ Ordinis Teutonici interceſſerat, Hungariæ, & Bohemiæ regibus delatum eſſet, placuit utrique, ut hæc quoque prius, quam reges Viſſegrado diſcederent, ex æquo dirimatur. Diſsidii cauſa a controverſo jure in Culmenſem, Dobrizinenſem, Cujaviæ, Pomeraniæ, & Thorunenſem provincias, petebatur. Habita igitur inter ſe deliberatione, & partibus conſentientibus, Pomerania Magiſtro Ordinis attributa eſt, ceteræ vero provinciæ Caſimiro obvenere. b) Nihil mirum videri debet, Carolum tam contento ſtudio ad liberandam a jure Bohemico Poloniam, egiſſe, cum jam tum illius, cum Hungaria aliquando conjungendæ, ſpem concepiſſe videatur. Huc ſpectabant, præter quingentas marcas auri puriſsimi, quas regi Bohemiæ dederat, ſumtuoſa prorſus ex

a) Apud Dobner Monument. ined. Tom. IV. p. 297. Item apud Lunig, T. cit. col. 1011.

b) Conditiones fœderis exſtant apud Dlugoſſum hiſt. Polon. l. 9. & apud Pray annal. Par. II. pag. 36. item apud Katona, Tom. VIII. p. 78.

ex argento vaſa, aliaque unionibus, & mar-
1335. garitis exornata munera, quibus utrumque regem, & Carolum Marchionem Moraviæ, regia munificentia excultos, Viſſegrado ab ſe dimiſit. *a)*

XI. Conciliata in hunc modum inter tres
1336. reges amicitia, præter opinionem lis, quæ omnibus communis eſſet, cum Auſtriæ Ducibus oborta eſt. Hi Carinthiam, quam Rudolphus Cæſar Maynhardo, Tyrolenſium Comiti, ea conditione tribuerat, ut, ſi ſine hærede mare obiret, provincia ad Duces Auſtriæ devolvatur, defuncto nuper Duce Carinthiæ, partem ſuæ hæreditatis eſſe, Joannes vero, Bohemiæ Rex, ultima defuncti patris voluntate, ad filiam Margaretham, quæ Joanni filio ſuo deſponſa erat, pertinere contendebant. A litis contentione, ad arma itum. Hungariæ, & Bohemiæ reges ditioni Ducum, quam Polonus, vicinores, copias ſuas ex pacto Auſtriæ immiſerant. *b)* Carolum id præcipue irritaverat, quod Ludovicus Imperator, jus feuda in Hungaria conferendi, ſibi arrogarit, idque in Duces Auſtriæ tranſtuliſſet. *c)* Vaſtata hoſtiliter, ut fit, provincia, cum Imperator Ducibus auxilio veniret, uterque militem retraxit, paulumque poſt induciæ inter regem, & Duces

a) Thurocz Chron. Par. II. c. 97.

b) Chronicon Salisburg. apud Hier. Pez, Tom. I. col. 411.

c) Vid. documentum apud Pray P. II. pag. 38.

ces a 15. Decembris, ad diem Pentecoftes futuri anni, Laureaci coaluerunt; ne quid autem interea difsidii interveniret, tres limitum Præfecti a rege, & totidem a Ducibus conftituti funt, duo cis, ultraque Danubium verfus Auftriam, tertius, qui ad Stiriæ, & Carinthiæ confinia excubarent: captivi utrinque dimifsi, libera mercatorum in utriusque ditionibus commeatio indulta, & Hungaris, qui ad Ducum partes fecefferant, venia transfugii data. *a*) 1336.

Ex induciis facile anno infequente pax conflata, & litteris editis confirmata fuit. Rex non modo fœdera prius cum Auftriacis inita, rata habuit, fed, quod præcipuum discordiæ caput erat, caftrum etiam *Svarczenbach*, Ducibus fe redditurum pollicitus eft, & hi vicifsim juri in arcem *Anchenftein* renunciarunt. *b*) Sopito feliciter difsidio, incefsit regem ea cogitatio, ut rationem fecum iniret, qua regnum Poloniæ, Cafimiro enim hactenus hæres nullus erat, fine armis, nullaque vicinorum Principum invidia, Hungariæ conjungi poffet. Unicus Bohemiæ Rex, qui nuper juri fuo in id regnum renunciaverat 1337.

a) Diplomatar. Stiriæ inter Seecovienfia N. 171. & apud Pray l. cit. pag. 39. & 40.

b) Ant. Steyrer, commentar. pro hift. Alberti II. in addit. ad c. 1. & ex hoc Pray Par. II. pag. 41.

rat, destinationi huic obstare posse videbatur.
1337. Hunc igitur, ne sibi impedimento esset, arctiore, quam per fœdus proxime initum, vinculo sibi obstringendum putavit. Erat Carolo Marchioni Moraviæ filia Margaretha, hæc si filio suo Ludovico, rege Bohemiæ non invito, desponderetur, rem non difficulter confieri posse, sperabat. Egit propterea per
1338. Legatos, nec repulsam passus est. Conscripta sunt pacta nuptialia, & juramento utrinque firmata: Marchio filiæ decem, & Carolus pro Ludovico quindecin millia marcarum argenti, dotis, & dotalitii munus, sponderent, Sponsa intra anni spacium, ducto a die beati Michaelis archangeli initio, Brunam, & hinc in Hungariam, modo ne corporis defectum habeat, traducatur, ut moribus, & linguæ gentis sensim consuescat: ad hæc, ut fidejussores, & pignora statuerent, Marchio in Moravia, & Rex in Hungaria: additum præterea defensionis mutuæ fœdus, & amicitia inter utriusque regis familiam, Carolum Marchionem, & Joannem Ducem Carinthiæ, Joannis Bohemiæ; tum Ludovicum, Andream Calabriæ Ducem, & Stephanum, Caroli Hungariæ regis, filios constabilita. a) Hinc pro-

a) Apud Ludewig, Reliqu. Mss. Tom. V. pag. 487. *Actum, & datum in Wissegrad, Dom. Invocavit.* 1338. Videtur Ludovicus vel hoc, vel

pronus ad transactionem de Polonia gradus est factus. Marchio fide juramenti interposita pollicitus est, se, suosque hæredes omnem conatum adhibituros, ut, si Casimirus Rex Poloniæ nullum hæredem relinqueret, Rex Hungariæ, hujusque hæredes, Poloniam consequantur; etiamsi matrimonium, inter utriusque proles stipulatum, non coalesceret: Rex Hungariæ vicissim suo, suorumque hæredum nomine promiserat, se Casimiro, si hic jura, quæ regi Bohemiæ, hujusque hæredibus cesserat, sibi vendicare tentaret, nullum auxilium daturos, idemque se, si Poloniam adepti fuerint, eadem fide præstituros esse. a) 1338.

XII. Tot cum exteris Principibus confœderationes, quas familiæ suæ, regnique causa inierat, regem a curanda domi re publica tantisper abstraxerant, & erogationes, quas illarum causa fieri necesse fuit, ærarium fere eva-

vel priore anno, jam coronatus fuisse, cum in eodem documento Rex his verbis loquens inducatur: *Virginem præcellentem, dominam Margaretham, filiam domini Caroli Marchionis Moraviæ, nomine dicti Ludovici, primogeniti nostri, ac pro ipso nunc recepimus — legitime in uxorem nostri Ludovici, primogeniti nostri, regis Hungariæ, &c.*

a) Goldastus in append. document. Datum idem est.

evacuabant. Ad id reparandum usus est remedio, quo multorum, eorumque inprimis, qui Ecclesiastici Ordinis erant, animos a se avertit. Archiepiscopis mandatum, ut ducentas, Episcopis vero, ut quinquaginta argenti marcas, ineunte quovis anno, xenii instar, ærario regio inferrent. Accedebat & illud, quod Episcoporum bona post obitum homines regii, specie administrationis importune se ingerentes, invaserint, & non tam Fisco regio, cujus nomen referebant, quam sibi ex illis lucri compendia facerent, ut sæpe vix tantum relinquerent, quantum Episcopi humando corpori satis esset. Comitia quoque, in quibus Ordines huic rapacitati modum ponere poterant, in dies differri, aut vix unquam conciri solebant. Cum igitur domi huic malo nullam medelam viderent, communi nomine litteras, querelarum plenas, ad Pontificem dedere, rogabantque, ut regem de his molliter admoneret, ne irritatus graviora forte in se statueret. Fecit, quod rogatus erat, regemque hortatus est, ut a cœpto desisteret, eaque, quæ Nationi in aditu regni promisisset, opere ipso præstaret, si modo, quæ ad se afferebantur, vera essent. *a*) Quo animo litteras Pontificis acceperit, compertum non est, illud constat, regem, seve-

1338.

a) Raynaldus ad an. 1338. Nro. 24. & ad an. 1339. apud Pray Par. II. pag. 46. & 47.

severam epistolam ad Archiepiscopum Strigoniensem, ceterosque antistites dedisse, qua decimam Pontificiam accurate persolvi jubet, ni faxint, graviter se offensum iri significans, incertum, an Pontifici ea re gratificari, an vindictam, a qua nec reges solent immunes esse, ex Episcopis voluerit sumere. *a*) 1338.

In Dalmatia quoque Neliptii factio majora interim, rege fœderibus pangendis occupato, incrementa sumserat, qui cupiditate ditionis proferendæ ductus, Sibenicenses, Tragurinos & Spalatenses, in armorum societatem, quasi eorum fortunas contra Breberienses Comites tuiturus, pellexit. Hac simulatione ambitiosi hominis seducti, icto fœdere, se ei contra hostes, certo militum numero, adjutores futuros, rege solum Hungariæ, & Venetis exceptis, promisere. Carolus cognito, nec enim aliud erat, hominis dolo scriptis ad Tragurinos litteris, eos datæ fidei admonuit, simul Corbaviæ Comiti in mandatis dedit, ut civibus contra Neliptii molitiones auxilio ve-

 niret,

a) Raynald. ad an. 1338. & 1339. verisimilior causa fuit, quod tertia collectionis pars ad regem pertinuerit, ut est apud Koller hist. Ep. Quinqueeccl. Tom. II. pag. 476. & Katona Tom. IX. pag. 237. idcirco, ut hanc diligentius exhiberent, urgebat. Vid. etiam Pray præfat. ad Diatribem de S. Ladislao rege.

niret, se ipsum propediem in Dalmatia, ad componendos civium animos, affuturum. *a)*

1339. XIII. Cum autem interim nuncium a Casimiro rege Poloniæ ad se perlatum esset, illum in Hungariam parare, domi resistere coactus, apparatum ad eum pro dignitate accipiendum fieri jussit. Causa adventus hæc erat. Cum hactenus hærede masculo careret, nec spes illius ulla esset, Conventum Ordinibus Cracoviam indixit, ut de successore sibi subrogando in commune cum iis conferret. Supererant quidem plures, qui eandem cum familia regia originem habebant, Janussius & Semovitus Mazoviæ, tum Wladislaus Oppoliæ, Duces, in quos non exigua Polonorum pars cum vulgo, qui ab extero Principe abhorrebant, propendere videbatur. Aliter tamen regi, & qui ab intimis ei consiliis erant, visum. Oppoliensis, quod se sponte Bohemorum regis clientelæ dediderit, indignus habebatur, qui Polonis imperet, per Mazovienses autem, utervis optaretur, cum ceteroquin regis feudatarii sint, nihil commodi regno, nihil dignitatis etiam nationi accessurum; talem igitur eligendum, qui istis in utroque præcellat, qualis Ludovicus regis Hungariæ filius esset, sorore Casimiri natus, cui vel ipsa nascendi conditio, jus proximum suc-

a) Lucius de regno Dalm. l. 4. c. 14. & Mem. istoriche di Tragurio, c. 4. pag. 216.

ſucceſsionis tribueret. Itum ab omnibus in hanc ſententiam eſt, præſertim cum perpenderent, quicunque ex Ducibus illis deligeretur, facile inter æquales difsidia oriri, & ex his regnum calamitatibus involvi poſſe, quibus vicini Principes fere in ſuum lucrum uti ſoleant, quos Ludovicus, cum patri ſucceſſerit, in conjunctione utriusque regni, a cupiditate invadendi aliena coercere poſsit. Caſimirus explorato ſuorum conſenſu, & præmiſſo in Hungariam nuncio, ductis ſecum regni Primoribus, qui nomine Nationis teſtes transactionis eſſent, Wiſſegradum Nonis Julii attigit, habitaque cum Carolo, & utriusque gentis Ordinibus deliberatione, Ludovicum, conditionibus in tabulas relatis, hæredem Poloniæ, &, quæ ad illam pertinent, provinciarum, conſtituit, *a*) jure ſucceſsionis ſolum ad ejusdem filios, legitimo thoro natos, excluſis feminis, reſtricto, quod tamen poſtea, ut in loco dicetur, *b*) unanimi Polonorum conſenſu, etiam ad illius filias traductum fuit. 1339.

Poſtquam reges, transactione mutuo conſenſu peracta, ab ſe divulſi ſunt, intellexere, ſibi ab *Uzbego*, Tartarorum, qui Crimæam incolunt, Chamo litem Romæ moveri. Miſerat 1340.

D 3

a) Dlugoſſus l. 9. col. 1055. & Thurocz Chron. Part. II. c. 98.

b) Nempe ad an. 1374.

ferat is ad Pontificem, Petranum de Lorto;
1340. olim Caphæ dominum, & Albertum, quibus ſe Elias quoque Ordinis Minorum ſacerdos, *Tynibegi*, Uzbegi filii, nomine adjunxerat, ut de injuriis, quas Hungariæ & Poloniæ regum Præfecti limitanei, ſuæ ditioni inferebant, quererentur, rogarentque, ut illos ſua auctoritate ab his deinceps inferendis cohiberet. Cum nuncii, utra ex parte occaſio injuriis primum data ſit, rationes non ſatis expeditas haberent, nec credibile videretur, Principes Chriſtianos ſine cauſa a religione ſua diverſos laceſſere, reſpondit Chamo, ſi ſuos ab invaſionibus alienæ ditionis continuerit, ſe itidem facturum, ut uterque Rex ab inferendis porro damnis ſe abſtineant. *a*) Cum hoc reſponſo dimiſsi ſunt, nec quidquam dehinc ab Uzbego propterea obmotum eſt.

Ceterum regi non tam cura de Uzbegi
1341. querelis fuit, quam ut cum Alberto Duce Auſtriæ amicitiam, quæ ob illata utrinque damna, aliquamdiu interrupta fuit, redintegraret. Uſus eſt opera Caroli Marchionis Mo-

a) Wadingus ad hunc an. apud Pray Diſſertat. 7. in annales vet. Hunnor. &c. pag. 142. Cum Tartari Crimæani ditionem ſuam ad id tempus ultra Boryſthenem non protulerint, oportuit Beſarabiam illis finitimam juris Hungarici fuiſſe,

Moraviæ, a) cujus consilio arbitros utrinque constituere placuit. Rex Hungariæ tres ex 1341.
Austriæ, totidem Albertus ex Hungariæ Optimatibus, deligerent, isti Heimburgum, illi Posonium se conferrent, & medio utrobique loco coeuntes, quod æquum iis videretur, decernant, quodve decrevissent communiter, ratum, firmumque utraque pars habeat. b) Marchio, redintegrata inter utrumque vetere amicitia, Pragam profectus, quod alias cum Casimiro Poloniæ rege sanxerat, fœdus instauravit, quo alter alteri contra quosvis hostes auxilium polliciti sunt, de rege tamen Hungariæ Casimirus speciatim cautum voluit, ut, si Marchio terras illius impeteret, sibi integrum sit, Hungaro suppetias ferre, & vicissim, si hic Moraviam aggrederetur, Marchionem omnibus viribus adjuvare. c)

XIV. Atque id non imprudente rege Ca- 1342.
rolo factum, de quo periculum non erat, ut alterutrum bello peteret, cum utrique pluribus fœderibus per solennia pacta conjunctus esset, per quæ cum hactenus non solum fa-

---

a) Carolus in commentar. vitæ suæ, pag. 102. *Abinde veni Bozoniam, quæ est in metis Hung. & Austriæ, & concordavi regem Hung. cum Duce Austriæ.*

b) Steyrer lib. cit. apud Pray annal. Par. II. pag. 49.

c) Apud Ludewig, Reliq. Mss. Tom. V. pag. 501.

milia fuæ, fed regno quoque adverfus exteros
1342. hoftes fatis confultum videret, intermiffas aliquamdiu curas domi refumfit. Jam antea judiciorum formam, Gallicanæ pene fimilem, regno invexit, a) & barbarum illum morem, explorandæ per ferrum candens, & ferventem aquam, veritatis, abrogavit, b) monomachiam tamen, in dubia alias lite adhiberi folitam, tollere non potuit, quod militari Nationis genio quafi congenita effet. Supererat aliud, graviusque in rem publicam manans vitium, depravata moneta, quæ impeditam domi rerum vendendarum, difficilem commercii cum exteris rationem, reddidit. Malum hoc jam poft Belam I. difsimulatione, aut incuria regum irrepfit, quod Andreas II. condita lege c) quidem correxerat, verum fub Bela IV. qui poft Tartarorum irruptionem primus omnium cupream feriundam curavit, re monetaria Judæis commiffa, d) rurfus invaluit. Accedebat illud quoque, quod reges monetam, ejusque ufum ad certum tempus defi-

a) Werböcz Trip. Par. II. Tit. 6. §. 12.

b) Kittonich Direct. method. c. 1. Quæft. 9. §. 5.

c) Bulla aurea Andreæ II. an. 1222. art. 23. *Denarii tales fint, quales fuerunt tempore regis Belæ.*

d) Patet id ex privilegio illius, quod Judæis an. 1251. concefsit, & Sigismundus, Albertus, ac Corvinus ex parte confirmarunt.

defigerent, a) quo elapſo nova, eaque fere deterior b) ſuccefsit. 1342.

His incommodis Carolus volens conſulere, decretum edidit, c) quo mandat, novos Cremnicii *denarios* probæ uſtionis cudi, quorum ſex unum *groſſum*, qui ad morem Bohemicum *latus* dicebatur, nonaginta autem, florenum auri d) æquarent, quorum cum ingens

a) Bulla aurea cit. *Nova noſtra moneta per annum obſervetur a Paſcha usque ad Paſcha.*

b) Litt. Belæ IV. an. 1255. *Tempore novæ monetæ, dum celebris eſt ipſa moneta, de menſura 4. garlarum, unum denarium recipiant* (tributi collectores) *cum autem denarii incipient deſcendere pro 3. garlis, unum denarium &c.*

c) Exſtat in Corpore juris patr. Tom. I. pag. 159. edit. 1779.

d) Monetam auream, regis nomine inſignitam, primus regum noſtrorum Carolus cudi fecit, prius enim in uſu erant aurei Byzantini, qui nomen ab Impp. acceperunt, ut *Conſtantiniani, Romanitici &c.* Cartha Martini Comitis an. 1150. *Inſuper dedi — 70. Bizancios Romaniticos, unam marcam argenti, & dimidiam, & argentum cuſum.* Denarii non ſemper eodem numero æquabant fl. auri. Sub Maria regina an. 1384. denarii 100. *Koronás* dicti. Sub Sigismundo an. 1407. fl. brevis 116. den. valuit, &

ingens copia excusa esset, designata sunt plura per regnum loca, in quibus tam priores
1342. demesticæ, quam exterarum Nationum monetæ, cum nova permutarentur, ex quibus, deducto impendio, octingentarum marcarum lucrum Cameræ regiæ accesserat. Statutæ etiam pœnæ in eos, qui alibi, quam in constitutis locis, monetas abrogatas permutarent, ne autem novæ monetæ accideret, quod antiquatis, mandatum, ut denarii certis notis insignirentur, ut, si forte reperirentur non esse justi valoris, facilius, a quo percussi essent, ad pensandum damnum cognosci possit.

Hoc ei, quod in commodum rei publicæ præstitit, supremum erat, sexto post mense, XVI. Julii, cum crebro podagræ doloribus vexaretur, exstinctus, & Albæ regiæ conditus. Defuncto Pontifex Avenione, & Albertus Dux Austriæ, in Carinthia tum commoratus, parentarunt, Casimirus autem Rex Poloniæ, & Carolus Marchio Moraviæ, in Hungariam profecti, magnificas exequias Vissegradi habuere. *a)* Rex de Hungaria optime meritus, quam

---

& an. 1410. 1413. grossus 7. denarios, & 400. den. *quadring* dicti, valebant 100. majores, & hi fl. auri. Sub Mathia Corvino an. 1458. den. 200. & 1462. valebant 300. unum fl. auri.

a) Dlugossus l. 9. col. 1064. Thurocz, Chron. Par. II. c. 99. & Chron. Ms. Trautmonst. l. 6. c. 10.

quam partim æmulorum, quos habuit, ambitione, partim inteftinis factionibus jam ab 1342.
obitu Stephani V. labefactatam repererat, a ruina fervavit, plus fine dubio de illa meriturus,

---

c. 10. pag. 438. Conjuges habuit tres, ex poftrema quinque filios habuit, horum, & conjugum nomina, & matrimonii tempus, Chron. Ms. Bibl. Ven. Capituli Pofonien. Num. 80. fub Carolo confcriptum, in hæc verba meminit. *An. domini M. CCC. XVI. Domina Maria prima confors domini regis, natione Polona, tertia die poft feftum S. Luciæ in Tumusvar vitam præfentem feliciter terminavit, in Alba regali eft fepulta. — An. domini M. CCC. XVIII. accepit Rex dominam Beatricem, filiam regis Romanorum, fororem regis Bohemorum, quæ in revolutione ejusdem anni, obdormivit in domino, & Varadini in ecclefia Cathedrali tumulatur. — An. domini M. CCC. XX. accepit Rex filiam Ladislai* (Wladislai) *Polonorum* (regis filiam) *Elizabeth nomine, de qua an. domini M. CCC. XXI. filium* (Carolum) *habuit, qui eodem an. mortuus eft & Albæ fepultus — An. domini M. CCC. XXIIII. in Wiffegrad in fefto S. Remigii de eadem regina habuit filium nomine Ladizlaum. — An. domini M. CCC. XXVI. natus eft eidem regi filius, quem nomine confanguinei fui Loys appellavit.* Hactenus Chron. quod definit in infelici expeditio,

1342. turus, si majorem Dalmatiæ, & in hac comparandæ classi, curam adhibuisset, qua semel constituta, non modo Andreæ filio Siciliam, & successoribus suis Dalmatiæ possessionem firmasset, sed exemplo quoque Venetorum, & Genuensium, qui soli per id tempus ex Asiæ, & Africæ mercibus immensas divitias collegerant, propagato, ut illi, per Syriam, & ad Tanaim, ex ipsa maris opportunitate, & regnorum, quæ ei parebant, ubertate, commercio, Hungariam posteris suis multo felicissimam relinquere poterat.

L U-

ditione Caroli contra Valachos. De Andrea, & Stephano testatur Thurocz l. cit. Colomani ex illegitimo thoro nati alias memini. Filias, quod sciam, nullas reliquit. Auctoritate Chron. cit. inductus, *Catharinam*, quam aliqui primam ei conjugem tribuunt, omisi, quam autor illius ignorare non poterat.

LUDOVICUS I.

Ab Anno 1342. — 1382.

I. Sexto poſt patris obitum die, mira omnium conſenſione coronatus, patrimonium adiit, a) interque primas curas, pacta nuptialia, quæ pater cum Carolo Marchione Moraviæ inierat, complexus, per Legatos cum eo egit, ut matrimonium, quoniam ſponſa nondum matura viro erat, in quadriennium differretur, interpoſita juramenti fide, ſpondens hoc evoluto, ſervatis, in quas ante conventum erat, conditionibus, ſe eam in thorum inducturum. b) Dehinc ad reparandum ærarium, quod pater ob immenſas in exteros largitio- 1342.

a) Litt. Pauli Jud. Cur. an. 1343. *D. Ludovicus Rex in patrimonium regni Hung. jure, & ordine geniture ſibi debitum ſuccedens — die Dominico proxime ante feſtum B. Jacobi præterito fuiſſet coronatus &c.* Secundum id, quod regni Ordines in electione Caroli promiſere his verbis: *dominum noſtrum Carolum, ac poſteritatem ejus, prout regalis ſucceſsio exigit, in regem Hung. ac naturalem dominum perpetuum ſuſcipimus &c,* Vid. Notit. præv. §. 3

b) Ludewig Reliqu. Mſs. Tom. V. pag. 492. *Dat. in Viſſegrad in feſto inventionis corporis B. Stephani Protomartyris* 1342. ſeu 3. Aug.

gitiones fere exhauserat, mentem advertens,
1342. jura sua regalia, nondum enim terræ, a castris regiis olim avulsæ, omnes restitutæ erant, constitutis judicibus, in integrum restitui jussit, *a)* & prodigas Andreæ III. donationes nullius roboris esse declaravit. *b)* Id cum Saxones Transsilvani ægre ferrent, negato censu annuo res novas moliri cœperunt, qua detre-
1343. ctatione offensus, ut malum, facile ad alios manaturum, in ipso ortu opprimeret, magnis itineribus in provinciam contendens, refractarios ad obsequium reduxit. *c)* Vicinum regem cum copiis, Bezaraba Transalpinus Wayvoda, memor injuriæ, quam Carolo regi intulerat, veritus, sponte sua adiit, oblatisque muneribus, in fide illius se mansurum promisit. *d)* Adhuc isthic morantem, ut res provinciæ coordinaret, mors Roberti, Siciliæ regis, in Hungariam revocavit.

Con-

a) Litt. Pauli, vice Comitis Comitatus Hontensis an. 1347. *Quod cum nos ex mandato — domini Ludovici — regis pro juribus, & possessionibus regalibus; in ipso Comitatu exquirendis — in villa Hidvégh congregationem celebrassemus &c.*

b) Ibid. *Licet dominus Carolus Rex — & demum Ludovicus Rex, regni gubernaculo ad ipsum devoluto, litteras, & privilegia — Andreæ regis — minime acceptassent, &c.*

c) Thuroczii Continuator. Chron. Part. III. c. 2.

d) Idem. c. 3.

Condiderat is testamentum, quo Joannam, neptem suam, Siciliæ hæredem ex asse scripserat, cui, si sine legitimis liberis decederet, Mariam ejus sororem voluit succedere, quæ, si nuptiæ cum Margaretha, nepte Bohemorum regis, juramento firmatæ non coaluerint, Ludovico Hungariæ regi, sin contra, Philippi Francorum, primo, vel secundo genito nuberet: Andreæ vero Joannæ marito Principatus Salernitanus obveniat, cujus proventus si bis mille auri uncias non æquarent, aliunde compensentur, ab administratione vero regni eousque cum Joanna conjuge abstineret, donec uterque vigesimum quintum ætatis annum compleverint, interea autem in tutela Sanctiæ reginæ, eorumque, quos voluntatis suæ executores constituerat, manerent, quorum curæ erit, ne comitatus *Provinciæ*, & *Folcalquirii*, unquam a Siciliæ regno avellantur. *a*) Hanc dispositionem 1343.

a) Lunig, Cod. Diplomat. Italiæ Tom. II. col. 1102. Comitatum *Provinciæ*, & *Folcalquirii*, quos olim Raynaldus Berengarius ab Impp. dono acceperat, Rudolphus Cæsar an. 1280. V. Kal. Apr. Carolo Comiti Andegavensi, ac hæredibus illius in feudum Imperii Germ. contulit, ut est apud Lunig, T. cit. col 986. quos deinde Robertus Siciliæ Rex an. 1306. d. 14. Febr. Pedemontio conjunxit, apud eund. Lunig

nem Ludovicus, ſpectata ſanctione pragma-
1343. tica de jure ſucceſsionis a Clemente IV. conſtituta, ſuam, fratrisque ſui injuriam interpretatus eſt. Cum enim Pontifex hoc ſolum pacto Siciliam Carolo I. Andegavenſi Comiti contulerit, ut, ſi plures mares lineæ rectæ exſtarent, ſemper primogenitus, nullo autem ſuperſtite, ex filiabus ejusdem lineæ itidem primogenita, in regno ſuccederent, a) jus ſucceſsionis ad ſe pertinere, exiſtimabat, nec in Caroli Claudi, abavi ſui, ut defuncto Carolo Martello, avo ſuo, prærogativam primogenituræ in Robertum ſecundo geni-

nig Tom. cit. col 1058. Comitatus *Avenionenſis* vero eſt pars Comitatus *Provinciæ*, atque ex hoc capite Ludovicus jus ſuum in Avenionem repetebat, tamquam feudum Imperii German. quod feminas a ſucceſsione excludit.

a) Bulla Clementis Papæ IV. an. 1265. IV. Kal. Martii, apud Lunig, Tom. cit. col. 946. Verba Pontif. ſunt: *Si enim Comes* (Carolus Andegavenſis) *ipſe regnum a nobis receperit, deſcendentes per rectam lineam ex eodem, & ipſius hæredibus, Siciliæ regibus, mares, & feminæ in eodem regno ſuccedent, ſic tamen, quod de liberis duobus maribus in eodem gradu per eandem lineam concurrentibus, primogenitus, & de duabus feminis primogenita, & de mare & femina in eodem gradu ſimiliter concurrentibus, maſculus omnibus aliis præferatur.*

genitum, nec in hujus poteſtate fuiſſe, ut id
excluſo fratre ſuo Andrea, qui Joannæ matrimonio junctus erat, contra Clementis IV. inſtitutionem, ad lineam femineam transferret. 1343.

Certus igitur jus ſuum perſequi, orabat Eliſabetham matrem ſuam, ut in Italiam maturaret, ac rebus filii interim conſuleret. Sagax mulier, ut primum navibus Jadrenſium *a*) in Apuliam, indeque Neapolim venit, facile intelligebat, mali originem inde manare, quod Andreas nondum inauguratus eſſet. Miſit igitur Avenionem Nicolaum Hungariæ Palatinum, additis collegis, Vito Nitrienſi Epiſcopo, & Paulo Comite Curiæ regiæ, ut filio, impetrata a Pontifice ætatis venia, inaugurationis ſolennia ſuſcipiendi poteſtas fieret. Ipſa interea religionis cauſa Romam profecta, factisque, pro more ætatis illius, immenſi precii donativis, Neapolim redux, ſedatis utcunque inter filium, & nurum diſsidiis, tametſi ex ambitione impotentis mulieris facile provideret, concordiam non diuturnam fore, in Hungariam reverſa eſt. *b*)

II.

a) Lucius L. 4. c. 15.

b) Contin. Chron. Thurocz, ſive Joan. Archidiaconus, qui regi a ſecretis erat, Part. III. chron. c. 4. & Dominic. Gravina in Chron.

E

II. Legati interea, cum apud Pontificem
1344. jus ſucceſsionis in Siciliam Ludovico aſſerere, fruſtra conati fuiſſent, ne nihil egiſſe viderentur, illud dabant operam, ut Andream, laxato ætatis, quod Robertus ſtatuerat, tempore, coronari pateretur, in quem finem quadraginta quatuor millia marcarum argenti, quin pro tanta ſumma mandatum haberent, nomine regis, jure jurando ſpoponderant. Pontifex, quoniam Joanna quoque, licet longe diverſis rationibus ducta, & Primores Siciliæ, idem flagitabant, datis ad Andream litteris, titulum regis, & facultatem, ut inauguraretur, eidem conceſsit. *a*) Ludovicus, ubi comperit, quid injuſſu ſuo Legati egiſſent, ne fratris cauſam deſeruiſſe videretur, corrogato per urbes, quæ regis, & reginæ peculium erat, argento, eoque ad Pontificem transmiſſo, fidem Legatorum liberavit, tametſi ægre ferret, quod jus ſuum ære ſibi vindicare cogeretur. *b*) Inanes tamen impenſæ erant. Joanna enim muliebri ſimulatione id agebat, ut amoto a regni adminiſtratione Aimerico Cardinale, rerum potiretur, quod ubi deluſo Pontifice conſequuta eſt, dedita opera coronationem differre, & diſtributis inter eos, quos ſibi addictos norat, primis regni

a) Raynald. ad an. 1344. apud Pray, Part. II. pag. 55.

a) Joan. archid. cit. c.

regni officiis, maritum ab administratione excludere, sensimque inita conjuratione, ab se etiam amoliri cogitabat.

Nondum Legati Avenione redierant, cum Rex se Bohemis consocians, in Lithuanos, 1345.
nullo tamen fructu, profectus est, ac mox Casimiro Poloniæ regi contra Bohemos ex fœdere suppetias misit, *a)* ipse excito cum suis copiis Stephano Bosniæ Bano, cum viginti millibus delectæ militiæ, in Croatiam contendens, cum aliquamdiu ad Bihacsium moratur, plerosque optimates, deditis cum Tinino reliquis castris, in fidem recepit. Soli Comites Breberienses, Venetorum amicitia freti, obsequium detrectabant. *b)* Jadrenses contra missis ad regem Legatis, se ejus clientelæ dedere rursum voluere, sed cum moras in itinere trahunt, Ludovicus rei ignarus, copias prius deduxit, quam illi adessent. Id illis, re comperta, crimini a Venetis datum. Dandulus Venetorum Dux, ut imparatos opprimeret, data ad cives epistola, eos in fide confirmavit, clam vero paratam classem, ductu Petri Canalis, urbi admoveri jussit, qui amicitiam simulans, cum aliquot ex Patriciis ad colloquium ex urbe elicuisset, captivos tam diu detinuit, donec Veneti, qui mercimonii causa apud Jadrenses age-

E 2 bant,

a) Id. ibid. c. 5.

b) Id. c. 7. & anonym. de obsidione Jadræ c. 4.

bant, cum suis fortunis indemnes dimitterentur, tum, nisi muros urbis demolirentur, bel-
1345. lum civibus denunciat. Hoc illi malebant, quam tam atroces dominos pati, factoque ad defensionem apparatu, Legatos Neapolim ad Andream, ignari, quam exiguo loco illius auctoritas isthic esset, pro classe, & ad Ludovicum auxilia, imploratum miserunt. a) Is, ut primum, quo in periculo cives essent, cognovit, data ad eos epistola opem pollicitus est, simul Stephanum Bosniæ, & Nicolaum Sclavoniæ, Banos, obsessis ut adessent, in Dalmatiam properare jussit. b) Atque hi quidem Venetorum conatus in continenti fortiter represserant, sed cum destituti classe essent, & præterea rumor in castris de cæde Andreæ percrebresceret, languentibus sensim operis, nihil ad summam rei effectum est, & cives Venetis se submittere coacti sunt.

Dolor non tam ab infelici expeditione, quam ex cæde fratris conceptus, regem vehementer consternavit, præsertim quod certis indiciis comperisset, paucis ante diebus, quam jussu Pontificis coronandus esset, a Joanna, specie venationis, *Aversam* eductum, sicariis proditum, & ab his laqueo suffocatum esse. c) Suppresso tamen mœrore, vindictam

a) Anonym. de obsidione Jadrensi. c. 10. — 14.
b) Idem c. 15. —17.
c) Gravina in Chron. de rebus in Apulia gestis, apud Muratot. script. Ital. Tom. XII. p. 553.

dictam alteri tempori ſervavit, datisque ad eos, quos fratri addictos noverat, litteris, postulabat, ut in ſicarios quæſtiones inſtituerent, ipſe interea Viennam, quo Ludovicus quoque Imperator venerat, profectus, fœdera cum Alberto Auſtriæ Duce inſtauravit, quibus de compenſandis utrinque damnis, & malefactoribus ab utriusque ditione arcendis cautum: *a*) amicitia quoque cum Imperatore inita, & de Margaretha ejus filia, fratri ſuo Stephano deſpondenda, conſultatum; *b*) tum, quo profectio imprimis ſpectabat, conſilium de communi in Italiam expeditione ſuſceptum, ad quam Lombardi etiam, qui vicinam Pedemontii partem ſibi ereptam ægre ferebant, invitati. *c*) 1345.

III. Pontifex, habito confœderationis hujus indicio, ut periculum ab Italia averteret, jam ante annum quidem per litteras regem commonefecerat, ut ſe ab Imperatoris, quem ſacris interdixiſſet, ſocietate abſtraheret, *d*) fruſtra tamen in eo mitigando operam locavit. Magis fraterna cæde ſaucius erat regis ani- 1346.

Villanus l. 12. c. 9. & ſeg. vid. Pray Par. II. pag. 62. — 68.

a) Ant. Steyrer in addit. ad vitam Alberti II. col. 187. apud Pray Par. II. pag. 68.

b) Steyrer ibid. ex Protoc. Ms. Alberti Ducis.

c) Baluſii Miſcell. Tom. I. pag. 245. & ſequ.

d) Raynaldus ad an. 1345.

animus, quam ut Pontificis admonitioni locum
1346. daret, &, ut primus doloris fenfus modum fere nefcit, per Legatos fuos in plectendis cædis autoribus defidiam non obfcure ei oggerere videbatur. Etfi enim hos facrorum communione privaffet, in Joannam tamen, quam præcipuam cædis caufam fuiffe, communis vox populi faceret, a) indulgentior effet,

a) Id ferius poftea Carolus Dyrrachinus, dum Ludovicum Andegavenfem an 1382. ad fingulare certamem provocavit, in hæc verba firmat: *& posé les cas que fon eut efté bon & valable*, *encor n'en pouvoit elle* (Reine) *frustrer les plus proches du fang de Charles, qui legitement fuccedoien à la couronne, & au fceptre de Naples, tutre qu'elle avoit efté declarée meutriere infame de fon mari, pour avoir mefchament & cauteleufement faict eftrangler d'un lacs & pendre aux feneftres de fon chafteau, André d'Hongrie fon premier, & legitime efpoux &c.* Lunig, Tom. II. cod. dipl. Ital. col. 1181. Clarius id Rex in fuis litt. *Quidam enim fceleratiffimi iniquitatis filii, & perditionis alumni, fummum cogitantes, & cogitatum audentes nefas perficere, prædictum Andream, adolefcentem ætate, moribus compofitum, geftuque modeftum, ac nullam in fe machinationem fieri, eum quafi in propriis laribus, & inter fuos fecurus exiftere crederet, circa primum noctis filen-*

esset, quam ceteroquin criminis enormitas pateretur, rogatum itaque velle, ut, Joanna exauctorata, regnum fratri suo Stephano, ad quem alioqui secundum se jus illius pertineret, & quem non pauci ad id capessendum vocarent, conferre vellet. Pontifex ægrum adhuc a dolore regis animum molliter tractandum ratus, primum, Cardinalem Talayrandum, quem Ludovicus in suspicionem quoque sceleris vocaverat, immunem ab hoc crimine pronunciavit, tum, quod Joanna nondum patratæ cædis convicta esset, nequaquam se ei morem posse gerere, respondit, facturum tamen, ut, si modum ostenderit, quo illa cædis conscia, & adjutrix fuisse, doceri posit, ex juris norma ei satis fiat. a) 1346.

Facile Rex intellexerat, quid huic tergiversationi subesset, dissimulandum tamen putabat, donec melior occasio jus suum persequendi se offerret, spem in nuperno Viennen-

lentium, ut cameram, in qua sibi erat nocturna quies, exiret, proditionaliter seduxerunt, ipsumque, tamquam agnum ad victimam, foras eductum, morti turpissimæ, cogitatu terribili, dictuque lamentabili, immaniter tradiderunt. Adjuncta cædis vid. apud Pray Par. II. pag. 62. &c. ex Gravinæ Chron.

a) Raynald. ad an. 1346. apud Pray Par. II. pag. 69.

ſi conventu præcipue deſigens. *a*) Cum enim
1346. conſtaret, Robertum Siciliæ regem ab Henrico VII. Imperatore, indignum regno Neapolitano, velut feudo Imperii Germaniæ, olim fuiſſe declaratum, *b*) ſatis expeditum videbatur negotium fore, ut Ludovici Imperatoris opera, cui perpetuum fere cum Pontificibus diſsidium fuit, regnum Neapolitanum ad ſe, legitimum alioqui hæredem, devolvatur. Sed ad id neceſſarium erat, ut prius Venetos tota Dalmatia exigat. Commode a Jadrenſibus, quos Veneti terra, marique premebant, nuncium accepit, quos, ut in fide perſtarent, paucis per litteras cohortatus, *c*) cum ducentis equitum millibus in Dalmatiam venit, & ad Jadram conſtitit. Hic de modo liberandæ urbis conſultans, cum Veneti nullam pugnæ copiam faciunt, & equeſtris militia obſidioni minus idonea, & machinis, ad quaſſanda Venetorum munimenta, eſſet deſtituta, civium præterea inhumanitate offenſus, copias biduo poſt reduxit, eventu ſpei, quam conceperat, prorſus contrario. *d*) Ferunt, Du-

a) Chron. Ms. apud Linck Tom. I. pag. 731.

b) Lunig, cod. dipl. Ital. Tom. II. col. 1075. Datum 7. Kal. Maji an. 1311.

c) Anonym. de obſid. Jadrenſi l. 2. c. 2. Ceterum de cædis auctoribus excommunicatis, vide bullam Clementis V. apud Lunig Cod. dipl. Ital. Tom II. col. 1112.

d) Anonym. de obſid. Jadren. l. 2. c. 10. & Joan. Archid. Chron. Par. 3. c. 8.

Ducum ſuorum, quos Veneti auro corruperant, ſocordiam infelicis exitus cauſam fuiſſe. 1346.
Accesſit, quod nova injuria ſe a Joanna affectum exiſtimaret, quæ filium a cæde mariti enixa, aliis, nec pro dignitate regia, educandum crediderat. Hujus curam quidem Pontifex ſe habiturum, Eliſabethæ reginæ, de indigno facto conquerenti, reſpondit, addiditque, Carnotenſem Epiſcopum a ſe mitti Neapolim, qui de Joanna in ſuſpicionem criminis vocata quæſtionem habeat, ſed regnum Stephano regis fratri prius conferri non poſſe, quam hæc ex legum ſcito rea comperiretur, *a*) volens, ut ex eventu patuit, hac ratione regem ab Italica expeditione avertere.

IV. Ut autem rem ſerio agere videretur, ſequente anno juramentum fidelitatis Carolo 1347.
Martello, Andreæ poſthumo, præſtare Neapolitanos juſsit, *b*) qua re mitigatus quidem Ludovicus videbatur, nihil tamen propterea a ſtudio parandæ in Italiam expeditionis remiſit. Prius tamen res Croaticæ penitus componendæ erant. Reſtabat arx *Oſtrovicza*, liti adhuc obnoxia, quam, ut temporis lucrum faceret, cum caſtro Zrinienſi, non invito domino, permutavit, *c*) tum quoniam fru-

a) Raynald. ad hunc an. apud Pray, Par. II. p. 73.

b) Lucius de regn. Dalm. l. 4. c. 16.

c) Lucius Mem. iſtoriche di Tragurio pag. 241. ex document. d. 2. Aug. an. 1347.

frustra operam in conducenda Genuensium
1347. classe hactenus posuerat, nec Veneti inducias parum æquis conditionibus propositas inire vellent, Nicolaum *Konth*, cum magna pecuniarum summa, in Italiam, quo loco isthic res essent, exploratum præmisit, *a*) qui cum non paucos a Joanna alienatos reperisset, eumque mox Nicolaus Quinqueecclesiensis Episcopus, frequenti Nobilium comitatu stipatus, fuisset consequutus, complures urbes regis fidei se permiserant, & copiæ, quas Carolus Dyrrachinus opposuerat, aut dilapsæ. aut nostrorum signis adscriptæ sunt.

Hoc initio facto, Rex majora designans,
1348. ingentem secum ex Hungaris, Cumanis, & Germanis ducens exercitum, terrestri itinere in Italiam profectus, & quacunque ibat, a plerisque honorifice acceptus, *Aversam* venit. Hic fraternæ cædis memoria admonitus, Carolum Dyrrachinum, officii causa ad se vocatum, eodem, quo frater perierat, mortis genere affici jussit, sententia magis, quam ceteroquin ejus indoles ferret, præcipitata. Hæc severitas in principio adhibita ut plerisque metum incusserat, ita multos quoque ad obsequium reduxit. Inde Neapolim, quam Joanna cum Ludovico Tarentino, Avenionem profuga, deseruerat, ingressus, habito conventu, ultionem ex cædis autoribus sumsit, omnes-

a) Joan. Archid. Chron. Par. III. c. 9.

omnesque fidelitatem Corolo nepoti jurare coegit, ipse, constitutis magistratibus, & Stephano Transsilvano Vayvoda, ac Volfardo, qui, se absente, copiis praeessent, in Italia relictis, ob grassantem pestem, *Barleta* solvens, *Uranam* a) primum, tum in Hungariam rediit, b) nepotem suum, & fratres Caroli Dyrrachini, ne turbas darent, secum ducens, illum, ut matri suae educandum traderet, hos autem honesta custodia teneret, donec, quem finem res Italae habiturae essent, ex eventu videret. c) 1348.

Redux, rationem suae expeditionis Pontifici volens reddere, Nicolaum Nitriensem Episcopum, & Georgium Comitem castri ferrei, 1349.

a) Uranam Ludovicus, sublato Templariorum Ordine, Hospitalariis contulit, instituto Prioratu Ordinis. Vid. Pray Differt. de Prioratu Auranae.

b) Memoriae Spalaten. apud Lucium, Mem. istoriche di Tragur. pag. 244. *Primo Junii Comes Traguriem. scribit, regem Ung. de partibus Apuliae venisse Uranam, & versus Ostroviczam direxisse gressus suos.*

c) Rationem regii itineris in Italiam, & reditus, vide apud Pray Par. II. pag. 74. — 77. ex Chron. Gravinae. Addit Joan. Archid. Par. III. Chron. c. 11. regem, ad jus suum tuendum, abhinc suis titulis etiam *regis Hierusalem, & Siciliae* addidisse.

rei, Oratores ad illum destinavit, qui id ante
1349. omnia agerent, ut Pontifex regnum Neapolitanum, quod prius nascendi conditione præ feminis, & nunc armorum etiam jure, suum esset, sibi confirmare ne gravetur, sin autem difficilem viderent, rem omnem ejus arbitrio relinquerent, modo ne Joannæ crimen impune maneret. Pontifex, ne res in Italia, alioquin perturbatæ, magis miscerentur Guidonem Cardinalem in Hungariam proficisci jussit, qui captata opportunitate temporis, regi denunciaret, Neapolitanum regnum, spectata Caroli ejus proavi testamentaria dispositione, neutiquam eidem conferri posse, reliquaque, quæ per Oratores suos Rex obmoverat, pro sua prudentia dilueret, ceterum polliceretur, ei, ut justitia posceret, de Joanna satisfactum iri. *a)*

Hæc Ludovicus dissimulanter magis audi-
1350. vit, quam ut sibi improbari, vel placere ostenderet, rei tamen eventum præstolari constituerat, cum præter opinionem perlatis ad se nunciis ex Italia, Joannam cum Ludovico Tarentino rediisse Neapolim, ac plerasque urbes in potestatem redegisse comperit, Vayvodam Transsilvanum, etsi aliquot pugnis victorem, in angustias redigi, ac incolas in fide mutare. Itaque, cum verba sibi data fuisse ex

a) Litt. Pont. apud Raynad. ad an. 1349. & Pray, Par. II. pag. 78.

existimaret, ingentes apparatus impositis extra ordinem tributis, in bellum Italicum fecit. 1350.
a) Postquam, superato Adriatico, cum copiis ad Apuliam applicuit, fere omnes urbes per iter partim armis, partim spontanea deditione recepit. Neapolitani, quod duriores, quam tempus pateretur, conditiones Rex præscriberet, defensionem parabant, ad vim tamen non ventum, quod Cardinalis Guilielmus opportune interveniens, pacato Ludovico, inducias ad sequentis anni Calendas Aprilis, inter partes conciliarit. Facile igitur in hæc capita utrinque conventum; Pontifex Joannam de mariti cæde in jus vocaret, quæ si rea criminis comperiretur, regnum Neapolitanum Ludovici esset, sin contra, quæ bello parta hactenus erant, Joannæ restituat, hæc autem sumtus in bellum factos trecentis aureorum millibus penset. *b*) Constitutis in hunc tenorem induciis, Rex Romam profectus, insigne specimen temperantiæ edidit, recusato enim, quem ei urbis Tribunus cum Patriciis deferebat, *Domini Romanorum*, titulo, ne in invidiam apud Pontificem incideret, Neapolim, & hinc, imposito urbibus præsidio, in Hungariam reversus est. *c*)

At-

a) Litt. regis apud Pray, ibid. pag. 83.

b) De secunda hac in Italiam expeditione vid. Pray Par. II. pag. 83 — 86. ex Gravinæ Chron.

c) Joan. Archid. Par. III. Chron. c. 11.

Atque hic ocium a bello nactus, quem
1350. fructum hactenus ex duplici Italica expeditione retulisset, quemve deinceps, Pontifice, ut patebat, causæ suæ, si non adverso, certe minus favente sperare posset, cœpit perpendere, propeque erat, ut cogitationem de regno Neapolitano penitus poneret. Nec enim, etsi id clam actum fuerit, ignorabat, Pontificem biennio abhinc, comitatum Avenionensem, contra Roberti regis constitutionem, *a*) octoginta millibus florenorum auri, a Joanna emisse, *b*) proin non videri verisimile, ut, hac exauctorata, se regem Neapolitanum declararet. Cogitabat quidem fratrem suum Stephanum, Mariæ, sorori Joannæ, nuptiis illigare, ut vel hoc nexu jus regni illius in suam familiam transferret, verum & Pontificis, in ferenda sententia, lentitudine, & muliebri, fraudumque feracissimo Joannæ ingenio, absterritus, ut vicissim Pontifici ægre faceret, rursus cum Ludovico Imperatore de Margaretha ejus filia, fratri suo despondenda, egit, & cum utrique facile conveniret, sponsa Stephano, quem Rex, ut nuptiis etiam dignitas accederet, Ducem Trans-

a) Confer. ea, quæ ad annum 1343. de Comitatu Provinciæ, in qua Avenio est, dicta sunt.

b) Spondanus ad an. 1348. Nro. 4.

Transsilvaniæ renunciaverat, *a*) constituta sexaginta millium florenorum dote, collocata est, *b*) ex quo connubio Joannem, *c*) & Elisabetham, *d*) postea sustulit. 1350.

V. Fratris nuptias bellum Lithuanicum consequutum est. Erant Lithuani non solum Casimiro regi Poloniæ infesti, sed in Russiam quoque, quæ Lodomeriam, & Haliciam, provincias juri Hungariæ obnoxias, complectebatur, hostiliter incursabant, quibus propulsandis copias suas Polonicis conjungens, Li- 1351.

a) Litt. autogr. Stephani Ducis an. 1351. *Dat. an. domini VII. cal. Aprilis Ducatus autem nostri, an. primo.* Sigil. pendens cum perigraphe: *S. domini Stephani Dei gratia Ducis Transsilvani.*

b) Hujus mentio fit in litt. Rudolphi Ducis Austr. an. 1359. apud Steyrer ex Tabular. Cæsar. col. 285. *omnes & singulas Ligas — pridem contractas — per D. Albertum, olim Ducem Austriæ, nostrum genitorem — cum serenis. Principe, D. Ludovico, rege Hung. — ac cum domino Johanne, illustri Duce Sclavoniæ, Croatiæ, & Dalmatiæ, suo nepote, consanguineo nostro, — nos servaturos &c.*

c) Quamdiu hic vitam produxerit, reliqueritne, an contra, liberos, incompertum est.

d) Hæc postea Alberto III. Austr. Duci nupta fuit, ut est apud Steyrer, in addit. ad vitam Alberti II. col. 286.

Lithuanos prælio victos, regno exegit, ca-
1351. pto quoque eorum Duce, sed, postquam fidelitatem promisisset, rursum dimisso. c) Lithuanis domitis, res Italicas resumit. Pontifex quidem, secundum datam fidem, Joannam in jus interea vocaverat, sed cum in progressu litis pateret, notam toti familiæ regiæ, ceteroquin innoxiæ, conflari, liberam a suspicione cædis mariti pronunciandam censuit. b) Nec id regi, ex prorogato tam diu judicio, improvisum erat, litem autem, re jam transacta, instaurare, ob bellum, si id faceret, in longinquas terras transferendum, nec regno utile, nec sibi consultum putabat. Tempori igitur, & Joannis Brundusini Archiepiscopi, Pontificis Legati, precibus, cedens, non solum Principes, quos nuper captivos Neapoli abduxerat, se liberos dimissurum pollicitus est, sed Oratores etiam Joannem episcopum Nitriensem, & Volfardum Comitem castri ferrei, Avenionem misit, iis mandatis instructos, ut, si quid litis, regni Neapolitani causa, superesset, suo, & fratris sui Stephani nomine, cum Pontifice transigerent. Mandatorum autem hæc capita fuere: quidquid in Italia regiis armis, aut deditione occupatum esset, id Pontifici redditum iri

a) Joan. Archid. Chron. Par. III. c. 29. & Dlugossus l. 9.

b) Villanus hist. Neapol. l. 2. c. 14.

iri ſponderent, ſervatis ſolum Principatus Salernitani, & honoris montis ſancti Angeli, 1351.
quibus hactenus jure paterno uſus fuiſſet, titulis: Pontifex contra univerſis, qui regis, vel Andreæ, fratris illius, tam ante Italicum bellum, quam eo durante, partes fuiſſent ſectati, omnium erratorum veniam faceret, eosque, qui regno excedere vellent, liberos cum fortunis ſuis dimitteret, commeatuque juvaret, demum illos, qui partem in cæde fratris ſui habuiſſent, arbitrio, & fidei Pontificis relinquerent, quem non dubitet facturum, quod æquitati conſentaneum eſſet. *a)* Adderent illud etiam, ſi ex uſu viderent, regem trecenta aureorum millia, quæ, ſi regnum Joannæ cederet, ab illa ex pacto ſolvenda erant, ultro eidem condonaturum. *b)*

Hæc regis ad Pontificem mandata Oratoribus data erant. Domi interea regni Ordines, ne ob tam crebra bella in exteris regionibus geſta, & ſumtus in ea factos, immunitatibus ſuis præjudicium fieret, idque ſenſim in uſum, & exemplum ad poſteros transiret, rebus ſuis conſulere volentes, regem communi nomine rogabant, ut, quas Andre-

a) Raynald. ad hunc an. apud Pray Par. II. pag. 89.

b) Litt. Pontif. ad Joannam reginam, apud Raynald. ad an. 1352. & Pray l. cit. p. 91.

1351. Andreas II. a) prærogativas Nobilibus confirmasset, ipse etiam ratas habere vellet. Ludovicus non immemor, quam operam Nobiles, sponte sua ad signa convolantes, præbitis etiam suis facultatibus, in bello Italico navassent, libens volensque precibus Ordinum detulit & prærogativas, una solum, quæ de donatione mortis causa in usu erat, antiquata, novo diplomate confirmavit. b) Cum enim prius Andreas II. indulserit, c) ut, si quis Nobilium sine mare hærede obiret, relicta filiæ solum quarta possessionum parte, reliquum pro arbitrio legare posit, multique sumta hinc occasione, bona avitica Ecclesiis, aut aliis, rege etiam, ad quem ceteroqui bona ejusmodi pertinebant, inconsulto, conferre solerent, Rex æquitati naturali consulens, hanc libertatem abrogavit, statuitque, ut in simili deinceps eventu, fratrum prima semper ratio in testamentaria dispositione habeatur. d) Cetera bullæ aureæ capita partim uberius explanavit, partim etiam auxit. Postremi generis duo imprimis sunt, quorum alterum ad subjectos, ad dominos alterum spectat. Illi ne ab his pro libidine premerentur, de-

a) Conf. dicta ad an. 1222.

b) Exstat in Cod. jur. patrii, T. I. p. 165. edit. an. 1779.

c) Bull. aureæ art. 4.

d) Decreti conclus. §. 11.

decrevit, ut feculares domini partem nonam frugum, & vinorum, Ecclefiaftici vero præter hanc, infuper decimam, perciperent, fi qui fecus fecerint, nona pars, fine relaxatione, ad regem pertineret. a) Rurfus, quemadmodum nefas effet, colonos alterius, invitis dominis, fuo fundo adfcribere, ita colonis integrum effet, ad alios dominos migrare, fi quid tamen mali prius perpetraffent, nequaquam arbitrio dominorum, fed fecundum juris normam, pœna eis ftatueretur. b) Verifimile eft, hac lege fervitutem, qua coloni olim glebæ adfcripti erant, vendique poterant, c) fublatam fuiffe. 1351.

Ad fundorum dominos quod fpectat, illud conftitutum, ut, fi in Nobilium poffefsionibus fodinæ auri, argentive reperirentur, has Rex poffefforibus ne aufferret, fed aliis fundis regii juris ex æquo penfaret. d) Olim enim in cujuscunque terra hæ repertæ erant, proventuum ex illis pars ad fundi dominum, & pars ad terræ Principem, e) ex vetufta re-

 gni

a) Decr. art. 6.
b) Ibid. art. 16. & 18.
c) Conf. Notit. præv. §. 24.
d) Decr. art. 13.
e) Hoc difcrimen inter Principem terræ, & fundi dominum jam Andreas II. in dipl. an. 1231. quo immunitates Nobilibus iterum confirmat, his verbis declaravit: *item, pro fingulis marturinis quatuor pondera perfolvantur, quantum-* *cun-*

gni consvetudine pertinebat. *a*) Latius illud
1351. beneficium spectabat, quo Rex, sublatis, qui hactenus erant, diversis Nobilium gradibus, *b*) omnes, qui hoc nomine censebantur, eodem jure gaudere, omnique onere, præter militiæ professionem, solutos esse voluit, *c*) ut & fortitudinem illorum, qui in bellis inclaruerant, remuneraretur, & alios ad similem deinceps virtutem præstandam incitaret. *d*)

VI. Nec diu illius exercendæ occasio de-
1352. fuit. Tartari a Lithuanis concitati, in Podoliam, & ex hac in fines Transsilvaniæ, irruperant. H.s Andreas Vayvoda Transsilvanus, jus-

cunque inde provenerit, tertia pars domino fundi, & duæ partes domino terræ persolvantur.

a) Dipl. Ladislai Chuni, an. 1283. *Si in aliqua terrarum Ecclesiæ Strigonien. Archiepiscopi vel Capituli, argenti fodinam, auri fodinam invenire contigerit, totum commodum, seu lucrum, plene & sine defalcatione aliqua, tam illud, quod de hujusmodi fodinis ad Fiscum regium, seu illud, quod ad terræ dominos juxta approbatam regni consuetudinem devolvi suevit, Ecclesia Strigonien. — possideat.*

b) Vid. Notit. præv. §. 23.

c) Decr. art. 11.

d) Olim non facile aliquis alia ex causa in cœtum Nobilium a regibus cooptatus fuit, quam si in bello rem fortiter gessisset, quod innumera diplomata testantur.

jussu regis cum quadraginta equitum millibus obviam profectus, ut latrocinantes, prædæque 1352.
intentos reperit, magna clade affectos ultra Boryfthenem rejecit, facile in Crimæam quoque, si annonæ penuria non laborasset, penetraturus. *a*) Tartaris profligatis, facile pro more illius temporis, Rex a Pontifice obtinuit, ut, si quas schismaticorum terras occupaturus esset, has sui juris faceret. *b*) Ceterum ne, si barbari iterum Transsilvaniæ fines infestarent, suos magno impendio cogeretur educere, regnum Russiæ, Lodomeriam, & Haliciam, complectens, Casimiro regi Poloniæ ea conditione interim cessit, ut, si is filium ex conjuge obtineret, hic, numeratis regi Hungariæ centum millibus florenorum, utramque provinciam possideat, si vero sine filio obiret, rursus, quemadmodum & regnum Poloniæ, secundum priora pacta, ad jus Hungariæ devolveretur. *c*) Repetita de successione in Poloniam utriusque partis consensio, regem viduum admonuit, ne, dum comparandis sibi alienis regnis studet, suum hærede destitueret, ut animum ad ducendam conjugem adjiceret. Præ ceteris delegit Eli-

F 3 sabe-

a) Chron. Part. III. c. 6.

b) Raynald. ad an. 1352. apud Pray Par. II. pag. 92.

c) Sommersberg, Tom. II. script. Siles. in Mantissa, pag. 81.

ſabetham, Stephani Bosniæ Ducis filiam,
1352. quæ hactenus in aula a regis matre, velut obſes, educabatur. *a)* Conjugii hujus cauſa, non ſola ſpes tollendæ prolis erat, ſed ut ſoceri præterea, & Bosnenſium opera, ad eliminandos tota Dalmatia Venetos, quod, compoſito bello Italico, ſecum conſtituerat, uteretur.

Eandem ob cauſam Carolum Imperatorem Viennæ convenerat, *b)* eoque Poſonium
1353. deducto, conſcriptis Tabulis, pro Ducatu *Plocenſi*, & *Mazoviæ*, oppida *Beuten*, & *Creuczenberg*, uxorio titulo olim aquiſita, ſuo, & Caſimiri nomine eidem ceſsit, pollicitus præterea, idem a Caſimiro, intra quadrimeſte ſpacium, peculiari ſcripto confirmandum eſſe, *c)* utque illum ſibi magis conciliaret, jus quoque ſuum

---

a) Hoc anno, non item ſequente, ut aliqui putant, nuptias coaluiſſe, docent autogr. litt. regis an. 1352. fer. 4. prox. poſt feſt. B. Georgii M. *demum, cum vice tertia dominam Mariam, ſororem Domini Stephani Ducis Bosnenſis, proximam noſtram cariſsimam, domino Helſeneero Pazzoviæ (fors Paſſaviæ) nuptui ſociandam transmiſiſſemus &c.* non vocaturus *cariſsimam*, niſi filiam Ducis Bosniæ jam conjugem habuiſſet. Hujus Mariæ nulla apud Orbino, Luccari, & du Cange exſtat memoria.

b) Chron. Zwetlen. ad an. 1353.

c) Goldaſtus in append. documentor. f 61. & Du Mont, corps diplom. Tom. I. Par. II. pag. 284.

um in *Svidnicensem*, & *Jaurensem*, Silesiæ Ducatus, in eundem transtulit, *a)* simul aliud, quo utriusque familia arctius jungeretur, fœdus cum eo sanxit, fide juramenti interposita, spondens se eidem, ejusque hæredibus contra omnes hostes, Casimiro solum rege, & Alberto, Austriæ Duce, exceptis, suo, hæredumque suorum, & coronæ Hungariæ nomine, auxilio futurum, facturum præterea, ut, si filios, filiasve, obtinuerit, mutuo connubio cum Caroli liberis jungantur, nec aliis, eo, vel ejus hæredibus inconsultis, despondendos esse. *b)* Ex hac fœderis lege postea factum, ut Sigismundus, Imperatoris filius, Mariæ, Ludovici filiæ, matrimonio junctus, in solium Hungariæ eveheretur. 1353.

Hæc eo spectabant, ut conciliatis regno vicinis Principibus, nihil impedimenti ab iis sibi poneretur, si, Dalmatiæ causa, Venetos

F 4 bello

a) Goldastus l. cit. f. 60. Vid. etiam Pray, Par. II. pag. 93.

b) Ludewig, Reliqu. Mss. Tom. 5. pag. 495. *Quod si aliquando filios, vel filias obtinuerimus in futurum, quod illos, vel illas maritagio, sive nuptu invicem copulare volumus, nec debemus quibuscunque spondere personis, absque prædictorum regum Boh. consilio, favore, & consensu &c. Dat. Budæ* 1353. *Indict* 6. *mense Sept. die* 15. Idem exhibet Lunig, Cod. dipl. Germ. Tom. I. col. 1107. apud Katona Tom. X. pag. 87.

bello peteret. Huc enim abhinc, quam obti-
1353. nendi regni Neapolitani ſpem amiſerat, omnis deſtinatio illius tendebat. Claſſe tamen, qua Veneti valebant, & ſine qua conatum ſuum inutilem futurum vidit, cum deſtitutus eſſet, ſocietatem armorum cum Genuenſibus, qui per id tempus bellum cum Venetis habebant, iniit, ut, dum illi contra hos mari, ipſe in continenti, rem gererent. Ita utrinque conventum, ſed incertum, qua via, indicium ad Venetos perlatum fuerit, qui, ut periculum a ſe amolirentur, miſsis ad Imperatorem Legatis, eum orabant, ut regem a propoſito Genuenſes juvandi averteret. *a*) Dedit id Rex, quamquam invitus, amicitiæ Imperatoris nuper contractæ, nec tamen propterea a faciendo neceſſario ad bellum apparatu deſtitit, &, quoniam Legati Venetorum ſpem Imperatori fecere, litem de Dalmatia ſine armis componi poſſe, Rex arma, tamquam aliud agere, quam deſignabat, videretur, in Raſciam traduxit, & Ste-
1354. phanum Duſcianum, qui ſe Raſciæ, & Serviæ Imperatorem ferebat, ſolo armorum metu a fœdere Venetorum abſtraxit, *b*) utque hos magis ſui ſecuros redderet, copiis trans Bogum ductis, in Tartaros, qui Crimæam colunt, movit, horumque Chamum obviam ſibi

a) Willanus apud Lucium l. 4. c. 17.
b) Du Cange Illyr. vet. & nov. pag. 61.

ſibi factum, & tributum quotannis promittentem, in clientelam recepit. *a*)

VII. Inde in Hungariam reverſus, Caſimiro regi ſummam æris, quod titulo conceſſi nuper regni Ruſsiæ debebat, donec pacatior illius poſſeſsio eſſet, relaxavit, *b*) ſimulque auxilium contra Lithuanos addixit, &, ne fratrum ſuorum, Andreæ, & Stephani *c*) obitus, pactis de ſucceſsione in Poloniam aliquando officeret, Nicolaum Strigonienſem Archiepiſcopum, additis ex primo ordine collegis, in Poloniam miſit, qui fœdus de ſucceſſione, inter Carolum patrem, & Caſimirum olim ſancitum, ſuo, & matris Eliſabethæ, nomini- 1355.

a) Villanus l. 4. c. 5. Conf. Pray, Par. II. p. 95.

b) Dogiel Dipl. Pol. Tom. I. pag. 37. 38. & 39. documenta hæc exhibet Katona Tom. X. pag. 107. ſequ. nomine *Ruthenici regni*, cujus in Tabulis fit mentio, non aliud venire poteſt, quam Lodomeria, & Halicia, ut ſupra memoratum fuit.

c) Hoc, vel priore anno obierit. Priore die epiph. privilegia Kapronczenſibus conceſsit, hoc autem, vidua Margaretha, eadem confirmavit: *præſentaverunt nobis univerſitas civium — de Kaproncza, quod vos contra libertatem eorum, quam dominus Stephanus Dux, condam conthoralis noſter ipſis contuliſſet — moleſtaretis, &c. Dat. Budæ, fer. 2. prox. poſt feſtum S. Georgii M.* 1355.

minibus innovarent, eique Joannem Stephani filium, nepotem suum, hujusque, si quos
1355. habiturus esset, filios nova pactione includerent. *a*) Casimirus, quod nullam obtinendae prolis spem haberet, vicissim nomine regni sui Legatos ad Ludovicum misit, qui, ut immunitatibus suis consulerent, novas prioribus pactis conditiones adjecere, quarum hae praecipuae erant: ne Rex quidquam contra regni vetusta jura statuat, neve id novis exactionibus, tributis, & vectigalibus oneret, si necesse esset, ut cum exercitu in regnum veniat, Ecclesiasticis, & Nobilibus annonam ne imperet, aut pabulum gratuito exigat, sed depenso justo pretio solvere velit, postremo, si regem, ejusque nepotem Joannem, sine mascula prole contingat obire, pacta de successione sint irrita, & Poloni juramento fidelitatis soluti declarentur. *b*)

Ludovicus, quod aequa postulari videret, petitis libenter annuit, addiditque praeterea, quinque millia *sexagengrum grossorum Bohemicorum* seniori filiae Casimiri, si nuptui locabitur, quemadmodum a Carolo, patre suo, constitutum erat, a se, vel successoribus suis, bona fide solutum iri, atque haec, edito juramento, ac conscriptis tabulis, Budae VIII. Ca-

a) Dogiel, & Katona, l. supr. cit.

b) Dlugossus l. 9. ad hunc an. apud Pray, Par. II. pag. 96.

Calendas Julii confirmavit. *a*) Dimiſsis Caſimiri Legatis, & lite, quæ ob viciniam fundorum, quæ inter Præpoſitum Capituli veteris Budæ, & regis Caſtellanum orta erat, diremta, *b*) nuncii a Venetis adfuere, qui, quod induciæ ante octennium initæ, ad finem vergerent, has, propoſitis conditionibus *c*) confirmari petebant. Rex ſimulatione hac offenſus, non enim ignorabat, Venetos interea adverſum ſe fœdus cum Raſciis, & urbibus Spalato, Tragurio, & Sibenico, pepigiſſe, Nuncios re infecta remiſit. *d*) 1355.

Abhinc Rex animum in bellum Venetum obfirmavit, ne quid autem interea domi non 1356. ſatis tutum relinqueret, priſtinam cum Alberto Auſtriæ Duce amicitiam novo fœdere confirmavit, quo alter alterius ditiones contra hoſtes ſe tuituros, receperant, idemque hære-

a) Id ibid. pag. 97.

b) Id. ibid.

c) Laurentius de Monacis Chron. Venet. l. 6. narrat, inter conditiones, de quibus utrinque agebatur, etiam hanc fuiſſe, regem nempe voluiſſe quidem Dalmatiam Venetis permittere, ſi iſti quotannis album equum ei dono mitterent, ſed Venetos ſervilem hanc conditionem inire noluiſſe. Quam abſurdum commentum, Dalmatiam pro albo equo! quaſi Hungaris equi hujus coloris defuiſſent.

d) Lucius l. 4. c. 17.

redes utriusque facere obstricti essent: Albertus vero seorsim fidem dederat, se nemini; qui Casimirum bello peteret, auxilium, opemve præstiturum, Ludovico præterea, si quos ex Alberti ditionibus ad signa vellet conducere, fas, integrumve esset. *a*) Supererat adhuc lis dirimenda de dote, inter Margaretam, Alberti II. Austriæ Ducis filiam, & Joannem Lucenburgensem, Caroli Imperatoris fratrem, constituta, cujus vadimonium Carolus, regis pater, in se olim receperat. Hanc illa nunc repetebat, quod paterni vadimonii onus cum regno ad filium transiisse, contenderet. Rex, ne temporis jacturam faceret, arbitrium Alberto commisit, a quo lis in hunc modum diremta est: Ludovicus triginta florenorum millia Duci custodienda, Margaretæ autem ex proventu Tirnaviensis urbis tria millia quotannis, daret, quæ, si a die prolatæ sententiæ, documenta, quibus sibi dotem deberi doceat, ad futurum Pascha non proferret, Ludovicus viginti millia reciperet, & decem Margaretæ manerent, proventu tamen urbis Tirnaviensis eo usque frueretur, donec controversia, productis a Ludovico quoque documentis, uberius illustrari possit. *b*) Hac

1356.

a) Steyrer l. cit. col. 186. ex Tabul. Cæsar. apud Pray. Par. II. pag. 100.

b) Idem ibid. col. 187. Dat. Vien. *Dominio, post epiphan.* apud Pray, ibid.

Hac cura expeditus, omnes cogitationes ad recuperandam Dalmatiam convertit; ſed quia claſſe ad id neceſſaria deſtitutus, nec hujus a Genuenſibus, qui, contra regis exſpectationem, anno priore pacem cum Venetis confecerant, impetrandæ *a)* ſpes ulla eſſet, bellum in ipſam continentem, & Venetæ ditionis viſcera transferre ſtatuit. Id quidem, cum per alienas terras copiæ ducendæ fuerint, arduum in principio videbatur, poſtea autem, quam cum Alberto, & Maynhardo, Goritiæ Comitibus, armorum ſocietatem iniiſſet, & Patriarcham Aquilejenſem, cum Cenetenſi Epiſcopo, in ſuas partes pellexiſſet, ſpem minime dubiam de felici exitu concepit. His ex ſententia confectis, Zagrabiam cum copiis movit, & vulgatis litteris jus ſuum in Raſciam ſe vindicaturum, præferebat, idque Pontifici per Procuratorem ſignificari curavit. Laudavit propoſitum Pontifex, regemque propterea honorifico *Signiferi Eccleſiæ* titulo cohoneſtavit, at Veneti, rem ſerio a rege agi putantes, ne fœderatis ſuis deeſſent, in fraudem inducti, præcipuam militiæ partem iis auxilio miſere. *b)* 1356.

Hoc

a) Die 1. Jun. an. 1355. apud Lucium Memor. iſtor. di Tragurio pag 247.

b) Hiſt. Cortuſior. l. 11. c. 8. Tom. VIII. ſcript. rer. Ital. apud Muratorium. Raynald. ad an. 1356. apud Pray, Part. II. pag. 101.

Hoc tempus Rex occupandum ratus,
1356. Joannem *Chuz*, Croatiæ Banum, in Dalmatiam proficisci, Jadramque tentare jussit, ipse cum robore exercitus, accelerato per Carniam itinere, in Forum Julii irrumpens, *Tarvisio*, *Conigliano*, *Asolo*, *Serravallo*, & finitimis locis subactis, Paduanos cum Francisco Cararia, eorum domino, in fidem recepit. Perculit ea res Pontificem non minus, quam Venetos; ille regem frustra a victoriæ cursu revocare conatus est, isti animum illius, missa Tarvisium Legatione, periclitati, pacem, reddita civibus Jadrensibus libertate, & quibusdam urbibus restitutis, aliis vero, cum pensione annui census, sibi reservatis, offerebant, sumtus quoque belli se pensaturos polliciti. Abnuit Rex, nisi tota Dalmatia decederent, & milite in hostico hibernare jusso, in Hungariam rediit, nova supplementa lecturus. *a)*

VIII. Transacta hyeme, Hungari in Ita-
1357. lia relicti, insignem ad *Nervesam* ex Venetis victoriam, metu latissime circumlato, adepti erant. Nec minus feliciter Banus Croatiæ, quem Rex in Dalmatia jusserat resistere, rem interea gessit. Tragurium enim, Spalatum, & Sibenicum, post confirmata civium jura, se ei ultro dedidere, quorum exemplo Jadra quo-

a) Vilanus l. 6. c. 63. Lucius de regno Dalm. l. 4. c. 17.

quoque, & Nona, cum Rex in Dalmatiam venit, in poteſtatem redactæ. Veneti tam felici armorum progreſsione territi, ne Marchiam quoque Tarviſinam, ab Hungaris infeſſam, amittere cogerentur, miſsis Jadram Legatis, pacem a rege flagitarunt, quam, precibus Franciſci Cararia adductus, non aliter ſe conceſſurum, reſpondit, niſi omnia, quæ in Croatia, & Dalmatia occupaſſent, bona fide redderent, & Duces Venetorum in publicis litteris, titulo Dalmatiæ & Croatiæ, *a)* deinceps abſtinerent, ita, quæ in Marchia Tarviſina armis ſua feciſſet, ſe redditurum eſſe. Id quaſi præludium pacis erat. Actum eſt de hac miſsis ultro, citroque internunciis, crebroque res adhærere videbatur, donec, ſublatis obſtaculis, in has conditiones utrinque conventum eſſet. Veneti tota Dalmatia, intra viginti duos dies, a ſubſcripta pace decedant, initio a medietate *Quarnici* ſeu *Carnici* ſinus, *b)* ducto, ad Epiri limites, ubi Dyr-

1357.

a) Solebant enim in publicis edictis, hoc titulo uti: *N. Dei gratia Dux Venetiarum, Dalmatiæ, atque Croatiæ Dux, Dominus quartæ partis, & dimidiæ totius Imperii Romaniæ.* Hoc primus omnium, quod ſciam, uſus eſt Andreas Dandulus an. 1343. Vid. volumen ſtatutorum, Legum, ac jurium D. Venetor. Venetiis an. 1564. & Librum Promiſsionis ibid.

b) A vicina Carnia, ſeu Carniolia ſic dictus. In hac medietate ſinus, eſt *Flumen S. Viti*, cum ſuo

1357. Dyrrarchium eſt: quidquid hoc ſpatio, urbium, inſularum, portuum, aliarumve utilitatum, continetur, regi, aſtu, dolove procul, tradent, jurique, quod ſe in hæc habere putabant, aut habere poterant, in perpetuum renunciabunt, idque cum dominio, proprietate in Ludovicum, hujusque ſucceſſores Hungariæ reges transferent, nec unquam actione ulla, aut beneficio juris, & legis adverſus hanc ceſsionem ſe uſuros, juramento promittent, ac titulis Dalmatiæ, & Croatiæ omnino abſtinebunt. a) Rex con-

ſuo Territorio, itaque juris Hungarici, non item, ut aliqui putant, in ditione Carnioliæ, aut Iſtriæ. Atque hi erant Dalmatiæ limites ſub Andrea II. teſte Archidiac. Spalaten. hiſt. Salonit. c. 1. *Nunc ergo Dalmatia, eſt regio maritima, incipiens ab Epyro, ubi eſt Dyrrachium, & protenditur usque ad ſinum Quarnarium.*

a) Forma ceſsionis hæc erat: *vigore inſtrumnti prædicti, contenti fuimus renunciare, & effectualiter renunciamus defacto, in manibus prædicti regis, ſuo, & ſucceſſorum regum nomine, toti Dalmatiæ, a medietate Gvarnarii, usque ad fines Duracii (Dyrrachii) omnibus civitatibus, terris, caſtris, inſulis, portubus & juribus, quæ habuiſſemus, & tenuiſſemus, & tenebamus in eisdem quoquo modo, & ſpecialiter, civitatibus. Nonæ, Iadræ, Scardonæ, Sibe-*

contra, quæ in Marchia Tarvisina, Istria, & in ditione Cenetensium occupavit, Venetis in 1358. solidum restituet, utrique parti secura, & libera naviga di, *a*) mercandique potestas erit, malefactores neutri recipient, nec piratis

Sibenici, Tragurii, Spalati, & Ragusii, in terra firma existentibus. Item in terris adjacentibus, videlicet, Cherso, Veglia, Arbo, Pago, Brachiæ, Lesinæ, Corsulæ, cum insulis earundem, cum omnibus pertinentiis, & utilitutibus earundem, ac titulis Dalmatiæ, & Croutiæ, quibus uti consueveramus, & totum jus, & proprietatem, si quas habuissemus, in ipsum dominum regem, & successores suos, sponte, deliberate, & cum maturitate transferentes, renunciantes insuper omni actioni, & omni juris, & legis beneficio, quibus ullo unquam tempore possemus contra prædicta, vel prædictorum aliquod, nos juvare, & promittentes solemniter, sub vinculo sacramenti, pro nobis, & Communi Venetiarum, corporaliter præstiti, de ipsa Dalmatia, civitatibus, terris, castris, locis, insulis, juribus, & titulis, ac ipsorum possessione, seu dominio, nullo unquam tempore per nos, vel alios, nos intromittere, vel aliqualiter impedire, usque ad fines ante dictos.

a) Hactenus enim sibi dominium maris Adriatici arrogabant.

tis portum præbebunt, aut mare ab his infeſtari ſinent, præteritorum denique oblivio, & amicitia utrinque perpetua ſit. *a*) Tabulæ
1358. pacis ſequente anno, Jadræ quidem XVIII. Venetiis autem XXIII. Februarii promulgatæ ſunt, tum Stephanus Zagrabienſis Epiſcopus, & Nicolaus Drugeth, Judex curiæ regiæ Venetias miſsi, ut juramento Ducis, pacta confirmantis, intereſſent, & pacis tabulas permutarent, quas ille XXV. ejusdem menſis illorum manibus, regi tradendas, conſignavit, & regio nomine ſcriptas viciſsim ab eisdem recepit. Ne autem, quos armorum ſocios habuit, Patriarcham Aquilejenſem, Epiſcopum Cenetenſem, Franciſcum de Cararia, Albertum item, & Maynhardum, Goritiæ Comites, deſeruiſſe videretur, his quoque editis litteris tertio poſt menſe cautum voluit. *b*) Hunc in modum Dalmatiam, quæ partim deceſſorum ſocordia, partim inteſtinis diſsidiis, in Venetorum poteſtatem ſenſim venerat, priſtino Hungariæ juri vendicavit, non facile deinceps amittendam, ſi ſucceſſores ſibi ſimiles poſt ſe reliquiſſet.

IX. A confecta pace illud ante omnia
1359. Ludovicus ſatagebat, ut & regni juribus, citra

a) Lucius l. 4. c. 17. Laurentius de Monacis Chron. Venet. l. 6. Pray Par. II. pag. 108.

b) Tabulæ exſtant in Hiſt. Cortuſior. l. 11. c. 18. apud Pray Par. II. pag. 110.

tra regiæ dignitatis diminutionem consuleret, & regiorum proventuum administratio ita in ordinem redigeretur, ut & Fiscus regius haberet, unde publicis necessitatibus posset succurrere, nec civitatibus, quæ commodo portu erant instructæ, nervus mercimoniorum succideretur. Jam anno priore Jadrensibus privilegia confirmans, liberaliter indulsit, ut prisca quidem judiciorum ratio eis libera esset, si qui tamen sibi minime satis factum existimarent, his regem impune liceret appellare: *a*) Croatis vero, & extraneis per eos, quos ex Hungaria missurus esset, jus administratum iri. *b*) Tragurienfium quoque jura rata habuit, proventus tamen per Legatos suos *c*) ita existimabat ordinandos, ut media pars ærario regio inferretur, & altera civitatis esset. *d*) Sed cum hanc ordinationem ci- 1359.

a) Lucius de regn. Dalm. l. 6. c. 2.

b) Missi erant, Nicolaus Colocen. Archiepisc. electus Strigonien. Stephanus Nitrien. Episc. Nicolaus de Zeech Jud. Curiæ reg. Joan. Chuz, Banus Dalm. & Croat. & Gregorius Custos Eccl. Varadinen. Capellanus regius, ut est apud Lucium Mem. istoriche di Tragur. pag. 271.

c) Idem ibid. pag. 272.

d) Id. ibid. pag. 273. Initium documenti hoc est: *Stephanus Dei gratia Episcopus Nitriensis, sacræ Theologiæ Magister, Joan. de Brendestech*,

ves graviter ferrent, non ſolum hanc retra-
1359. ctavit, verum univerſe etiam Dalmatas jure ſuo municipali deinceps uti permiſit, ſolam maritimi ſalis Cameram ad eum morem, qui in Hungaria obtinebat, coordinatam eſſe voluit. *a)* His in Dalmatia conſtitutis, Poſonium conceſsit, ut cum Rudolpho Auſtriæ Duce, qui Alberto patri, ante annum defuncto, ſucceſſerat, priſtinam amicitiam confirmaret. *b)*
Mox ſequente anno, *Bernabonem*, qui Bono-
1360. niæ tyrannidem adverſus Pontificem arripuerat, ut Curiam Romanam, ob ſimulatam nuper in Raſcios expeditionem pacaret, per Joannem Colocenſem Præpoſitum admonuit, ut ab injuria porro inferenda deſiſteret, alioquin ſciret, ſe arma in illum Eccleſiæ cauſa ſumturum, cumque is morem regi geſturum pollicitus eſſet, neque promiſsis ſtaret, copias auxiliares, quæ homini reprimendo ſatis eſſent, in Italiam miſit, *c)* præcipuum tamen robur militiæ domi retinendum erat, quod Carolum Imperatorem cum Duce Auſtriæ aliquid

ſtech civilis Profeſſor, ſereniſs. Principis Domini, Domini Lodovici regis Hung. ad partes Dalm. Legati, &c.

a) Id. ibid. pag. 274.

b) Steyrer l. cit. pag. 285. apud Pray Par. II. pag 112.

c) Raynald. ad an. 1360. & Villanus l. 9. c. 91.

quid adverſum ſe moliri ſuſpicaretur. *a)* Occaſio ex convicio ſumta fuit, quo Imperator Eliſabetham, regis matrem, velut parum pudicis moribus præditam, criminatus fuerat. Matris injuriam Ludovicus ſuam interpretatus, 1361.
b) bello ulciſci conſtituerat, & facto ad id gerendum apparatu, ut Rudolphum quoque, quamquam Imperatori fœderatum, in ſocietatem armorum pertraheret, Viennam profectus, novum cum eodem, & illius fratribus Friderico, Leopoldo, & Alberto, fœdus pepigit, quo ſe Duces unanimi conſenſu regi obſtrinxerant, ſe eidem contra Imperatorem, hujusque fratrem Joannem Moraviæ Marchionem, omni ſua potentia affuturos, ſalva tamen lege, qua Rudolphus, ceu Dux Auſtriæ, jubebatur Imperiali exercitui duodecim milites cum menſis unius ſtipendio contra Hungaros adjungere. *c)*

a) Lucius Mem. iſtor. pag. 277. ex regeſto conſilii Tragurien. 1361. *die* 15. *Dec.* — *nova facit D. Rex civibus notificare, videlicet, quod D. Imp. Rom. & Dux Auſtr. videntur velle movere gverram dicto D. regi indebite &c.*

b) Michovius pag. 157. apud Piſtorium Tom. II. ſcript. Pol.

c) Steyrer l. cit. col. 333. apud Pray Par. II. 115. error tamen apud hunc, & Katona in annum irrepſit, & reſcribendus eſt, 1362.

Eidem fœderi paulum poſt, quam Ru-
1362. dolphus Poſonium venit, Caſimirus quoque Rex Poloniæ, & Maynhardus Bavariæ Dux & Comes Tyrolis acceſſerant, cautumque, ne quis, inſciis fœderatis, bellum cuiquam obmoveat. *a*) Id in cauſa erat, cur deinde res ad arma cum Imperatore non venerit. Ludovicus, ut viciſsim Rudolpho gratiam referret, caſtrum *Schvarczenbach*, quod ſæpe diſſenſionum fomes inter Hungaros, & Auſtrios erat, eidem reſtituit, & argentum, ob defenſum olim ab Hungaris *Neoſtadium*, ex pacto debitum, condonavit. *b*) Transactum deinde eſt de controverſia, quæ in confinibus Hungariæ, & Auſtriæ, titulo decimarum, cenſuum, juris item montani, & emphyteutici, inter utramque Nationem crebro oriri ſolebat. Ad hanc dirimendam, quatuor conſtituti utrinque arbitri, qui de jure ſine partium ſtudio cognoſcerent, quodque ſtatuiſſent, Rex, & Duces ratum haberent. *c*) Aliis autem Tabulis, ſi bellum re ipſa gerendum fuerit, ita paciſcentibus convenerat, ut, quæ armis parta eſſent, ex æquo utrinque dividantur, nec fas ſit cuiquam, inconſulto alio, ab

a) Steyrer ibid. Dat. Poſonii ultima Febr. 1362.

b) Id. ibid. Dat. Budæ d. 10. Mart. apud Pray Part. II. pag. 117.

c) Id. Steyrer col. 337 Dat. Bud. eod. d. & an. Idem col. 336. Dat. Bud. eod. an. & d.

ab armis ceſſare, *a)* ſin aliquid, durante bello, accideret, quod fœderatos in diſcordiam 1362. poſſet adducere, id ad finem expeditionis ut rejiceretur, conſtitutum. *b)*

Nec Imperator, qui per id tempus Norimbergæ agebat, poſtquam confœderationis inter regem, & Rudolphum ſancitæ indicium ad ſe perlatum eſt, ſegnius ſe ad vim repellendam comparabat, eoque gravius Rudolphi factum tulit, quo minus id, poſt initum Pragæ anno priore ſecum arctiſsimum fœdus, de genero ſuo ſuſpicari poterat. Bellum itaque, facto utrinque apparatu, prope certum videbatur, cum Innocentius VI. Pontifex, miſſo ad Rudolphum Ægidio Vincentino Epiſcopo in mandatis dedit, ut Ducem præprimis Imperatori reconciliaret, datisque inſuper ad Rudolphum litteris, eundem, ut cum ſocero in gratiam rediret, impenſe cohortatus eſt. Valuit Pontificis auctoritas, & ardor belli ſenſim in Rudolpho refrixit. *c)*

X. Suberat aliud etiam, quod Rudolphum a belli propoſito avertit. Obierat ſub 1363. ipſum anni ſequentis initium Maynhardus, Comes Tyrolis, quem Rex Ludovicus in ſocietatem fœderis contra Imperatorem priore

G 4 anno

a) Idem col. 337. Dat. Bud. eod an. & d.

b) Idem col. 338. Dat. Trenchini d. 15. Aug. eod. an. apud Pray Par. II. pag. 119.

c) Raynald. ad an. 1362.

anno adſcivit. Is, ſi ſine prole obiret, con-
1363. ſentiente matre ſua Margarita, Principes Auſtriæ quadriennio abhinc, hæredes ſuos ſcripſerat. a) Cum igitur, ad novam poſſeſsionem pacate adeundam, favore Imperatoris egeret, inconſulte ſe facturum exiſtimabat, ſi in illum, tam alieno tempore, bellum moveret, nec dubitabat regem id communi amicitiæ daturum, ut mitiora conſilia admittat. Ludovicus, cui matris injuria cordi erat, videns, unum ex confœderatis ſuis morte ſublatum, alterum vero prope eſſe, ut fœdus, familiæ ſuæ cauſa, deſerat, ipſe etiam nutare cœpit, cum illum, in quam partem ſe daret, hærentem, Petrus Vulterranenſis Epiſcopus, ab Urbano V. ad componenda Principum diſsidia in Germaniam miſſus, convenit, facileque perſuaſit, ne rem, quæ amica compoſitione finiri commode poſsit, armis velit decernere, & Turcis interea, poſt occupatam Adrianopolim, latius, in vicinas quoque ditiones juri Hungariæ obnoxias, graſſandi occaſionem daret. b) Ceſſatio igitur, licet Imperator, & Rex in limitibus jam cum copiis ſuis conſtiterint, ab armis interim facta, donec internunciorum opera diſsidium componeretur. Protracta eſt negotiatio in men-

a) Nempe an. 1359. Tabulis Monachii Non. Sept. conſcriptis.

b) Raynald. ad an. 1363.

menſem Decembrem, a) cum Bulcus, Svidnicenſis & Jaurenſis Dux, qui utrique diſsidentium cognatione conjunctus erat, Ludovicum Trenchinii conveniens, eo rem denique adduxit, ut litem Caſimiri regis Poloniæ arbitrio dirimendam permitteret. Inde in Poloniam digreſſus, Caſimiro, qui minus sororis convicio, quam Ludovicus matris ſuæ, exacerbatus erat, facile perſuaſit, ut pacificato- 1363.

a) Ad hoc temporis intervallum cenſeo expeditionem in Bosniam, cujus Archidiac. Chron. Par. III. c. 33. meminit, & aliqui an. 1359. aſſigunt, locandam eſſe. Cum enim in hac Nicolao Strigonien. Archiep. Sigillum regis furto ſublatum ſit, nimis multi anni inter hunc, & 1364. quo Rex novum Sigillum amiſſo ſubſtituit, intercesſiſſent, quibus malevoli facile commentitio Sigillo in aliorum damna abuti potuiſſent, cum tamen conſtet, regem inter an. 1359. & 1364. quo novum Sigillum confectum eſt, multas donationes feciſſe, quin novi Sigilli mentionem faciat. Forte huc etiam pertineat expeditio in Bulgariam, quam Archidiac. priori confeſtim ſubjungit, in qua Straſcimirus Bulg. Imperat. captivus in Hung. ductus eſt, cum & facilis ex Bosnia in Bulgariam aditus ſit, & Rex an. 1364. Banum Bulgariæ præfecerit, quod Straſcimiro rerum potiente factum non eſſet. Sed hæc, cum nulla certa chronotaxis figi poſsit, in modum conjecturæ.

catoris partes in se reciperet, qui delatum sibi arbitrium eo libentius est amplexus, quo minus illi laboris exantlandum erat, quod Catharina Rudolphi Ducis Austriæ conjunx, Imperatoris filia, patris animum jam ante pronum ad amplectendam pacem reddidisset. *a*)

1363.

1364. Quo celerius autem hæc conficeretur, Imperator, Cracoviam ineunte anno profectus, ut Casimirum sibi addictum redderet, Elisabetham, ejusdem neptem, Bogislai, Pomeraniæ, & Stettinensis Ducis filiam, sibi matrimonio conjunxit. Cracovia Pragam redux, Brunam contendit, quo Ludovicus Rex & Rudolphus cum fratribus, Austriæ Ducibus, jam convenerant, ut pacis negotium, hactenus affectum, mutuo consensu perficeretur. Consentientibus itaque partibus, Tabulæ IV. Idus Februarii in hæc pacta conscriptæ sunt: dissensiones, quæ verbis, factis, & gestibus utrinque, quibuscunque ex causis, intervenissent, penitus oblitteratæ sint: ad hæc juramento cautum, ne alter alterius terras, quas nunc possidet, aut deinceps possessurus esset, damnis afficere, jura, quocunque nomine vocarentur, violare vel alios ad id faciendum consilio, auxilio, clam, palamve juvare unquam ausit. *b*)

Actum

a) Steyrer l. cit. col. 375. Dat. Cracov. in vigil. B. Luciæ, apud Pray Par. II. pag. 120.

b) Steyrer ibid. col. 382. apud Pray, P. II. p. 121.

Actum etiam eodem tempore de jure fucceſsionis mutuæ. Carolus Imperator, Wenceslaus ejus filius, & Joannes Marchio Moraviæ, ſi eos hærede contingeret carere, jus ſuccedendi in omnibus terris ſuis, in gentem Auſtriacam tranſcripſerunt, *a)* hæc vicifsim eadem lege, ſi præter Auſtriacum, etiam regis Ludovici genus, exſtingueretur, jus in Auſtriam, ceterasque ditiones ſuas, ad Carolum, hujusque poſteros tranſiturum ſpoponderat. *b)* Imperator ut Rudolphum, hujusque hæredes, novo beneficio ſibi, ac familiæ ſuæ obſtringeret, Tyrolim, cujus poſſeſsionem nuper adierat, eidem clientelari jure conceſsit. *c)* 1364.

Lu-

a) Steyrer l. cit. in addit. ad c. 3. col. 379.

b) Steyrer l. cit. col. 383. apud Pray pag. 122.

c) Apud Steyrer ad hunc an. c. 3. col. 23. & c. 7. col. 30. Hoc circiter tempore Valachi, Romanorum olim colonia, in Moldavia rurſus propagari cœpere. A Cumanorum enim in eas partes adventu, & Tartarorum irruptione, ſe in montes Marmaroſienſes receperant, ibique ad Ludovici regis ætatem pacati colebant, donec an. 1359. ut Cantimirus hiſt. Moldaviæ, c. 34. ſcribit, quidam *Dragoshus*, vel, ut vult Archidiac. Chron. Par. III. c. 49. *Bogdanus*, coloniam ad fl. Moldavum, a quo deinceps Cumaniæ, nomen Moldaviæ adhæſit, deduxiſſet. Hujus ſucceſſores deinde Ludovicus ad profitendam cli-

en-

1364. Ludovicus, confirmata cum Imperatore amicitia, in Hungariam reverſus, inter primas curas, id ſibi præcipue perficiendum putabat, ut amiſſo nuper in Bosnenſi expeditione Sigillo regio, ne malevoli illo ad damnum ærarii regii, & jurium Nobilitatis, abuterentur, novum ſubſtitueret, quo non ſolum ſuas, quas hactenus edidiſſet, ſed Caroli quoque, patris ſui, doationis litteras, confirmari voluit, alioquin irritas, & omni robore deſtitutas eſſe, publico edicto declaravit. *a)* Con-

---

entelam, & cenſum quotannis pendendum adegit. Qui abhinc Moldaviæ, & Valachiæ imperarint, vid. Pray Diſſert. VII. in annal. veter. Hunnor. &c. pag. 140.

a) Exſtat illius Formula in cod. jur. patr. Decreto regis præfixa. Solebat ea, cum appenſione novi Sigilli, plerumque integra adſcribi, ſi ſpacium erat, in adverſa litterarum parte, quæ ad confirmandum afferebantur, aliquando etiam in averſa; id tamen, ut ſæpe obſervavi, rarius. Ceterum, ob concurrentium frequentiam, Cancellarius, vel hujus vicarius, annum 1364. & diem ſolum in margine inferiori ſolebant adnotare, ut, *anno M. CCC. ſexageſimo quarto, III. Non. Martii* (vel alio die, quo Sigillum novum appendebatur) *regni anno viceſimo tertio.* Critiria autem, quibus novum a deperdito Sigillo diſcerni poſsit, vide Pray Comment.

Concursatio igitur omnium ingens ad regem facta, qui jurium suorum indemnitati consultum volebant, quo beneficio & suorum animos sibi devinxit, & tam publicæ, quam privatæ rerum securitati prospexit. 1364.

XI. Hæc regis beneficentia ad exteros quoque pertinuit, præsertim, qui mercimoniorum causa in Hungariam commeabant, & propterea stationem temporariam aliquando in regno solebant figere. Ex his præter Italos, qui omnium primi jus civitatis Strigonii sub Carolo rege obtinuerant, a) fuere Norimbergenses, & Pragenses, quibus Rex jam antea mercatus causa, immunitates largitus erat. His similes etiam, cum Brunæ erat, rogatu Caroli Imperatoris, civibus Wratislaviensibus, edito scripto indulsit, promissa personarum, & mercium securitate, modo consuetum vectigal penderent, b) volens hoc exemplo suos etiam ad id genus industriæ, cum ob propriam cujusvis, tum publicam quoque regni 1365.

ment hist. de vet. reginas Hung. coronandi more. Pestini 1792. pag. 48.

a) Exstant litt. eorum an. 1330. Sigillum ex una parte refert hanc epigraphen: *Sigillum Latinorum civitatis Strigoniensis*: ex alia vero: *secretum Latinorum civitatis Strigoniensis*. Ipsa civium nomina Italos produnt, ut Baldini, Godini, Geleti, Rubini, Nigroni &c.

b) Katona Tom. X. pag. 360.

gni utilitatem, ſenſim conſuefacere. Adve-
1366. nerant etiam Jadrenſium nuncii, qui civium nomine regem orabant, ut vetuſta urbis jura a regibus olim indulta, adverſus Præfectorum injurias tueri, eaque inſtar novi beneficii, confirmare vellet. Annuit benevole, ſpe etiam facta, ut tres inſulæ, quas Sibenicenſes, tempore Venetorum, ſibi per vim aſſeruerant, ubi certiora edoctus fuerit, eisdem reſtituantur. *a*)

Interea Turcæ ditionem ſuam latius in dies proferebant, & Orientis Imperio ſenſim imminere videbantur. Joannes Palæologus periculi vicinia admonitus, Principum Chriſtianorum, ac Ludovici imprimis, & Pontificis, opem implorat, ſpem eminus oſtendens, ſe, ſi ſibi auxilio eſſent, cum ſuis ad unionem Eccleſiæ Romanæ rediturum. Intererat etiam ipſius regis, ne tam vicinum ſuis ditionibus hoſtem, porro graſſari pateretur. Idem erat Petri regis Cypri, idem Chriſtianorum, qui Macedoniam, Thraciam, & Ægei inſulas colebant, deſiderium, qui facile ad quinquaginta millia numero coaluerant, ut barbaros ex Europa ad priſtina Aſiæ latibula retruderent. Ludovicus, ut rem mari quoque poſſet agere, a Venetis petiit, ut ſibi in hunc uſum aliquot triremes ſuis ſumtibus apud eos conſtrui pateren-

a) Lucius Mem. iſtor. di Tragur. pag 281. ex Protoc. Jadrenſi, d. 2. April. an. 1366.

terentur, verum illi, quorum intererat, ne Rex post occupatam Dalmatiam, etiam mari potentior illis fieret, id quidem negarunt, sed ne nihil pro re Christiana in communi periculo viderentur agere, quinque ex suis triremes in expeditionem se missuros promisere. *a)* Interjectam moram Rex fortassis ægre laturus erat, nisi ab ipso Pontifice fuisset monitus, ut a proposito tantisper desistat, donec Græci certiora ineundæ unionis indicia præberent, hanc enim sæpe quidem ab iis tentatam, sed variis subterfugiis interturbatam fuisse, ceterum, modo ei videatur, facturum rem sibi, & vicinis perutilem, si, ad refrænandos Turcas, cum parte copiarum Græcis succurreret. *b)* Hæc Pontifex ad regem X. calendas Julii, postea autem, quam ex eo intellexerat Palæologum serio, interposita etiam juramenti fide, animum ad unionem adjecisse, aliis ad eundem, utrumque Archiepiscopum, & regni Palatinum, datis litteris, ad bellum suscipiendum cohortatus est. *c)* 1366.

Susceptane re ipsa, an sicut ante tentata per Pontificem cruciatorum expeditio, hæc etiam adhæserit, ambiguum esse videtur. *d)* Certe

a) Lucius l. 5. c. 1, ex Caroldo script. Veneto.
b) Raynald. ad an. 1366.
c) Idem ibid.
d) Sunt tamen, qui putent regem contra Turcas profectum, & victorem fuisse, cujusdam Menes.

1366. Certe post mortuum anno superiore Rudolphum Austriæ Ducem, plures curæ regem distentum habebant, quam ut bellum Turcis obmoveret, sive Palæologo, ut postea patebit, non satis fideret, sive, quod ceteri Christianorum Principes, in se unum id oneris vellent rejicere, satis esse ratus, si Transalpinus Vayvoda, ex una, ex altera parte vero Tvartkus Bosniæ Banus, clientelari jure sibi obnoxius, in hostem excubarent, quem propterea etiam regis titulo condecorari passus erat, attributa eidem, pro Chelmensi Comitatu, ditione Narentana, ne Turcis in Dalmatiam aditus pateret. *a*)

Ipse componendo interea dissidio inter Albertum, & Leopoldum, Rudolphi defuncti fratres, qui ditiones Austriacas, posthabita Alberti patris dispositione, parabant dividere, operam impendit. Erat & illud in caussa, quod Imperator transactionem de successione inter suam, & Austriacam Domum, ante biennium initam, familiæ suæ tam diu inutilem existimaret, quamdiu pacta inter Ludovi-

nesdorffer auctoritate inducti. Vid. Katona Tom. X. pag. 395. Si hic idem sit cum homonymo, qui in fine Chron. Buden. quod sub Mathia Corvino conscriptum est, aliqua de hoc rege adjecit, oportuit centenario bene majorem fuisse.

a) Du Cange, Illyr. vet. pag. 120.

dovicum regem, & duces Auſtriæ, eorumque hæredes, de ſuccesſione mutuo inter ſe fancita, ſtabilitatem haberent. Cum enim Imperatori, ejusque poſteris, ſuccesſio in ditionibus Auſtriacis, non aliter aſſerta fuerit, quam ſi regis, & Ducum ſtirps exſtingueretur, recens autem Eliſabetha, Stephani, fratris Ludovici, filia Alberto Duci ſponſa eſſet deſignata, cui in omnem eventum jus ſucceſſionis, præ gente Lucenburgica olim competeret, a) nihil prætermittendum Imperator ſtatuit, ut hæc pacta, ſalvis tamen amicitiæ, quam cum Ludovico inierat, legibus, reſcinderentur. 1366.

XII. Ad id autem conſequendum, uſus eſt opera Ladislai Ducis Opuliæ, quem Ludovicus regni Palatinum haud ita pridem renunciavit, & jure cognationis magno apud eum loco erat. Hujus ſuaſu flecti ſe paſſus eſt, & editis XXVIII. Februarii litteris, Duces Auſtriæ ab ea ſponſione, qua eidem jus ſuccesſionis in illorum terris ſtipulati erant, penitus liberos pronunciavit, & Imperator viciſsim, habito regis conſenſu, priora pacta, inter hunc, & Duces, de ferendis mutuo auxiliis, & deſignato inter Albertum, & Eliſabetham ma- 1367.

a) Steyrer l. cit. in addit. ad c. 3. pag. 384. & 387. Lunig, Cod. Dipl. Germ. Tom II. pag. 522. & ſeq.

matrimonio, inita, litteris ſuis XX. Martii vulgatis, diſſoluta eſſe, teſtatus eſt. Supererat, ut Ludovicus quoque Tabulas fœderis, quo ſe Duces eidem obſtrinxerant, reſtitueret, cum autem hæ nuſpiam reperirentur, alias litteras XX. Octobris conſcribi, eisque reddi juſsit, quibus deperditas nullius vigoris, & irritas, nec, ſi reperirentur, ſe illis ullo modo uſurum eſſe, ſuo, & hæredum ſuorum nomine declaravit. *a*)

1367. Cum regi hactenus, præter filias, nulla proles maſcula fuerit edita, non invitus huic juri renunciavit, cum, quod Imperatori, cujus in augenda ſua domo ſtudium magis patebat, quam ut celari potuerit, ea in re gratificari vellet, tum quod Poloniam, quam a Caſimiri obitu ex pactis aditurus erat, magna ſui parte limitibus Hungariæ conjunctam, præ ditionibus Auſtriacis longinque diſperſis, regno ſuo utiliorem exiſtimaret, nec, quod Joanna Neapolitana hactenus prole careret, ſpem regni illius aliquando familiæ ſuæ aſſerendi penitus poſuiſſet. Hanc ob cauſam, cognatum ſuum, Carolum Dyrrachinum, Ludovici illius, qui regis partes contra illam, & Ludovicum Tarentinum, olim tuebatur, filium, jam bienno ante ex Italia in Dalmatiam, & priore anno, cum aliquamdiu Spalati, & Jadræ morari juſſus eſſet, in Hungariam accerſiit,

a) Du Mont, Tom. II. Par. I. pag. 53. — 56. Nro. 37. — 40. & pag. 66. Nro. 54.

ſiit, ut, tradita ei una ex filiabus, ſibi ſucce-
deret. *a*) 1367.

Huic Jadrenſes, & Spalatini debent, quod Ludovicus priſtinam judiciorum formam, qua civium lites, de quibus difficile judicium eſſet, ad curiam regiam deferri juſſerat, mutari pateretur, daretque illis veniam, ut, ſi partibus poſt rem ſemel, iterumque judicatam, non conveniret, Paduam, vel Bononiam, aut Peruſium, quæ urbes peritiſsimos illius temporis Juriſconſultos habebant, pro cauſæ cognitione proficiſci poſsint. *b*)

Indignum tamen regi videbatur, ut ſui, judiciorum cauſa, exteros precario, magnisque impendiis, conſultum ire cogantur, quaſi vel nulla domi juſtitiæ ratio haberetur, vel deeſſent, qui lites cognoſcere, & his cognitis, ſententiam ex æquo ferre noſſent. Id ei cogitationem ingeſſerat, ut ſcientiarum Academiam, ad eum morem, quo non ita pridem Imperator Pragæ, Caſimirus Cracoviæ, & Rudolphus Dux Auſtriæ, Viennæ condiderant, ipſe in Hungaria quoque inſtitueret, ne hac etiam parte vicinis Principibus quidquam cedere videretur. Re cum Urbano Pontifice communicata, & ab hoc dilaudata, Quinqueeccleſias delegit, urbem ſitu opportunam, ad quam diſcere volen-

H 2

a) Lucius de regn. Dalm. l. 5. c. 1. pag 395. & Mem. iſtor. di Tragurio, pag. 283.

b) Lucius Mem. iſtor. di Tragur. pag. 84. 85.

lentibus, facilis undique ex hæreditariis terris
1367. aditus esset, & in qua omne disciplinarum genus, præsertim juris civilis doceretur, Theologia solum excepta, quam cur Pontifex exemtam esse voluerit, incertum est, etsi ceteroquin iisdem hanc Academiam, quibus ceteræ per Europam gaudebant, prærogativis ornarit. a)

1368. Jam Avenione in Italiam Urbanus tum redierat, cum hanc regis institutionem ratam habuit. Causa reditus erat nimia Bernabonis potentia, ad quam, per diuturnam Pontificum Roma absentiam, oppressis ceteris Italiæ Principibus, sensim evaserat. Ad hanc reprimendam jam priore anno Ludovicus cum Carolo Imperatore, Francisco Cararia Paduano, & Marchionibus Estensibus, percusso fœdere, auxilium Pontifici pollicitus erat, b) ac idcirco Legatos etiam suos iis, quos Imperator in Italiam miserat, adjunxit, qui illum Viterbio Romam deducerent. Vix in urbem reductus est, cum Ludovicus Andium Comes, Caroli Galliarum regis frater, absentia illius Avenione usus, Comitatum Provinciæ invasit, cui cum Joanna regina impar resistendo esset, Rex autem vereretur, ne hac usurpatione tam insignis portio sensim a jure re-

a) Jos. Koller hist. Episc. Quinqueecclef. Tom. III, pag. 95.

b) Raynald. ad an. 1368.

regni Neapolitani avellatur, miſſo ad Urbanum Joanne, quondam Dalmatiæ, & Croatiæ Bano, intercesſit, diſerte profeſſus, ſe quidem Joannæ reginæ nihil velle obturbare, quia tamen, ſi illa obiret, regnum Neapolitanum ad ſe pertineret, committi a ſe non poſſe, ut Comitatus Provinciæ in jus alienum transiret. Reſpondit Pontifex, ut fere deceſſores illius ad ſimiles regis querelas olim ſolebant, facturum ſe, quod æquitas ſuaderet, neve Rex de injuria queri poſsit. *a*) 1368.

XIII. Interea, licet Rex partes Pontificis 1369.
cum Imperatore contra Bernabonem communiter tuendas ſuſceperit, hærebat tamen illud animo, quod artificio illius circumventus, ſe perſuaderi ſiverit, ut pactis, cum Domo Auſtriaca initis, renunciaret. Id in cauſa erat, ut non modo in anni prioris exitu fœdus cum Ducibus Bavariæ, contra Auſtriæ Duces, litteris Budæ, & Monachii, mutua ſtipulatione conſignatis, iniret, *b*) ſed hoc quoque ineunte, cum Caſimiro, dum regis viſendi cauſa Budam venerat, præter priora de ſucceſsione pacta, nunc rurſus utriusque conſenſu innovata, etiam alia inter ſe ſancirent, quibus ſibi mutua auxilia contra omnes hoſtes, etiamſi cum Imperatore bellum gerenH 3

a) Idem ad an. 1369.

b) Ofelius ſpecimem Diplomat. Bojoar. Tom. II. pag. 187. & 191. ſequ.

rendum eſſet, promiſere. a) Quam oppor-
1369. tuna regi hæc pactorum inſtauratio fuerit, ſequente anno, quo Caſimirus rebus humanis exemtus eſt, patuit. Poloni enim cum viderent, regem maſcula prole deſtitutum, in varias partes diſtrahebantur, pars Duci Stettinenſium addicta erat, alii filiarum quoque Caſimiri rationem haberi volebant, b) pru-
1370. dentiores contra, pactis olim initis, & ſæpius confirmatis, ſtandum exiſtimabant, præſertim quod ad refrænandos Lithuanos, aliosque hoſtes, Ludovicus maxime omnium idoneus eſſet. Hæc pars, ut melior, & æquitate nixa, prævaluit, miſſaque in Hungariam Legatione, Ludovicum ad capeſſendum regnum invitavit, qui haud diu moratus, Cracoviam cum matre Eliſabetha venit, & compoſitis, quæ de coronationis loco ortæ erant, difficultatibus, die XVII. Novembris coronatus, regni poſſeſsionem adiit. Parum tamen aberat, quin ab inauguratione, Polonorum animos a ſe averterit. Graviter ferebant, quod ditionem Vielunenſem, & præcipuam Siradienſis provinciæ partem, Ladislao Opuliæ Duci, & Hungariæ Palatino contuliſſet, veriti, ne illæ ſenſim a Polonia abſtrahantur, quos tamen facile pacavit, utraque provincia in feudum eidem collata, quæ, ſi is ſine maſculo hærede obiret,

a) Dogiel Diplomat. Pol. Tom. I. pag. 39.

b) Cromerus hiſt, Pol. l. 13.

obiret, rurfus Poloniæ unirentur. His conftitutis matrem, quæ, fe abfente, rem publicam adminiftraret, in Polonia reliquit, ipfe, acceptis fecum regni clenodiis, in Hungariam reverfus eft. *a*) 1370.

Hic exacta hyeme, in Palæologum, qui ante annum Romam, & inde, poft unionem cum Romana Ecclefia transactam, Venetias profectus, in procinctu redeundi erat, intentus, mandata ad Tragurinos dedit, ut iter illius, &, fi fieri poffet, etiam confilia explorent, ac, fi quid compererint, fe diligenter edoceant, *b*) paulum tamen poft ipfe cum conjuge in Dalmatiam venit, ut, fi quid forte contra hanc Venetos cum Palæologo moliri velle intelligeret, celerius periculo confulere poffet, verum Imperator, magis de re fua, quam aliena, folicitus, Venetis navibus Dalmatiam prætervectus eft, & regem progrefsiones Turcarum, ac Valachia factionibus turbata, in Hungariam revocarunt. 1371.

a) Idem ibid.

b) Fragmentum litt. reg. an. 1371. d. 9. Apr. apud Lucium Mem. iftor. pag. 293. *Quare vifis præfentibus, modum, & viam inveniatis, quibus de voluntate, & procefsibus dicti Imperatoris Græcorum pofsitis indubitanter experiri, ut nos jugiter continuatis vicibus, de iisdem valeatis litteraliter per nuncios informare &c.*

runt. Nec diu hic moratus, Nicolaum Transsilvaniæ Vajvodam in Valachiam proficisci jussit, ipse cum robore exercitus in Bulgariam movit, cum ut Turcas in metu contineret, tum ut Vajvodæ, si opus esset, subsidio veniret. Ac ille quidem cum Valachis congressus, cæso eorum duce Dragomiro, victoria primum potitus, postea præcipitatus in insidias, magna militiæ jactura interiit. Quo cognito Rex transmisso Danubio, Valachos obsistere ausos, in fugam conjecit, captoque *Zevrino*, provinciam rursus ad obedientiam reduxit, Wladislao Transalpino Vajvoda in fidem recepto. *a*)

1371.

1372. XIV. Bellum Valachicum, fere erat, ut Bohemicum exciperet. Intercesserat Imperatori dissidium cum genero suo Ottone Marchione Brandenburgico, cui cum Ludovicus fœ-

a) Chron. Par. III. c. 38. Tab. Acutheanæ, Script. rer. Hung. Tom. III. pag. 659. & litt. Wladislai Vajvo. Transalpini, an. 1372. rogantis, ut donationem, quam suo cognato fecit, ratam habere velit. *Quare*, inquit, *supplicamus serenissimo domino nostro Ludovico, illustri regi Hung. domino nostro naturali, ejusque successoribus, quatenus litteras nostras in vigore suo confirment, & corroborent, &c. Dat. in Argies in nostra residentia sub an. domini 1372. in die divisionis Apostolor. proxime præterito.* Integras vide apud Katona Tom. X. pag. 540.

fœdere eſſet junctus, partem ſocialis belli ad ſe itidem pertinere exiſtimabat. Facto igitur belli apparatu, Marchioni auxilio venturus erat, niſi Gregorius XI. cui ab adito Pontificatu, concordia Principum Chriſtianorum vehementer cordi erat, Joannem, Patriarcham Alexandrinum, ad Imperatorem miſiſſet. Is occaſionem hanc, velut ſponte oblatam, libenter amplexus eſt, ut Sileſiam ſibi tutam redderet. Quamvis enim Caſimirus jam olim juri ſuo in eam renunciaverit, verebatur tamen, ne Ludovicus, qui recens Poloniæ poſſeſsionem adierat, matris ſuæ titulo, jus ſibi in eam aliquando arrogaret. Patriarcha explorato Imperatoris animo, Ducem Teſchinenſem convenit, & collatis cum eo conſiliis, diſsidentes optime conciliari poſſe judicabat, ſi inter Sigismundum, Imperatoris filium, & aliquam ex Ludovici filiabus, ſponſio matrimonii conciliari poſſet. Egit propterea cum rege, qui non invitum ſe futurum, Imperatori per litteras ſignificari curavit, eamque ob cauſam miſit Ladislaum Ducem Opuliæ, regni Palatinum, & Thomam Strigonienſem Archiepiſcopum, qui cum illo rem transigerent. Imperator, ut negotium facilius conficeretur, litteris juramento firmatis, promiſerat regi, ſuo, & filiorum, fratris, & nepotis hæredumque ſuorum nominibus, ſe Hungariam, Poloniam, Dalmatiam, Vajvodatum item Moldaviæ, cete- 1372.

ras-

rasque provincias, juribus Hungariæ obnoxi-
1372. as, non invasurum, nec, si hæc se sponte ei vellent subdere, unquam consensurum. *a*)

Patriarcha cum his litteris, &, quæ privatim ab Imperatore acceperat, mandatis, Budam profectus, ante omnia de sponsione matrimonii agendum sibi esse putabat, ut ad reliqua regem deinde proniorem haberet. Assensus est, & cum conjuge juramento se obstrinxit, se filiam ultimo genitam Sigismundo collocaturum, si vero filius sibi nasceretur, ut filia primogenita, si hæc quoque moreretur, secundo genita, eidem in manus conveniret. Hæc Patriarcha hactenus ex sententia. Sed dum eo ventum esset, ut Rex fœderi cum Ducibus Bavariæ inito renunciet, negavit se facturum. Tractatio igitur eatenus adhæsit, dedit tamen similes iis, quas ab Imperatore acceperat, litteras, jure jurando pollicitus, se, conjugem suam, hæredesque, numquam invasurum esse Bohemiam, vel ad Ducatus Silesiæ, Moraviam, aliasque, ubicumque has Imperator possideret, terras occupandas aspiraturum. *b*)

Re

a) Apud Dobner Monument. hist. Tom. II. pag. 385. Dat. Budæ, 20. Febr. 1372. & pag. 386. Dat. Wratislav. 14. Mart. eod. an.

b) Acta Legation. apud Dobner l. cit. pag. 388. Item Du Mont. Tom. II. Part. I. pag. 38. & Lunig Cod. Dipl. Germ. Tom. I. col. 1342.

Re huc, quo volebat, adducta id enim præcipue mutua hac ſtipulatione agebat, ut, ſi quid in hoſtes moveret, regna ſua ab exteris tuta eſſent, bellum in Venetos decrevit, ut Franciſco de Cararia, ſecundum pacta auxilio eſſet, cui jam antea Stephanum Vajvodam Tranſilvanum ſuppetias miſerat, qui pugna quidem, intercepto copiarum duce, primum victor, ſed poſtea inſidiis circumventus, ipſe quoque cum mille Hungaris interceptus eſt. *a*) Veneti iram regis ſubveriti, Pantaleonem Barbarum Budam Legatum miſere, qui, cauſa rupti fœderis in Carariam rejecta, regem placare niteretur, ſed is dubia reſponſa dabat, dimiſſoque Legato, rurſus ſocietatem armorum cum Cararia iniit, & Duces quoque Auſtriæ, qui Tergeſtum ſibi ante quinquennium per Venetos ereptum recuperare cupiebant, in ſuas partes pertraxit. *b*) Ne quid 1373.

a) Dandulus in Chron. ad an. 1372.

b) Litt. regis ad Spalatinos apud Lucium Mem. iſtor. di Tragurio, pag. 297. *Noveritis, quod Dux, & commune Venetiarum, Pantaleonem Barbarum Ambaſſatorem eorum, ad nos duxerant transmittendum, quem ad noſtri præſentiam noluimus aſſecurare pro eo, quia, dum cum ipſis de pace tractabamus, nobis non curaverunt dare reſponſum. Nunc vero prioris noſtræ intentionis non exiſtimus, nec eſſe volumus, quia*

quid autem in Polonia interim turbaretur,
1373. non enim optime in matrem regis hactenus animati erant, Ladislaum Opulienſem, qui Palatini magiſtratu fungebatur, Ducem Ruſſiæ præfecit, *a*) ut, ſi res poſceret, in omnem eventum, Eliſabethæ e vicinia re, & conſilio adeſſet. Veneti autem, ex repulſa ſui Legati, regem aliquid adverſum ſe moliri velle, non vane ſuſpicati, prius, quam Ludovicus copias ſuas cum Ducibus Auſtriæ, & Paduano conjungeret, Delphinum, claſsis Præfectum litus Dalmaticum, ne quid ſuppetiarum inde ſubmitti ei poſsit, oberrare juſſerunt, tum ſummo ſtudio, ſi bellum illis ingrueret, ad id propulſandum apparatus fecere, re ipſa autem omnis molitio Paduanum ſpectabat. Id ille veritus, videnſque, auxilium a rege, & fœderatis tempori vix adfuturum, pacem cum

quia cum Ducibus Auſtriæ, fratribus noſtris, & domino Paduano (Cararia *) taliter ſumus colligati, & uniti, quia dictos Venetos damnificare nos oportet, &c. Dat. Budæ* 5. *die menſis April.* 1373.

a) Litt. autogr. *Nos Emericus regni Hung. Palatinus — memoriæ commendamus — Quod ipſo D. Ladizlao, Duce, & Palatino per D. noſtrum regem in dominum regni Ruzziæ ſublimato, ipſoque honore Palatinatus, per regiam majeſtatem nobis collato &c. Dat. in Wiſſegrad.* 1373.

cum Venetis inire coactus est. Conditiones satis duræ erant: primum, impensas in belli 1373. apparatum factas, centum millibus aureorum compenset, tum Venetias filium mittat, qui loco patris erratorum veniam petat, denique castrum *Ordiacum*, Brentæ fluvio adsitum, funditus jubeat convelli. *a*)

XV. Ludovicus, cujus in hac pacificatione nulla mentio facta erat, videns, consilia 1374. sua ante tempus esse prodita, a bello quidem nunc abstinendum sibi esse putabat, sed eo magis operam in conciliandis sibi fœderatis collocavit, cum ut plures Venetis hostes conciret, tum, ne regnum Neapolitanum, a Joannæ obitu, a sua in alienam familiam transferretur. Hunc in finem misit ad Carolum Galliæ regem Oratores, Stephanum Zagrabiensem Episcopum, & Joannem Zudar, Sclavoniæ Banum, qui de aliqua ex filiabus suis, Ludovico Caroli filio conjungenda tractarent, data potestate, quæ inituri essent, pacta, juramento quoque confirmandi, id sibi tamen servatum velle, ut, si quam Carolus filio suo delegerit, de hac, aliisque decernendi arbitrium penes se esset; in sponsam vero, & sponsum, omne jus suum in dominia Siciliæ, Neapolitanum, Apuliæ, Calabriæ, Principatum Salernitanum, Comitatus Provinciæ, Folcalquerii, ac honorem montis sancti Angeli, ple-

a) Dandulus in Chron. ad an. 1373.

plene, integreque, cum jure hæreditario,
1374. translatum iri, ſuo nomine pollicerentur. *a)*

Non minor illi cura erat de Polonia. Cum enim ex pactis jus ſucceſsionis ad ſolos mares reſtrictum fuerit, filio autem hactenus careret, vehementer optabat, ut id ad filias quoque traduceretur. Hac de cauſa comitia Poloniæ Ordinibus Caſſoviam indixit, ut iis conſentientibus negotium transigeret. Sed in ipſo confeſtim principio offendit, cum Caſimiri exemplo, tributum a Prælatis, Proceribus, ac Nobilibus, feudorum cauſa exigeret. Grave id omnibus viſum, quod Caſimirus ipſe id tributum ſe ſublaturum crebro promiſiſſet, regemque orabant, ut ſe ab hac exactione inſolita, ſuisque immunitatibus adverſa, deinceps liberos pronunciare vellet. Aſſenſus eſt, fidemque dedit, ſe præcipuam tributi feudalis partem remiſſurum, exigua ſolum in ſignum dominii, retenta, ſi, cum hactenus prole maſcula deſtitutus ſit, vetera pacta de ſucceſsione antiquarent, & idem jus in filias ſuas transferrent, *b)* eamque regno, quam ipſe, aut mater deligerent, cum jure hæ-

a) *Dat. Budæ*, 16. *d. menſis April. an.* 1374. apud Pray, Par. II. pag. 136. Laurent. de Monacis in Chron. pag. 116. memorat, Catharinam ex regis filiabus ſponſam fuiſſe deſignatam, quæ tamen paulo poſt obierit.

b) Dlugoſſus hiſt. Polon. l. 10.

hæreditario, præficerent. Quod cum illi communi omnium consensu ratum habuissent, Rex ut ejus rei testimonium ad posteros exstaret, in publicas tabulas referri jussit. *a*) 1374.

His

a) Andr. Zaluszki specim. hist. crit. Polon. pag. 147. Operæ pretium est, integrum hic depromere. *Ludovicus &c. Licet alias nostris promissionibus instrumentorum, seu privilegiorum, Nobilibus ipsius regni Poloniæ fuissemus obligati, quod decedentibus nobis de hac luce, masculinam prolem nostram tantum, & non femineam deberent habere, & sibi recipere nostrum in hæredem, & successorem regni Poloniæ, demum Baronum, militum, Nobilium, & aliorum omnium consensu, & voluntate accedente, filias nostras, non exstante prole masculina, sibi in dominos, & hæredes regni prædicti, acceptarunt, quas fieri nostros successores, & coronam regni Poloniæ ipsas volunt, & voluerunt obtinere. Tamen in eo casu, quo filiam, vel filias, divina nobis providente clementia habuerimus, unum ex eisdem masculum; illis deficientibus, unam ex nostris filiabus, nunc natis, & exstantibus, ac in futurum nascituris, quem, vel quam nos, vel excellentissima domina regina, mater, & consors nostra carissima, ipsis assignabimus, & assignabunt, illum, vel illam habeant pro hærede, & successore nostro, & ipsi regnicolæ assumere teneantur,*

His regnorum suorum causa intentum, 1374. Pontifex, ad quem interea Palaeologus Joannem Lascarim pro solicitandis contra Turcas auxiliis miserat, datis ad eum litteris interpellavit, ut ad reprimendas progressiones Turcarum, qui ejus ditionibus in dies magis appropinquarent, studia sua reliquis Christianorum Principibus, cum non tam istorum, quam ipsius res, agatur, conjungeret, idemque Stephano Zagrabiensi Episcopo, & Petro de Zudar, qui legatione apud Carolum Galliae regem perfuncti, Pontificem Avenione, regni Neapolitani causa, convenerant, in mandatis dedit, ut, cum in Hungariam redierint, regem de instantis periculi magnitudine commonefacerent. a)

1375. Legati a suo reditu, quo negotium de sponsione matrimonii in Gallia adduxerint, &

tur, & habere, prout eisdem per Barones, Nobiles, Proceres, civitates, & singulos inhabitatores regni Pol. sit, & facta est de nostra voluntate obligatio homagialis, & promissio sit, & facta est ex nunc prout ex tunc, & ex tunc prout ex nunc in Principem, haeredem, & legitimum successorem, & deinde, vel abinde successores eorundem, vel earundem, locum regiminis habeant obtinere, in regno Pol. praenotato. &c. Dat. Cassoviae, 17. Septem. 1374.

a) Raynald. ad an. 1374.

& quæ a Pontifice ſibi fuiſſent commendata, ad regem retulere. Ut primum, quoniam mandata ſua accurate exequuti fuiſſent, ratum habuit, ita alterum, quod nihil certi de decimis ſacerdotiorum in uſum belli Turcici impendendis, a Pontifice afferrent, non eodem animo accepit, nec eo potuit adduci, ut inter fœderatos Principes nomen quoque ſuum profiteretur, ſive nondum eos ab illis apparatus fieri vidit, ex quibus belli, cujus maxima vis terra, non item mari, quo Turcæ nondum valebant, exantlanda erat, felicem exitum ſperare poſſet, ſive necdum tam vicinum eſſe periculum, ſibi perſuaderet. Eo autem ſolertius, etſi ſemel, iterumque a Pontifice eſſet monitus, ut Græcorum Imperatori ſubveniret, ſuum propoſitum, de filiabus honeſto matrimonio jungendis, proſequutus, Hedvigem natu minimam Vilhelmo, Leopoldi Ducis Auſtriæ primogenito, deſpondit. *a)* Provido, quantum in ſe erat, in hoc delectu, uſus conſilio, ne filias ejusmodi Principibus locaret, quibus vel longinque jus eſſet in Poloniam, quam Hungariæ, magno utri- 1375.

usque

a) Dlugoſſus l. 10. & videtur jam anno priore aliquid de hac ſponſione agitatum fuiſſe, ut patet ex litt. Leopoldi Ducis, dat. Erenbergæ d. 18. Aug. apud Andrian epoch. Habſpurgo-Auſtr. pag. 60.

usque regni commodo, ſemper conjunctam,
1376. Mariæ, natu mediæ, &, cui hæc nuptura eſſet, viro, deſtinavit.

XVI. His ad eum, quem optabat, finem deductis, Carolum Dyrrachinum cum conjuge Margaretha, in Italiam miſit, *a)* ſpecie quidem reviſendæ patriæ, & ut Joannam reginam ſalutaret, re ipſa autem, ut, ſi quos per iter, non optimo in Venetos animo comparatos, reperiret, hos ad commune ſecum fœdus ineundum adducere conetur. Succeſsit conatus. Aderant non longe poſt a Patriarcha Aquilejenſi, Cararia Paduæ domino, & Forojulienſibus Legati, cum quibus Viſſegradi armorum ſocietas his conditionibus in quinquaginta annos ſancita: Rex ſuo, & hæredum ſuorum nomine, ditiones ſociorum contra omnes hoſtes, Papa, Imperatore, ac Ducibus Auſtriæ exceptis, tuebitur, & tuiturum ſe promittet: nulli ex confœderatis, ſi bellum moveri contingeret, pacem, vel inducias cum hoſte, aliis inſciis, paciſci integrum erit, ſi quid, quod

a) Litt. regis ad Jadrenſes, apud Lucium Mem. iſtor. pag. 303. *Cum nos ſereniſ. Principem D. Carolum de Duracio, & inclitam D. Margaritam, ejus uxorem, verſus ipſorum patriam remittere intendimus, — mandamus, quatenus — unam Galeam, ad transfretationem diſpoſitam — promtuetis, &c. Dat. Budæ, in Dominica Ramis palmarum.* 1376.

quod ad ditionem Patriarchæ olim pertinuit, per quemcunque recuperatum fuerit, eidem bona fide reddetur; cetera cujusvis occupantis erunt: Marquardus Goritiæ Comes, aliique, qui claustra, per quæ in Forojulium aditus est, obsepirent, vel iter copiis illuc ducendis impeditum redderent, ii loco hostium habebuntur. Pactis, præter Strigoniensem, & Colocensem Archiepiscopos, reliqui quoque Episcopi, & Nicolaus Gara Palatinus, cum regni Baronibus, subscripsere. a)

1376.

1377.

Jam Legatos, confirmatis pactis, ab se dimiserat, cum allato e Polonia nuncio comperit, Lithuanos in Poloniam irrupisse, & præsertim in Sandomiriensi provincia late grassari. Sine mora igitur cum parte copiarum ipse per Sanocenses alpes præit, reliquis accelerato itinere consequi jussis. Appropinquanti cum Polonorum turmis, quas interea optimates, nam Episcopi suas negabant, regi conjunxerant, Kyestutus Lithuanorum Dux obviam factus, pacemque implorans, hanc, restitutis, quas occupaverat, arcibus, redditisque captivis, facile impetravit. b) Pacata Polonia, in Hungariam reversus, & Tyrnaviam divertens, quo Imperatrix, & utraque regina advenerant, filiam Mariam Sigismundo

a) Tabulas exhibet Muratorius Tom. III. Antiquit. Italiæ apud Pray Par. II. pag. 141.

b) Dlugossus l. 10.

do Imperatoris filio despondit, eumque, ut
1378. sensim moribus, & linguæ Hungaricæ consuescerent, apud se retinuit. *a*) Insequente dein anno Heimburgi, quod altero lapide Posonio distat, cum Leopoldo Austriæ duce congressus, dotem ducentorum millium florenorum, quam filiæ Hedvigi, Vilhelmo Leopoldi filio desponsæ, jam prius constituerat, nova pactione firmavit, centum millibus, Leopoldus enim trecenta se daturum spoponderat, amicitiæ causa condonatis. Solutio autem dotis a festo Sancti Georgii in quinquennium prorogata est, & cautio de redditibus viginti millium ab utroque in suis ditionibus præstita; adjecta tamen hac conditione: ut, si inito matrimonio nullam prolem susciperent, vel alteruter conjugum obiret, superstes fructu quadraginta millium ad dies vitæ frueretur, hoc autem mortuo, viginti Leopoldo, ejusque posteris, & alia viginti millia Ludovico, & hujus hæredibus obvenirent. *b*)

Sub hæc Legati a Genuensibus regem convenere, eumque in armorum societatem contra Venetos invitarunt. Jam diu is alieno in illos animo erat, quod mercimonium salis Pagensis, magno ærarii detrimento, per Adria-

a) Dubravius hist. Boh. l. 22.

b) Dat. apud Hamburgum d. 15. Jan. 1378. Integras pactionum litt. vid. apud Katona. Tom. X. pag. 643.

Adriaticum vetuissent. Itaque, cum jam antea cum Paduano, & Forojuliensibus in hunc 1378.
finem fœdus pepigerit, justam sibi causam oblatam esse existimans, non difficilem se illis præbuit, præsertim, quod Anconitani quoque clam polliciti fuissent, se in partem belli venturos esse. Sed Veneti id, quod clam agebatur, suspicati, fœderatorum conatus occuparunt, & Pisanum, classe subito instructa, Tyrrhenum oberrare jusserunt, qui, fusis Genuensium triremibus, in litus Dalmatiæ invectus, eodem impetu, quod Banus Dalmatiæ, quamquam rogatus, suppetias laborantibus submittere negligeret, *a*) Catarum, Sibeni- 1379.
cum, & Arbam intercepit; Tragurium & Jadra civium virtute servatæ sunt. *b*)

XVII. Ludovicus, cum videret belli initium parum feliciter cadere, nec conceptæ spei respondere; Carolum Dyrrachinum, qui anno priore ex Italia redierat, *c*) cum decem

a) Acta Capituli Jadren. apud Lucium Mem. istor. pag. 310. 1378. *d.* 11. *Decembr. Thomas Dominici Syndicus Sibenici, Jadræ coram Bano Nicolao protestatur, Venetos Sibenicum exusisse, quia non habuerunt milites, ab eo requisitos toties, ad resistendum, & quod pejora timentur &c.*

b) Dandulus in Chron. apud Murator. Tom. XII. Script. Ital.

c) Lucius Mem. Istor. pag. 305.

cem millibus Hungarorum delectæ militiæ in
1379. Italiam misit, ut Patriarchæ Aquilejensi, Paduano, ceterisque fœderatis conjunctus, Venetorum vim a mari in continentem averteret, ea tamen conditione prius obstrictum, ut interposita juramenti fide polliceatur, se nunquam ad Hungariæ, & Poloniæ regna aspiraturum, nec quidquam contra filiarum suarum jura moliturum esse. Qua fide promissis steterit, postea patebit. Ut in Forojulium venit, expugnatis brevi aliquot arcibus, Tarvisium obsidione cinxit, & Genuenses, reparata interim classe, Venetos insigni clade profligatos, pene ipsi urbi incluserant, qui cum se in has angustias redactos viderent, primi Ordinis viros ad Carolum miserunt, qui de pace cum illo agerent, *a)* sed ab hoc, quod ad hanc conficiendam nulla mandata, nec potestatem haberet, ad regem remissi sunt. Hos ille quidem liberaliter acceperat, sed conditiones hujusmodi præscripsit, ex quibus Legati intelligerent, sibi rem cum eo esse, qui fortuna armorum pro habitu temporis uti nosset.

Earum hæc summa fuit: Solemnioribus diebus erigeretur in foro sancti Marci vexillum regis, Ducem suum pro legitimo non habeant, nisi Rex electionem illius confirmas-

a) Dandulus in Chron. apud Murator. Tom. cit. Script. Ital.

maſſet, ſumtus bello impenſos, quingentis aureorum millibus deſignato tempore rediment, interea vero theſaurus ad ſanctum Marcum repoſitus, & pileus Ducalis in pignoris loco eſſet, præterea tributum quinquaginta millium aureorum, quotannis regi dependant. *a*) Veneti, intellecto tam duras conditiones ſibi a rege dictari, mandata Legatis dedere, ut capto, ex temporis protelatione, conſilio, regis animum ad mitiora ſenſim flectere conarentur. Favit illis interjecta mora, cumque frequenti nunciorum ultro, citroque miſsitatione, Rex mitigâri videretur, tractatio pacis prorogata fuit. *b*)

1379.

1380.

Ad cujus accelerationem Joanna Neapolitana, ſive ſponte ſua, ſive a Venetis ſubornata, non parum contuliſſe viſa eſt, dum Ludovicum Andegavenſem, Ducis Calabriæ titulo inſignitum, pro filio adoptavit, hæredem-

a) Sanutus, apud Murator. Tom. XXII. pag. 693. *Capitoli che volevano i inimici, mediante il Re d'Ungheria dovendo conchiudere la pace co' Veneziani.* Eaſdem refert Paul. Maurocenus hiſt. Venet. l. 14. pag. 329. Addit Kerchelics hiſt. Eccleſ. Zagrabien. pag. 137. ſed non indicato, ex quo habeat, autore, etiam hanc fuiſse, ut Sigilli Venetorum inſcriptio, qua *ſe maris dominos*, dicebant, tolleretur.

b) Dandulus in Chron. Tom. cit. pag. 449.

que regnorum ſuorum ſcripſit, jure ſucceſsionis
1380. ad legitimas ejusdem proles extenſo. *a*) Hac injuria Ludovicus graviter offenſus eſt, præſertim, quod clauſulam illam primævæ inſtitutionis, qua cautum erat, ut iis ſolum, qui a Carolo I. ſanguinem ducerent, jus ad ea regna eſſet, Clemens VII. a factioſis Urbano VI. oppoſitus Joannæ gratia, public s litteris irritam declaraſſet, *b*) cum ceteroquin ſecundum illam, ſibi primæ, & Carolo Dyrrachino ſecundæ in Siciliam deberentur. Erigebat tamen illud, quod Urbanum VI. Carolo favere intelligeret, cui ut ad conſequendum regnum adjumento eſſet, pacem ſibi neceſſariam eſſe vidit, quæ ut facilius coaleſceret, arbitrium illius, Venetis quoque conſentientibus, Amadæo VI. Sabaudiæ Duci oblatum eſt. Quamquam mors quoque matris, quæ in finem hujus anni incidit, *c*) ne quid rerum in Polonia

a) Litt. adoptionis exſtant apud Lunig, Cod. Dipl. Ital. Tom. II. col. 1142. *Dat. in caſtro noſtro Ovi prope Neapolim* 1380 *Indict. II. d.* 29. *Jun.*

b) Apud eund. ibid. col. 1145. *quod præfatus ſanctis. D. noſter, D. Clemens Papa VII. clauſulam de ſucceſsione regni Siciliæ loquentem de infeudatione facta cl. mem. D. Carolo I. — qua cavetur, quod nullus in dicto regno ſuccedere poſsit, niſi ſit de deſcendentibus a dicto D. Carolo — per ſuas litteras Apoſtolicas — revocavit, & viribus vacuavit.*

c) Dlugoſſus l. 10. ſed ad an. 1381.

nia, ab ejus obitu, novaretur, regem, ut pro-
niore, quam antea, ad amplectendam pa- 1381.
cem animo esset, permoverit.

XVIII. Cum enim Clemens VII. se rebus Polonicis ingereret, & Wladislao, Duci Cujaviæ, qui Casimirum tertio consanguinitatis gradu attingebat, jus in Poloniam, præ Ludovici filiabus, competere declarasset, *a)* veritus, ne Poloni hac declaratione in transversum agantur, Conventum illis Budam indixit, in quo habita cum iis deliberatione, & confirmatis animis, *Zavisum*, Episcopum, *Dobeslaum* Castellanum Cracoviensem, & *Sandivogium*, Calisiensem Palatinum, vicarios constituit, qui regis nomine interea rem publicam administrarent, dum pax, cujus spes proxima esset, cum Venetis stabiliatur. *b)* Ac in hac quidem conficienda, Dux Sabaudiæ omnem hactenus operam impendit, ut Legatorum opiniones conciliaret. Sed, ut fere fit, dum quisque illius, cujus personam gerit, privato commodo studet, diu, multumque tædii exhauriendum ei erat, donec omnes in eandem sententiam conspirassent. Pax itaque his conditionibus confecta est. *c)*

Capti-

a) Katona Tom. X. pag. 697.

b) Dlugoss. l. cit.

c) Has conditiones prolixe referunt, Sanutus, apud Murator. Tom. XXII. pag. 693. & Maurocenus hist. Venet. l. 16. pag. 354.

Captivos utraque pars liberos dimittet;
1381. ſpolia bello facta, tam Veneti, quam Genuenſes, retinebunt; Paduanus Venetis reſtituet *Cavarzeram*, *Moranzam*, & turrim *Curani*, lis vero de limitibus inter utrosque orta, Ducis Sabaudiæ, & Legati Florentinorum, arbitrio dein dirimenda ſervetur; Patriarcha Aquilejenſis in eundem ſtatum, in quo ante bellum erat, reponatur. Veneti per quinquennium, regi ſeptem mille aureos quotannis ſolvent, hic vicifsim ſalem in Dalmatia, & Sclavonia deinceps fieri prohibebit, jurique, quod in inſulam *Pagum* habet, vel habere poſſet, renunciabit: *a*) arx *Tenedus*, de qua mercimonii cauſa, inter Venetos, & Genuenſes, diuturna controverſia erat, donec, ad utros pertineat, decernatur, in fide Ducis Sabaudiæ manebit, præſidiarios tamen utrique ſuo ære alent: ad tollendam autem inter utrosque diſſidiorum cauſam, neutris mercatum ad Tanaim exercere, fas erit; denique ad pacem in ſolidum firmandam, Veneti, & Genuenſes vicifsim ſibi obſides dabunt, Florentini vero cau-

a) Maurocenus l. cit. *Che Venetiani daſſero per cinque anni ſette mille ducati all' anno al Re d'Ongaria, & elli all' incontro fuſſe obligato non permetten che fuſſero fatti ſali nella Dalmatia, nè in Schiavonia, e rinonciaſſe ogni ragione (che) haveſſe, ò poteſſe havere nell' iſola di Pago,*

cautionem pacis in se recipient. Conditiones Taurini XXIV. Augusti, & Venetiis III. Septembris promulgatæ, ac in Hungariam ab Andrea Gradonico, Dominico Trono, & Marco Zeno perlatæ sunt, qui eas a rege confirmari flagitarent. 1381.

Ludovicus iis expensis, illas, quæ de renunciatione juris in Pagum insulam, & de sale Dalmatico, ac Sclavoniæ, erant propositæ, tamquam juri suo majestatico probrosas, rejecit, *a*) censui autem quinquenni, septem millium aureorum, substituit, centum millia quotannis pendenda. *b*) Sed, cum id Legatis nimium, regi autem septem mille per quinque solum annos solvenda, parum videretur, nec belli impensas æquare, data Legatis mora est, ut nova mandata Venetiis præstolari possint, quibus acceptis, ita utrinque conventum: Rex illa, quæ Dux Sabaudiæ, de Patriarcha Aquilejensi, Paduano, & Genuensibus constituerat, rata habuit, de centum autem aureorum millibus statuit, ut Veneti quidem

a) Cameras enim salium etiam postea exstitisse in Dalmatia, docent litt. Elisabethæ reginæ ad Traguriens. dat. Jadræ 1383. apud Lucium Mem. istor. pag. 327.

b) Sanutus apud Murator. Tom. cit. pag. 693. *e come altrove ho veduto, i nostri erano contenti di darsi al Re d' Ungheria, e darli ogni anno ducati centomila.*

dem hæc regi se debere agnoscant, sed de
1381. his censum dumtaxat septem mille aureos eidem, & successoribus Hungariæ regibus, in festo Divi Stephani regis, quotannis persolvant. *a*) Mitigatis in hunc modum conditionibus, juramentum ab utraque parte de iis bona fide servandis præstitum est, additumque, ut idem deinceps tam reges Hungariæ, quam Venetorum Duces, quotannis innovent. *b*)

In-

---

a) Hæc septem millium pensitatio durabat etiam sub rege Sigismundo, ut patet ex Hist. génér. & particul. de Bourgogne &c. à Dyon, 1748. pag. 185. Chambre des comptes de Dyon, N. 182. Exstant in hac litt. Joannis primogeniti Burgundiæ Ducis, & in his sequentia: *potestatem ipsis* (quos Venetias miserat) *& cuilibet eorum concedens, emendi, aquirendi, — a sereniss. Principe & D. D. Sigismundo, Dei gratia Hung. Dalm. & Croat. rege inclyto, & consanguineo nostro, & a corona regni Hung. habentibus mandatum legitimum a dicto D. rege — censum, se Datiam* 7000. *flor. omni an. & præcipue in festo S. Stephani, cujuslibet anni debitum eidem regi — & coronæ regiæ, per Ducale dominium Venetorum, — census & annui redditus pro summa* 100000. *flor. auri, &c. Dat. Trevisiæ d.* 15. *Jan.* 1397. Pactionem hanc consensu utriusque partis revocatam fuisse, nuspiam hactenus reperi.

b) Danduli continuat. apud Murator. Tom. XII. pag. 467. *Juxta formam pacis, illustr. D.*

Dux

Interea vero, dum de concilianda cum Venetis pace agebatur, Carolus Dyrrachinus Romam profectus, feudum regni Siciliæ ab Urbano VI. impetravit, præstititque juramentum fidelitatis, id inter cetera etiam pollicitus, se nunquam procuraturum, ut in Imperatorem, regemque Germaniæ, vel dominum Lombardiæ, aut Tusciæ eligeretur, quod si ipse, vel posteri ejus promissis non starent, tum ipse ejusque hæredes, nisi admoniti, intra quatuor menses electioni renunciarent, omni jure in Siciliam, & provincias ei adnexas, tam ipse, quam ejus hæredes, privati censeantur, cetera, regnum iisdem, quibus Carolo I. olim collatum erat, conditionibus, & jure succesſionis ad legitimos utriusque sexus liberos traducto possideret. a) Carolus data fide se omnia servaturum, Roma cum Hungaris, quibus se Itali quoque per iter conjunxerant, digressus, recta Neapolim contendit & Ottonem Bavarum, Joannæ maritum, copias ausum opponere, vicit, cepitque, mox a civibus in urbem inductus, 1381.

Joan-

Dux cum suis Consiliariis, in manibus venerab. Ambasciatæ regiæ, subsequenter serenifs. D. Rex, in manibus eorum Ambasciatorum — eam perpetuo observare solemniter juraverunt. Hoc equidem juramentum per singulos ipsarum partium successores, debet perpetuo innovari.

a) Lunig Cod. dipl. Ital. Tom. II. col. 1147 & 1150.

1381. Joannam, quæ ſe in arcem ſubduxerat, ad deditionem compulit, a) remque feliciter a ſe geſtam Ludovico ſignificavit, obteſtatus, ut, cum præcipuus ſibi ad adipiſcendum regnum auctor exſtitiſſet, ſe in eo etiam conſervando adjutum iret.

1382. XIX. Re enim vera non temnendum hoſtem in Andegavenſi nactus erat, cui Clemens VII. ut Urbano VI. & Carolo ægre faceret, novum ab ſe excogitatum regnum Adriæ, quod bonam partem terrarum ſtatus Pontificii complectebatur, in morem feudi contulit. b) Andegavenſis favore Clementis ſubnixus, cum exercitu Picenum, & Marſorum regionem emenſus, cum Neapolim deſtinare ferebatur, Carolus ſuppetias, ad eum reprimendum, ex Hungaria flagitavit, quæ ut tempori adeſſent, regina, Ludovicus enim aberat, datis ad Dalmatiæ, & Croatiæ Banum litteris, naves, & militem in promtu haberi juſsit, c) quæ mandata Ludovicus brevi poſt, ad eundem Banum, & urbes Dalmaticas repetiit, diſerte imperans, ut Carolo contra Andegavenſem, terra, marique, omnibus viribus aſsiſterent. Interea Carolus, Andegavenſi moras nectente, prius quam armis fortunam experiretur, & ſuppetiæ ex Hungaria

a) Collenutius hiſt. Neapol. l. 5.

b) Lunig, Tom. cit. col. 1167.

c) Lucius de regno Dalm. l. 5. c. 1.

garia adessent, illum legatione tentandum censuit, utrum pactis conventis eum ab Italia avertere posset. Vix Legatus, cujus rei causa venisset, exposuerat, cum illum contra datam fidem necari jussit, qua perfidia Carolus irritatus, vecordem ad singulare certamen, quo lis de jure utriusque in Siciliam decerneretur, per litteras, ut condicto loco adesset, provocavit, *a)* verum is comperto, Joannam eodem mortis genere, quo illa maritum olim sustulit, eodemque loco affectam esse, *b)* responsum in mensem Novembrem distulit, *c)* & in Anconitanum agrum copias traducens, post mulctatos magna æris summa cives, iter Neapolim instituit, quod Anconitani ad Jadrenses, & hi ad regem perscripsere, magnopere veriti, ne Caroli res, licet Banus Dalmatiæ cum copiis Barolum jam applicuisset, in summum discrimen adducantur. *d).* 1382.

Ludovicus toto fere eo tempore, quo æmuli de Sicilia inter se contendebant, Zolii cum Polonis, quamquam jam corpore æger, de successore agebat. Vi pactorum quidem in ejus arbitratu erat, utram ex filiabus eis vellet præficere, parumque aberat, quin primum Hedvigem destinaret, sed cum Wilhelmus

a) Lunig, Tom. cit. col. 1182.

b) Scipio Mazzella in vit. regum Neap. pag. 157.

c) Lunig, Tom. cit. col. 1183.

d) Lucius cit. l. & c.

helmus ejus ſponſus vix earum opum eſſet,
1382. ut regnum contra Lithuanos, & inteſtinas factiones, quarum non obſcura indicia erant, ſatis tueri poſſe videretur, Sigismundum Mariæ ſponſum eis propoſuit, ita futurum, ut Polonia Hungariæ conjuncta, ob viciniam mutuum ſibi ſemper auxilium ferre poſsint. Hac ratione uſus, tandem perſuaſit, ut Sigismundo fidelitatis ſacramentum, licet non ſine difficultate, dicerent, quo præſtito, copiis Hungaricis inſtructum, & curæ Gnesnenſis Archiepiſcopi, & Sandivogii commiſſum, pro capeſſendo regno, & ad redigendos in ordinem refractarios, in Poloniam miſit, *a)* ipſe Tyrnaviam, ex morbo jam graviter languens, profectus, XI. Septembris ibidem obiit ætatis ſexto, ac quinquageſimo, poſtquam quadraginta annos regnaſſet. Corpus XVI. ejusdem menſis Albam delatum, & in ſacello, quod Baſilicæ adſtruxerat, ſuoque funeri vivus deſtinavit, magno omnium luctu conditum eſt. *b)*

XX. Rex conſenſione omnium, & ſine invidia cognomen *Magni* adeptus, fines regni a mari Adriatico ad Balthicum protulit: ſcientiæ

a) Dlugoſſus l. 10.

b) In die emortuali ſcriptores variant. Memoriale Pauli de Paulo apud Lucium diem 12. & Calendar. Miſſalis Strigonien. an. 1501. diem 10 alii 11. ſtatuunt.

entiæ politices, ac militaris perinde gnarus, quarum usu suos tam obeundis ad exteros Legationibus, quam tractationi armorum, & disciplinæ ad artem excultæ, idoneos reddidit: juris regii, regnique ex æquo tenax. Nobilium animos ea dexteritate, quo vellet, flectendi præditus, ut, tametsi non raro extraordinaria onera imponeret, tamen, cum necessitas boni communis, regni honor, & gentis fama poscebat, semper, obsequentes haberet. Nec minor illi colonorum, qui quoddam quasi rei publicæ cornucopiæ sunt, cura erat, quos a mancipatu, non invitis regni Ordinibus, liberos, non tamen dominos, esse voluit. Sed iræ non nunquam, insuper etiam habita conditionis, & status ratione, præcipitis, idem tamen, cognita veritate, vindex injuriæ, & innocentiæ defensor. *a*) Ceterum, 1382.

a) Id patuit, primum in Carolo Dyrrachino seniore, quem, etsi is in auctores cædis Andreæ, fratris Ludovici, quæstiones exercuerit, & quosdam ex his, invita etiam Joanna regina, pœnis affecerit, tamen morti, non auditum, nec convictum addixit, postea tamen, ubi veritas patuit, Carolo ejus filio ad consequendum regnum Neapolitanum, auctor & adjutor fuit. Dein in Stephano Zagrabien. Episcopo, quem ad falsas criminationes Nicolai Konth Palatini, primum carceri includi, dein

terum, id ei ante omnia ſemper cordi fuit,
1382. ut nullam occaſionem, qua regno, ſuisque commodum aliquod poſſet accedere, ſibi præterlabi ſineret. Si vitam porro produxiſſet, dubium non eſt, quin, quod conſtitutum habebat, & ad id tempus Hungariæ defuit, poſt recuperatam Dalmatiam, opportunitate maris, ad inſtituenda mercimonia uſurus fuerit. Huc ipſa, quam poſtremum cum Venetis iniit, pax ſpectabat. Nec enim fruſtra per Legatos ſuos, apud Sabaudiæ Ducem, cui concordiæ arbitrium erat commiſſum, id agere viſus eſt, ut Genuenſibus, ſed præcipue Venetis, qui ea ætate ex Europæis fere ſoli, ex mercimoniis ad eam potentiam evaſerant, ut ſibi dominium maris Adriatici arrogarent, *a*) deinceps facultas ad Tanaim mercandi veta-

---

dein exulare juſsit, poſtremum declarata ejus innocentia, rurſus illum ſedi ſuæ reſtituit. Vid. Pray Hierarch. Part. II. pag. 546.

a) Id tamen an. 1509. d. 18. Apr. pace cum Julio II. Pont. inita ejurarunt, ut refert Onuphr. Panvinus in vita Julii II. *ictoque ſubinde fœdere, quo illi maris imperium ejurabant, — in amicitiam, ſidemque recepit.* Cum ſibi tamen *cuſtodiam maris* arrogare pergerent, huic quoque, ut Raynald ad an. 1510. refert, *ſpecialiter, & expreſſe renunciarunt.* In deſponſationem maris, quam quotannis, injecto annulo,

vetaretur, quo facilius Dalmatiæ poſſeſsionem poſteris ſuis firmaret, ex qua, poſt claſſem jam comparatam, & renunciatum Præfectum maritimum, *a*) quod ipſa rerum ex ditionibus hæreditariis convehendarum vicinia, & ubertas, velut præ manibus eſſet, mercimonium in orientem propagandum facile inſtitui poterat, ſi aut ipſe, in Polonia, & regno Neapolitano, aſſerendis minus in partes diſtractus, aut ſucceſſores illius, inteſtinis factionibus impediti, magis in occultos Venetorum, qui Dalmatiæ ſemper inhiabant, conatus intenti eſſe potuiſſent. 1382.

K 2 MA-

nulo, celebrant, Ludov. Helianus in oratione ad Maximilianum I. Cæſ. ita ludit. *Mare, quod omnibus gentibus commune eſſe debet, ſuum dicunt. Et ſive mariti Thetydis ſint, ſive uxores Neptuni ſint, ſingulis annis illud deſponſavere annulo injecto. Arrogantiam inauditam, elementa deſponſare!*

a) Lucius Mem. iſtor. pag. 327. ad an. 1383. exhibet litt. reginæ inſcriptas: *D. Simoni de Auria de Janua Admirato noſtro.*

MARIA I.

Ab Anno 1382. — 1386.

I. Altera die, a condito funere, patri jure geniturae succefsit. *a)* Tribuit hoc Natio, quae
1382. hactenus nulli feminae paruit, Ludovici meritis, Polonorum exemplo adducta, ac idcirco a coronatione peracta, regem malebat, quam reginam, appellare, *b)* ut non tam feminae, quam viro, parere viderentur, tametsi poftea non paucos hujus imperii taederet. Cum tenerae adhuc aetatis, nec ferendo tot regnorum oneri par effet, mater, quae jam fub Ludovico regni negotia, illo abfente, curabat, filiae, & fuo nomine, ex Ordinum confenfu, rem publicam curandam accepit, Nicolao Gara Palatino in confiliorum communmu-

a) Id Decret. Cod. jur. patrii, an. 1384. aperte teftatur.

b) In litt. & Sigillis quidem *regina* vocatur, Natio autem appellabat illam regem, tefte Laur. de Monacis, qui apud eam legatione fungebatur, in miferab. carmine,

Hanc regem appellant animis concordibus omnes
Regnicolae, illuftrant hoc regis nomine fexum.

Et ipfa regina in litt. an. 1383. fatetur, fe, *uti filium mafculinum* patri fuccefsiffe.

munionem adfcito. Ita fe initia domi pacate dabant. Foris alia facies. Jadrenfes quidem, ut regis mortem refcivere, confeftim per Legatos fuos fidelitatem utrique reginæ fpoponderant, quæ Joannem Biffenum, ut reliquas quoque urbes in fide confirmaret, in Dalmatiam accelerare jufferunt. At in Bosnia Tvartkus, qui Ludovici beneficio regis titulum adeptus erat, contemto feminarum regimine, Chelmenfem Comitatum, fibi antea a rege ademtum, vi occupavit, nec fatis fecundæ res e Polonia afferebantur. Sigismundus juvenili impetu abreptus, plerosque Optimatum adeo offenderat, ut coitione inter fe facta, de eo exauctorando, & Hedvige Semovito Mazoviæ Duci locanda, deliberarent. *a*) Præfecti quoque Rufsiæ, *b*) arces, quibus præerant, & inter has *Camienecum*, Duci Lithuaniæ *Liubarto*, accepta auri, argentique copia, vendiderant, quos Elifabetha in Hungariam accerfitos ob perfidiam, partim 1382.

a) Lucius de regn. Dalm. l. 5. c. 2. Dlugofs. l. 10. Paulus de Paulo fcript. rer. Hung. Tom. III. pag. 724.

b) Hoc nomine Lodomeria, & Halicia veniunt, quibus hoc an. præerat Joan. *Defeu*, ut habent litt. Elifabethæ an. 1382. d. 5. Nov. fed ad hunc, qui reliquis etiam annis magiftratus in Hung. gefsit, crimen perfidiæ non pertinuit, verum ad illos, qui fub eo arcibus præerant.

in carcerem conjecit, partim morte mulctavit, totique eorum ſtirpi perpetuam infamiæ notam inuſsit. *a)*

1383. Hæc importuno tempore adhibita ſeveritas, quoniam conſilio Palatini, quaſi is cæſorum bonis inhiaret, patratam fuiſſe exiſtimabant, huic odium conſcivit, & multorum animos a regina avertit. Mali contagio brevi in Croatiam, & Dalmatiam propagata eſt, & paulatim futuræ ſeditioni occaſionem præbuit. Caput hujus erat Joannes de Paliſna, a rege paulo ante obitum Prior Auranæ renunciatus. Huic ſe ſenſim ſocios junxerant, Paulus Zagrabienſis Epiſcopus, hujusque fratres, Joannes, & Ladislaus Horváthii, *b)* quos Ludovicus olim ex humili loco ad dignitates evexerat. Hæc quidem clanculum in Croatia cudebantur, magis vero aperte in Polonia. Ex conventu *Siradiam* indicto, Legati ad reginam venere, qui Hedvigem ad capeſſendum regnum flagitabant. Poſtulata autem erant tam nervoſe propoſita, ut ea negare, non ſatis conſultum videretur. Ceſsit igitur Eliſabetha, & Nicolao Veſprimienſi Epiſcopo, additis eidem duobus collegis, Siradiam miſſo, in mandatis dedit, ut, ſi commode fieri poſſet, aliam Polonis mentem ingere-

a) Dlugoſs. l. cit.

b) Id patet ex litt. Alberti regis, an. 1438. apud Pray, Diſſert. de Prioratu Auranæ pag. 27.

gereret, sin contra, eosdem a præstito Mariæ & Sigismundo, fidelitatis juramento absolveret, spemque faceret, Hedvigem proxime adfuturam, modo peracta coronatione eam, donec adolesceret, redire ad matrem paterentur. *a*) 1383.

Dimisso Cassovia, ibi enim tunc agebat, cum his mandatis Episcopo, ipsa in Dalmatiam, quo jam ante Nicolaum Præpositum Poseganum cum Detrico Bubek, ad res Jadrensium componendas præmiserat, cum utraque filia, profecta est. Adventu suo castrum Auranæ in fidem recepit, Joanne de Palisna exauctorato, atque hoc præcipiti facto, novos homini ad seditionem maturandam stimulos subjecit. Morantem adhuc in Dalmatia, Sandivogius e Polonia convenit, orabatque communi Ordinum nomine, ut, promissi memor, Hedvigem in Poloniam mitteret, cumque illa dictis ejus ægre fidem se habère simularet, nobilissimos juvenes, quos in comitatu habuerat, obsides in Hungaria mansuros promisit, modo ne Polonorum vota porro differret. Verum illa rursum simulatione usa, clam ad Castellanum Sandomiriensem mandata misit, ut arcem Cracoviensem, hæc curæ Sandivogii credita erat, fidei Hungarorum traderet, quo ille comperto, celerrimis itineribus nuncios prævertit doli indignitate vehe-

a) Dlugoss. l. cit.

menter commotus. Elisabetha cognito homi-
1383. nis repentino abitu, obsides, parum futuri provida, in carcerem conjici jussit, &, ne profugus aliquid propterea apud Polonos moliretur, Janussio Mazoviæ Duci stipendium annuum, bis mille, & quadringentis auri florenis auxit, *a*) minime dubitans, hunc, si quid Sandivogius moveret, præ ceteris idoneum esse, qui conatum illius reprimeret.

II. Verum, ut in Hungariam reversa est,
1384. spe sua magnopere se delusam vidit. Poloni Sandivogii querelis, & Elisabethæ dicteriis, quæ sibi incauta excidere passa erat, offensi, extrema periclitari constituerant, missoque ad illam nuncio declararunt; nisi Hedvigem ad octavam diem Maji in Poloniam mitteret, se de deligendo rege deliberaturos esse. Illiberali hoc nuncio commota, Sigismundum milite, & ære instructum, in Poloniam proficisci jussit, qui cum Sandecium pervenisset, nuncios obviam habuit, qui, ne ultra progrederetur, regni nomine vetuerant, si faceret, pro hoste habitum iri. Hac denunciatione territus, substitit, aliquot primi ordinis viros, cum quibus aliqua conferre cupiat, ad se mitti petiit. Missus est inter reliquos etiam Sandivogius, cui spem fecerat, si adventus Hedvigis ad diem Pentecosties differri posset, obsides liberos dimittendos

a) Dlugoss. l. cit. Katona Tom. XI. pag. 57.

dos esse, quod cum ille ad ceteros referret, neminem, qui consentiret, reperit, quin tam diu se a femina circumduci graviter ferentes, a missitatione nunciorum deinceps abstinendum censuere. Sandivogius videns, rem huc rediisse in Hungariam profectus, in quo discrimine Poloniae status esset, Elisabetham admonuit, orabatque, ne porro se duram praeberet. Visa est flecti, &, dimissis obsidibus, quamprimum per regni negotia licuerit, se votis Polonorum satisfacturam promisit. a) Ita periculo, quod inde imminebat, utcunque consultum videbatur. 1384.

Non item in Croatia, & Dalmatia. Mali causa domi latebat. Nicolaus Gara Palatinus, reginarum benevolentia abusus, regiam pene potestatem exercebat, dignitates, quibus volebat, saepe non optime meritis, conferre solitus. Inde ei cum Ladislao Opoliensi Duce simultas intercessit, quae etsi quidem interventione aliorum sublata fuerit, valuit tamen exemplum ad illos, qui a Palatino offensi, conjurationem in Croatia clam instruebant. Joannes Palisna, illo autore, se nuper exauctoratum, ratus, ad Tvartkum Bosniae regem confugit, Horváthii uterque jam ante cum eo consilia conferebant, nutabat quoque in Dalmatia Laczkovicsius, quod Templino de S. Georgio locum cedere debuerit,

a) Dlugoss. ibid.

buerit, cumque hic poſt aditum magiſtratum,
1384. aliquot conjuratorum ſocios, quos Jadræ repeierat, ſupplicio affeciſſet, ad factioſos aperte ſeceſsit. Eliſabetha, ne malum ad alios quoque ſerperet, conſortium illius, ſociorumque graviſsime vetuit, *a)* ignara, contagionem ad Hungariam quoque jam pertigiſſe, cujus indicia cum non obſcure ſe proderent, adhibito in conſilium Palatino, ſuaſit filiæ, ut Nobilium immunitates ſecundum regni conſuetudinem, quod hactenus intermiſſum, & plerisque offendiculo erat, confirmaret. Fecit, quod mater ſuaſerat, & Decretum Andreæ II. de prærogativis Nobilium, ad morem patris ſui Ludovici, ratum habuit. *b)*

Hoc modo ſeditionis, quæ ad paucos in
1385. Hungaria pertinuit, occaſio, videbatur ſublata eſſe. Ne autem Polonos quoque ob negatam toties Hedvigem, res novas moliendi cupido inceſſeret, filiam tandem dimittere conſtituit, & Leopoldum Auſtriæ Ducem de ſuo propoſito edocuit. Ille pactorum memor, videnſque filio ſuo per Hedvigem regnum parari, Budam properans, ſponſionem matrimonii, auctore Ludovico rege, inter Hedvigem,

a) Paulus de Paulo Tom III. ſcript. rer. Hung. pag. 725. Litt. compoſition. Vid. apud Katona Tom. cit. pag. 77.

b) Exſtat Decret. in Cod. jur. patr. Tom. I. pag. 171.

gem, & Wilhelmum filium ſuum initam, rurſus conſentiente regina, & ſponſa, editis lit- 1385.
teris confirmavit, pollicitus, ut primum Hedvigis filio ſuo conjuncta fuerit, ſe ſtipulata olim ducenta florenorum millia numeraturum, facturumque, ut a ſuo obitu filius æquam ditionum partem cum fratribus obtineat. *a*) Sed hanc utriusque ſponſi ſpem Poloni interverterant, qui quidem, nulla mora interpoſita, Hedvigem, ut a Demetrio Archiepiſcopo Strigonienſi, magno Procerum comitatu ſtipata, in Poloniam adducta eſt, a Gnesnenſi Archiepiſcopo coronari, ſed curam, & adminiſtrationem regni, tamdiu ſolum ei creditam voluere, donec de marito ei jungendo decernerent. *b*) Nec enim priore matrimonii ſponſione, qua Wilhelmo obſtricta erat, quod ſe inconſultis eſſet inita, ſe teneri exiſtimabant, & ipſa Poloniæ, quam Lithuani crebro infeſtabant, ratio videbatur poſcere, ut, præ Auſtriaco, Ducem Lithuaniæ, qui honeſtiſsimas conditiones propoſuerat, reginæ conjugem darent, ita futurum, ut illi ex hoſtibus amici fierent, & Lithuania Poloniæ ſemper conjuncta maneret. Hac ratione Eliſabetha, dum Polonos a fidelitatis jura-

a) Confirmationis pacta exſtant in Cuspiniani Auſtria, pag 644. & apud Pray Part. II. pag. 174.

b) Dlugoſs. l. cit.

juramento, quod Mariæ, & Sigismundo præ-
1385. ſtiterant, præpropero uſa conſilio, abſolvit, ſimul Caroli regis conatus, Poloniæ cauſa adhibitos, & deſtinationem Ludovici, qui illam ab Hungaria nunquam ſeparari cupiebat, feminea imbecillitate intervertit.

Dimiſſa in Poloniam Hedvige, nihil inde jam metuendum erat, ſed ex Croatia utrique reginæ eo gravius periculum incubuit, quo magis occulte ſtruebatur. Paulus Zagrabienſis Epiſcopus, qui cum Palisna crebro alias conſilia ſua conferebat, religionis prætextu, Romanum iter ſimulans, in Siciliam ad Carolum regem, quo jam aliquot ex conjuratis præceſſerant, profectus eſt, ut eum ad occupandam Hungariam ſolicitaret. Sed is datæ olim Ludovico fidei, &, quæ ab Eliſabetha acceperat, beneficiorum memor, ad hæc precibus conjugis ſuæ permotus, nec ſatis eorum, a quibus invitabatur, conſtantiæ fidens, abnuit primum, mox tamen, cum a Joanne Sclavoniæ Bano, ope Traguriṇorum, litteras, quibus idem ſibi ſuadebatur, *a)* accepiſſet, Zagrabienſis Epiſcopi, parum de

a) Joannes Banus totius Sclav. communitati de Tragurio ſalutem. Requirimus vos diligenter, quatenus litt. noſtras D. regi Carulo deſtinandas per unum ex vobis virum eidem — transmittatis &c. Dat. Zagrab. in quindena S. Michaelis. 1385. apud Lucium Mem. iſtor. pag 328.

de ordinis sui dignitate, quod Carolus a Pontifice sacris interdictus esset, soliciti, 1385. importunitate victus, consensit, & constitutis domi adversus suum æmulum, Ludovicum Andegavensem, rebus, Segniam appulit. Hinc Zagrabiam progressus, conjuratos, qui ad elevandam apud vulgum invidiam, illum regni Gubernatorem appellabant, copiis instructos reperit, quibus sensim, ut propius Budam movit, aliæ, atque aliæ se adjunxerant, ut numero justum prope exercitum conficerent. Elisabetha adventu illius perculsa, matrimonium filiæ, quod hactenus, ut sola regnaret, distulit, accelerari, &, hoc ex ritu Ecclesiæ celebrato, generum confestim in Bohemiam, auxilia adversus conjuratos allaturum, properare jussit, simul appropinquanti Carolo nuncios obviam misit, percontatum, hostisne cum tantis copiis, an amicus veniret? cumque amicum se venire, &, post composita dissidia, Neapolim rediturum, nunciasset, venientem utraque regina, qua subito fieri poterat, pompa accepit, utque in palatium regium diverteret, orabant, quod ille decoris, & in reginas observantiæ, causa, ut præferebat, renuit, re ipsa autem, ut consilia cum conjuratis, eo magis inobservatus, conferre possit. Non diu tamen simulatio tenuit. Paulo enim post, habita cum suis deliberatione, reginis nunciari jussit, se communi Nationis consensu regem esse electum, proin

con-

consultum illis velle, ut se regno sponte ab-
1385. dicent, ne quid se indignum, si tergiversentur, plebs in illas committat, ita regiæ dignitatis rationem habitum iri. Maria, quæ se a summo fastigio ad communem conditionem repente dejici vidit, in lacrimas effusa, id unum orabat, ut sibi conjugem, in Bohemiam sequi liceat, verum mater ad simulationem magis comparata, Carolum extemplo adiit, eique, summa rerum tradita, id faustum, felixque illi precata est. Hoc conjurati, ut perfidiam boni publici larva tegerent, exspectabant, Carolo, per urbis vicos, rege tumultuarie declarato. *a)*

III. Cum rei hucusque perductæ felix
1386. exitus in celeritate consisteret, Albam sine mora properatum est. Sed illud improvide a Carolo factum, quod utramque reginam in comitatu adesse voluerit, quarum jam in ipso itinere, cum illas, velut captivas, in triumphum duci viderent, commiseratio tetigit, &, cum Albensem Ecclesiam ingressæ, ad tumulum Ludovici constitissent, in ploratus, & lamenta effusæ, a pompa coronationis, omnium animos, & oculos averterent, ac multos facti poenitudo subiret, nec coronatio, ea, qua alias solebat, populi lætitia, & acclamatione perageretur. Id non opti-

---

a) Chron. Par. III c. 2. — 6. Et Laurent. de Monacis carmen, de casu illustrium reginar.

optimum usurpatori auspicium erat. Elisabetha, postquam cum filia Budam rediit, 1386.
vindictam ex Carolo sumere constituerat. Re cum Palatino communicata, visum est, ut is simulato ad filiæ nuptias itinere, equites pro more paratos habeat, facinoris autem, quod meditabatur, exequendi cura Forgacsio data est. His inter se statutis, Carolum ad se venire rogat, ut de litteris, quas se a Sigismundo accepisse præferebat, cum eo rei publicæ causa, deliberaret. Ille prope vesperam, paucis Italis comitatus, adfuit, cumque in consultando tempus producitur, illi tædio capti discedunt, & Forgacsius, accepto signo, nihil moratus, hospitem nil tale opinantem, gravi vulnere, quod a fronte ad oculum hiabat, ense perculit, mox Palatini milites portas occupant, Italos concubia nocte interimunt, &, ubi illuxit, quoscunque ex conjuratis nancisci poterant, neci dedunt, Croatæ Horvathii ductu, per portam Sabbathi, nunc Viennensem, vi facta, ægre periculum evasere. Carolus, post tricesimum, quam coronatus erat, diem, Wissegradum ductus, seu ex veneno, seu potius ex neglecta studiose vulneris cura, diem obiit. *a*)

Hæc

a) Chron. Part. III. c. 8. Laurent. de Monacis l. cit. Confer Mariæ reginæ litt. an. 1386. apud Pray, Dissert. de Prioratu Auranæ pag. 23.

Hæc erat rerum in Hungaria facies, cum
1386. Sigismundus collectis in Bohemia auxiliariis copiis Jaurino appropinquans, ibidem, & ftipendiorum defectu, & ob litem, quæ ei cum Jodoco, & Procopio Marchionibus Moraviæ, ob fundos inter Vagum, & Danubium obæratos, intercefsit, adhærere coactus eft. *a*) Elifabetha interim a Polonis auxilia fperabat. Non erat illa clam, quantopere illi ab ineundo inter Hedvigem, & Wilhelmum matrimonio abhorreant, & in Jagellonem Lithuaniæ Ducem, quod is fe facra Chriftiana amplexurum, & Lithuaniam Poloniæ adjuncturum polliceretur, propenfi effent. Cum igitur ex temporis ratione videret, hunc, præ Wilhelmo, fibi contra molitiones conjuratorum, auxilio effe poffe, irritata priori fponfione matrimonii, etfi perinvitam, Jagelloni, cui poft fufceptum baptismum nomen Wladislai inditum, conjugem dedit, eique in filium dein adoptato, vicifsim, fi res pofceret, fubfidio fe affuturam promifit, licet ipfa domi fatis negotii, ad reducendam quietem publicam haberet. *b*)

Un-

---

a) Balbinus hift. Mifcell. Dec. 1. l. 8.

b) Dogiel cod. Dipl. Tom. I. Part. I. apud Katona hift. Tom. XI. pag. 161. Cod. jur. patr. Carolum, *Interregem* vocat, Dalmatarum monum. eum nufpiam regem dicunt. Hæc mihi ratio

Undique enim nuncii advenerant, conjuratos, qui e nuperna Budensi cæde evaserant, omnia miscere, & adscito in societatem Tvartko, Bosnensium rege, vires resumere. Palatinus, qui ad eos comprimendos, maximam partem ex suis familiaribus, militiam collegerat, improvidò plane consilio ductus, autor reginis fuit, ut secum proficiscerentur, ratus, earum præsentia refractarios facile ad obsequium reduci posse. Cum assentiri viderentur, iter in Sclavoniam, in qua, quod amplissimos ibi fundos possideret, nihil periculi esse putabatur, institutum. Conjurati de itineris ratione edocti, conflata tumultuaria manu, delectoque ad Garam, quo via ducebat, apto insidiis loco, in appropinquantes improviso erumpunt. Palatinus viso periculo confestim equo desiliens, currum reginarum fortiter tuebatur, facileque cum suis nefariam hominum colluviem superaturus erat, nisi Croata currui subrepens, pedibus a tergo succussis, pugnantem humi prostravisset; ita jacentem Horvathus necari jussit, ceteri aut cæsi, aut capti Posegam, & in vicina castra distributi sunt. Reginæ non habita sexus, & regii sanguinis ratione,

1386.

ratio fuit, cur illum, etsi coronatum, inter reges nostros non censeam, & pro usurpatore habeam.

tione, thesauro privatae, & raptatae *Gomnechum*, erat id Episcopi Zagrabiensis castrum,
1386. mox Novigradi, in carcerem conjectae, & Joannis de Palisna curae sunt traditae, &, ne quid ad barbariem deesset, Elisabetha, spectante regina filia, immaniter in carcere jugulata est; *a)* Nicolai Gara Palatini, & fratris

a) Maria regina casum suum, & matris in litt. an. 1387. in festo exaltationis S. Crucis in haec verba describit: *inibique* (Garae) *nos, & eandem Elisabeth reginam, & nonnullos fideles Barones, milites, & proceres nostros — proh dolor! captivaverunt, & nostram, ipsiusque dominae Elisabeth reginae, majestates preciosis nostris amictibus, & thesauris immensis spoliantes, reclusas in Gomnech, dicti Episcopi Zagrabiensis, & Vjvár regali, ipsosque Barones, & milites — in Posegavar, Oryavar, Ckaktorna, & Pachytel, appellatis castris, rigide compeditos, & concatenatos, ac vinculis, manibus & collo ipsorum adstrictis, innodatos, conservassent, & ipsorum, domini Nicolai Palatini, & Joannis, fratris sui, — capita, trans fretum ad civitatem Apuliae, ipsis nostris aemulis — imperantibus, — allata fore perhibentur, & tandem antefatam divae mem. illustrem dominam Elisabeth reginam, matrem nostram, in dicto castro Vjvar vocato, inopinabili austerae necis interitu, saevien-*

tris ejus Joannis capita, in Apuliam viduæ Caroli, tamquam egregie patrati facinoris signum, transmissa. Regni Ordines, quorum præcipua pars nullam cum factiosis communionem habebat, comperto, reginas in Croatiam captivas esse abductas, & Palatinum cum plerisque, qui in comitatu illius erant, cæsum fuisse, rem publicam interea, quoad Sigismundus, qui, cæso Carolo, nihil periculi jam subesse ratus, copias auxiliares Jaurino in Bohemiam reduxerat, in Hungariam rediret, administrandam accepere. *a)* 1386.

L 2 SI-

vientes, nobis cernentibus, immaniter jugularunt. Ex autogr. Confer Sigismundi regis, & Steph. de Losoncz, Bani Severinen. litt. apud Pray Part. II. pag. 177. Hinc illorum errorem arguas, qui Elisabetham fluvio mersam fuisse scribunt.

a) Id Sigillum hujus an. indicat, cum hac epigraphe: *Sigillum. Regnicolarum. Hungarie.* Scutum bifariam sectum: ex una parte 4. fasciæ; ex altera duplex crux, tricolli insistens. Monumenta quoque Dalmatica tempus captivitatis, hac verborum forma signant: *Maria regina impedita,*

SIGISMUNDUS.

Ab anno 1387. — 1437.

I. Infelix reginarum casus magis jam diditus erat, quam ut Sigismundum, etiam ab-
1387. sentem, latere potuerit. Itaque, cum sibi, constituto regni Hungariæ tutori, & *Capitaneo*, *a*) incumberet, ut turbatores rei publicæ hostes, sin aliter non posset, armis ad obsequium compelleret, ineunte anno cum parte copiarum versus Croatiam, ad conjugem liberandam contendit. *b*) Magis hic omnia misceri reperit, quam ut copias in tot partes prudenter dividere posset. Urbes enim Dalmaticæ in fide nutabant, Tvartkus Clissam interea occupaverat, Joannes Palisna, præterquam quod reginam arcte custoditam servaret, proventus regios usurpabat, & reliqua factionis capita, cum Zagrabiensi Episcopo in Apuliam, novas inde turbas daturi, evasere. *c*) Non tamen propterea spem liberandæ reginæ posuerat, quod Veneti, accepto

a) De *Tutoris*, & *Capitanei* titulis, vid. Pray, Part. II. pag. 164. item Differt. in annal. veter. pag. 142.

b) Extant Sigismundi litt. an. 1387. dat. in Kaproncza, apud Pray Differt. VII. in annal. pag. 131.

c) Lucius, Mem. istor. pag. 330. & 31.

cepto de capta regina nuncio, ne in Apuliam quoque a factiosis traduceretur, immissa Adriatico classe, omnes portus Dalmatiæ interclusissent, & Novigradum, in quo regina tenebatur, Palisna quoque in eodem incluso, obsidione premerent. Itaque conjugis causa utcunque securus, ne conjurationis malum domi quoque propagaretur, in Hungariam properavit. Acceptus est communi lætitia, & omnium votis 31. Mart. ritu solito, coronatus. *a*) 1387.

Auctoritatem regiam cum potestate adeptus, eo majore cura rem publicam capessivit, quo plura eidem undique pericula imminebant. Factiosi in Banatu Temesiensi, & in Sirmio grassabantur, Tvartkus Spalatenses ad defectionem solicitabat, & Petrus Moldaviæ Vajvoda aperte ad Polonos defecerat. Hæc cum ad regem crebris nunciis afferrentur, quod in subitaneo eventu fieri poterat, factiosis Nicolaum Gara, cæsi Palatini filium, opposuit, qui ejectis ex Banatu conjuratis, eadem felicitate arma in Sirmium traduxit, Spalatenses, & reliquas Dalmatiæ urbes, datis litteris, ad fidelitatem cohortatus est, sed præcipuum studium ad conjugem liberandam convertens, Alberto de Ungh, qui Joanni de Palisna in Auranæ Prioratu suffectus erat, man-

a) Dlugoss. l. 10. Lucius de regno Dalm. l. 5. c. 2. & Sigismundi litt. an. 1388. apud Pray Hierarch. Hung. Par. I. pag. 109.

mandata dedit, ut copias ſuas Venetis con-
1387. jungeret. *a)* Ac hi quidem interea, Barbadico duce, Novigradum acriter premebant, eoque brevi poſt dedito, reginam in libertatem vindicarunt. *b)* Beneficium a Venetis præſtitum omni ex parte integrum erat futurum, ſi Palisnam regi tradendum ſervaſſent, niſi forte vel ille hanc conditionem pactus eſt, vel illorum intererat, ut eum dimitterent, quo ſemper aliqui eſſent, qui Dalmatiam turbarent, & hac ratione ſibi viam, ut ex eventu patuit, ad illam ſenſim recuperandam ſternerent. Utcunque id fuerit, certe regina libertatem ſuam ſe Venetis debere, grato animo conteſtata eſt. *c)* Novigrado dimiſſa,

Nonam,

a) Lucius de regn. Dalm. l. 5. c. 2. & Mem. iſtor. pag. 332. litt. Sigismundi an. 1408. apud Pray Par. II. annal. pag. 182. & Steph. de Loſoncz apud eund. pag. 177. ibid. item Dogiel, Dipl. Pol. Tom. I. pag. 597. Dat. in die Translat. S. Stanislai an. 1387. memoratque, Petrum Vajvodam homagium lingua Valachica conſcriptum, Wladislao, & Hedvigi, præſtitiſſe; ſed id, quod interpres deeſſet, a ſe prætermiſſum fuiſſe. Id mihi magnopere ſuſpectum eſt, cum homagii hujus in confœderatione an. 1389. nulla mentio fiat.

b) Paulus de Paulo, Tom. III. Script. rer. Hung. pag. 726.

c) Laurent. de Monacis in præf. ad carmen, pag. 323. ita ſibi loquentem inducit: *non omittas*

inſe-

Nonam, inde Segniam venit. Hic cum aliquamdiu moratur, ab oratoribus Venetis salutata, mox Zagrabiam profecta est, ubi Sigismundus, magno Procerum comitatu stipatus, conjugem salutavit, Budamque deduxit, ac novo quasi connubio eidem junctus, *a*) regnum communi potestate cum illa exorsus est, *b*) quod jure conjugis obtinuit. *c*) 1387.

L 4 Dal-

inserere historiae, me Venetorum auxilio, captivitatis jugo subductam, libertatem inter meos perditam, & jam deploratam, ex insperato inter Venetos invenisse, superque ipsorum armata classe, primum omnium funditus eradicata formidine, spem firmam concepisse tantarum fortunarum mearum, reliquiis omnibus praeteritae calamitatis abjectis.

a) Lucius Mem. istor. pag. 333. ex regest. Consil. Tragur. *Largiantur ducati* 10. *auri, Joanni familiari D. Marchionis, mariti dominae nostrae D. Mariae reginae Vng. pro novis de consummatione matrimonii ipsorum.*

b) Conf. Notit. praev. §. 3.

c) Sigismundus in litt. 1412. diserte his verbis id testatur: *ipso domino Ludovico rege — in perennis regni patriam — translato, & — serenissima Principe D. Maria regina, ipsius Nata in solium paternum, vero haereditatis jure succedente, nobisque regni gubernacula adeptis &c.* Simili ratione Rex Albertus regnum adeptus

Dalmatia interim varie agitabatur. Al-
1387. bertus de Ungh, caſtrum Auranæ, quod conjurati adhuc tenebant, aggreſſus, obſidione quidem cinxerat, ſed cum Rex Bosniæ, ad quem Horvathus, a Nicolao Gara Poſegæ captus, cuſtodis perfidia dimiſſus, fuga evaſerat, *a*) copiis agro Jadrenſi infuſis, prædas latiſsime ageret, & Oſztrovicza intercepta, Auranæ appropinquaret, copiis inferior, Nonam ſe recipere coactus erat. Traguerienſes quoque partim inteſtinis diſsidiis, partim Bosnenſium incurſionibus, preſsi, opem a Venetis petere, eisque ſe dedere cogitabant, urbe adeo jam populi tumultu concitata, ut plurium, primi etiam ordinis, civium cædes patrarentur. Rex, quem Albertus Prior Auranæ de periculo defectionis admonuerat, propediem auxilia, quibus & cives ad officium revocari, & conjuratorum reliquiæ penitus opprimi poſsint, adfutura promiſit, modo ipſe, ne malum ad alias etiam civitates ſerpat, pro ratione ſui officii, diligenter excubaret. *b*)

II. Sed prius domi res pacandæ erant.
1388. Non paucos ex Hungaris etiam malum Croaticum

ptus eſt. Vid. Pray Commentat. de vet. reginas Hung. coronandi more, pag. 21.

a) Litt. Sigismundi an. 1408. apud Pray Part. II. pag. 182.

b) Lucius Mem. iſtor. pag. 334.

ticum afflaverat, in hos, quoniam magis alieno exemplo, quam pravitate animi, peccassent, clementia potius, quam severitate, utendum censuit. Promulgata igitur amnestia, qui facti pœnitudine ducti, redibant, in gratiam recepit, qui fidem reginis servarunt, honoribus, & fundis, auxit, nutantes metu ad obsequium reduxit. Spalatenses, missis Budam Oratoribus, obedientiam professi sunt, multa de hostilitate regis Bosniæ, qua in tertium jam annum premerentur, questi, *a*) Tragurienses, quod hosti viciniores essent, ancipites hærebant, hos Sigismundus a Dionysio Dalmatiæ Bano, & Auranæ Priore jussit interea observari, *b*) illis immunitates a Ludovico rege quondam concessas, denuo confirmavit, spe facta, cum per regni curas licuerit, se contra regem Bosniæ, qui Catarum, Almissum, & Narentæ fluminis ostia jam occupaverat, eis subsidio venturum, modo ipsi cum Scardonensibus uniti, hostis conatus tantisper morari conarentur. *c*) Bellum igitur, ut progressionibus Bosnensium modus poneretur, fere necessarium erat, sed, cum interregni tempore æra- 1388.

a) Farlati Illyr. sac. Tom. III. pag. 331. Sed exactius mandata Legationis exhibet Lucius Mem. istor. pag. 336.

b) Lucius Mem. istor. di Tragur. pag. 337.

c) Idem ibid, pag. 140.

ærarium publicum non optime constitutum
1388. fuisse videret, sumtuum, ad id feliciter gerendum, defectus, regem solicitum habebat, cui levando quoniam alia ratio non succurrebat, Marchiam Brandenburgicam Jodoco, & Procopio, patruis suis, pignori locare statuerat. Hoc regem dumtaxat morabatur, ne id, Joanne, fratre suo natu minore, cui propius in eam, quam sibi, ex sanctione paterna, jus erat, non consulto, aut invito fieret. Quare, utroque patruo, & fratre, *Schintaviam*, prope *Vagum* fluvium, ad conventum invitatis, & consentientibus, pignoris conditiones in hunc modum transegit: patrui Marchiam quidem, numerata prius regi pecunia, *a*) haberent, ipse autem, si Wenceslaus sine hærede moreretur, invitus ne esset, si ille fratrem minorem, præ se, regni Bohemiæ hæredem constituerit. *b*) Comparato in bellum necessario nervo rei gerendæ, supererat id etiam, ut cum Wladislao rege Poloniæ litem, ob Petri Moldaviensis Vajvodæ, ab Hungaris ad illum secessionem, componeret, ne sibi interea alibi occu-

a) Godofr. Hofman in append. Dipl. hist. Lusat. Tom. IV. script. Lusat. apud Pray Par. II. pag. 183. item Balbin. litt. publ. Boh. vol. I. epist. 64.

b) Script. Germ. pecuniam pignoris viginti millia grossor. Bohem. statuunt, quod pro ratione illius etiam temporis, parum est.

occupato, negotium ab illo conficeretur. Egit propterea per Legatos; & induciæ, a XXIX. 1388.
Septembris annuæ utriusque consensu confectæ sunt. *a*) Convocatis dein ad signa copiis, in Bosniam, quo conjuratorum pars se receperat, movit, expugnatisque aliquot castris, ex quibus illi prædas solebant agere, plerosque eorum intercepit. Lazarum quoque despotam Rasciæ, qui defectionem parabat, partim armorum metu, partim, agente potissimum Palatino, Nicolao Gara, illius genero, in pristina obedientia confirmavit. *b*) Reversus, gravissimum ex conjuratis, quos hac expeditione interceperat, supplicium sumsit. *c*)

Parum tamen hoc severitatis exemplum, 1389.
quamdiu Joannes de Palisna superstes erat, ad reliquos factiosos valuit, qui tutum illis latibulum apud Bosniæ regem præstitit, & hunc, ut in Dalmatiam vim converteret, solicitare non desinebat. Id pleræque urbes Dalmaticæ, Spalatum imprimis, Scardona, & Sibenicum, veritæ, fœdus inter se ad mutuam defensionem inivere. Accessit illis sponte sua socius in Apulia Præfectus Barensis; Tragurienses vero, qui ipsi inter se adhuc dissidebant, & Venetorum litteris, promisso auxilio, ad defectionem solicitabantur, nec hos

a) Sommersberg. rer. Siles. Par. II. pag. 81.

b) Vid. Pray Par. II. pag. 182.

c) Kercselich hist. Eccl. Zagrab. pag. 337.

hos offendere volebant, *a*) nec tutum arbi-
1389. trabantur, ut, durante civili discordia, communem cum reliquis Dalmatiæ urbibus caussam facerent, quæ ipsæ etiam viribus suis diffisæ, per oratores auxilium a rege flagitabant, si Rex Bosniæ, ut ferebatur, Dalmatiam more suo infestare pergeret. *b*) Sed hunc metum Amurathes, Turcarum Sultanus, Rasciæ imminens, dissipavit. Tvartkus vicino periculo Bosniæ metuens, commune cum Lazaro Despota fœdus iniit, junctisque viribus Amurathi obviam profecti, prælium ad Moravam amnem conseruere. Victoria, Lazaro, & Amurathe in pugna occumbentibus, penes Christianos fuit. *c*)

Turcæ, quamquam victi, reparatis ta-
1390. men brevi viribus, in Bulgariam anno insequente infusi, Danubio appropinquare conabantur. Tam vicino hoste, si id flumen in potestate haberet, *Myrche* Transalpinus Vajvoda, sibi, suisque consulens, inscio Sigismundo, fœdus cum Wladislao Polono, quin ulla regis Hungariæ mentio fieret, pepigit, *d*) quam perfidiam, defectioni proximam, Sigis-

a) Lucius Mem. istor. pag. 343.

b) Idem ibid. pag. 345. & 346.

c) Idem de regn. Dalm. l. 5. c. 3. Litt. Sigismundi regis an. 1408. apud Pray Par. II. pag. 186.

d) Dogiel Diplomat. Pol. Tom. cit. pag. 598. Dat. in Szoczov. in fest. S. Gertrudis 1390.

gismundus ulcisci cupidus, Vajvodæ Transsilvano in mandatis dedit, ut hominem ad 1390.
officium reduceret, cujus celeritate ille oppressus, fœderi hanc conditionem addere coactus est, se nihil contra Hungariæ regem, cujus fiduciarius esset, & ditiones ejusdem moliturum esse. Sub hæc Tvartkus victoria superioris anni elatus, pluribus Dalmatiæ, & Croatiæ urbibus, in fidem receptis, *a)* se maritimæ oræ dominum gessit, rege multiplici cura magis distracto, quam ut Dalmatis opem ferre posset. Nam & Hedvigis jus in Rufsiam sibi arrogabat, *b)* & Stephanus Moldaviæ Vajvoda, excusso jugo, Polonis se parabat adjungere. In hunc, ne Valachia eodem malo corriperetur, ipse profectus, licet in principio insidiis fere circumventus fuerit, prælio tamen postea fractum, ad pendendum quotannis tributum adegit. *c)* Simili deinde fortuna in Turcas, qui Sirmiensem provinciam incursabant, usus, semel, iterumque clade affectos, *d)* ab agendis prædis ali- 1391.
quam-

a) Lucius Mem. istor. pag. 350 & seq.

b) Dlugoss. hist. Pol. l. 10.

c) Lucius de regn. Dalm. l. 5. c. 3. Paulus de Paulo ad an. 1390. Thurocz Chr. Par. IV. c. 9. Litt. Sigismundi an. 1393. apud Pray Dissert. 7. in annal. pag 143. Katona hist. Tom. XI. pag. pag. 293.

d) Katona hist. Tom. cit. pag. 317. & seq.

quamdiu cohibuit. Spes quoque affulgebat,
1392. Bosniæ ſenſim ad priſtinam obedientiam reducendæ, quod Joannes de Paliſna, conjuratorum caput anni ſequentis, XVI. Februarii, & altero poſt menſe Rex Bosniæ XXIII. Martii obierint. *a)* His defunctis res conjuratorum conclamatæ erant. Nam Stephanus Dabiſcia, qui Tvartko ſucceſſerat, in Sigismundi clientelam ſponte ſe dedit, nec quidquam ſibi cum perfidis, qui Bosnenſes eodem malo fere jam afflaverant, negotii eſſe voluit. *b)* Suſtentabant tamen ſe Joannis, defuncti de Paliſna, nepotis auctoritate, qui a patrui obitu titulum Prioris Auranæ ſibi arrogans, Tragurienſibus immunitates confirmare auſus erat, qua temeritate non modo Dabiſciam, ſed Sigismundum etiam in conjuratos concitavit, qui, ut peſtem hanc publicæ tanquillitatis penitus exſtirparet, in Bosniam
1393. properans, nefarios homines, dum ſecuritatis cauſa in arcem *Dobor* confugerant, hac funditus exuſta, in poteſtatem redegit, *c)* ac in Hungariam adductos, triginta & duos ſupplicio affici imperavit. *d)* Qua ſeveritate conju-

a) Lucius Mem. iſtor. pag 352. & Paulus de Paulo, Script. rer. Hung. Tom. III. pag. 729.

b) Pray Par. II. pag. 187. Du Cange famil. Dalm. c. 9.

c) Litt. Sigismundi an. 1408.

d) Thurocz Chron. Par. IV. c. 7.

conjuratio quidem, quæ cædis Elisabethæ, & captivitatis Mariæ, reginarum causa erat, 1393.
& regnum variis factionibus hucusque miscebat, exstincta fuit; sed, cum plerique ex cæsis, plures, easque potentes familias cognatione contingerent, novæ conspirationi occasionem dedit, qua sensim in plures propagata, parum aberat, quin Rex amittendi regni periculum postea adierit.

III. Nondum tamen, quod regi pleraque hactenus ex sententia cederent, in apertum 1394.
prorumpere ausi sunt, nec, si res ante tempus pateret, ullus in Bosniam receptus jam esset. Dabiscia enim cum Sigismundo novam conventionem inierat, qua Bosniam a suo obitu in illius arbitrio, & potestate, quemadmodum alias quoque sub decessoribus erat, futuram promisit. *a*) Transactione peracta, Hedvigem in Polonia convenit, & litem de Russia, quam illa, se absente, invaserat, amica compositione feliciter, & sine armis, diremit, *b*) quæ utilius contra Bajazethem, qui interea traductis in Valachiam copiis, Myrchen Vajvodam, occupata minore Nicopoli, ditione fere omni exuit, convertenda putabat. Metuendum enim erat, ne,

a) Pactionum tab. exhibet Lucius de regn. Dalm. l. 5. c. 3. Pray Par. II. pag. 192. & Katona hist. Tom. XI. pag. 353.

b) Dlugoss. histor. Pol. l. 10.

ne, si Turcæ ex utraque Danubii ripa firmant stationem figerent, Hungariæ aliquando exi-
1395. tii causa essent. Collecto itaque, quantum necesse erat, milite, sub finem hiemis in Transsilvaniam movit. Brassoviæ aliquamdiu morantem, Myrche convenerat, & denuo clientelam professus, edito juramento se, & optimates suos obstrinxit, quoties Rex bellum Turcis, eorumque fœderatis, per se, aut suum Legatum moveret, toties se ipsum quoque, vel Legatum suum, cum omnibus viribus, eidem subsidio venturum, facturumque bona fide, ut Rex liberum, & securum per Valachiam commeatum habeat, ibique, quamdiu res poscet, cum suis tuto morari, & castra, ac munimenta in hostico pro se occupare possit, sin autem cum exercitu reverti velit, ipse etiam Vajvoda copias suas dimittere teneatur, iis solum retentis, quæ hosti a limitibus arcendo, satis sint. Idem, si regi ex opposito Valachiæ, in altera Danubii parte, res cum Turcis esset, constitutum, additumque, ut pro ratione belli, hac, vel illa Danubii ripa gerendi, alimenta parabili pretio redimenda, regiis copiis administret. a) His mutuo consensu firmatis, Rex in Valachiam movens, Bajazethem adventus sui fama territum, in adversam Danubii ripam se

a) Pacta exhibet Pray Dissert. 7. in annal. pag. 144.

ſe recipere compulit, &, Nicopoli expugnata, Turcas omni ea ditione exegit. *a)* 1395.

Recuperata Valachia, eaque Vajvodæ reſtituta, nuncium ex Hungaria accepit, conjugem interea obiiſſe. *b)* Inopina mors non leve regno periculum conficere poterat, niſi id Joannes Strigonienſis Archiepiſcopus, capto ex temporis ratione conſilio, avertiſſet. Vix enim fama de reginæ obitu in Polonia percrebuit, cum Hedvigis, ejus ſoror, ſe hæredem regni ferebat, & maritum, ad jus ſuum armis perſequendum concitans, cum exercitu Hungariam verſus contendit. Archiepiſcopus viſo periculo, ipſe quoque collectis celerrime copiis ad regni limites conſtitit, &, ſive vi opus eſſet, ſive conſilio locus daretur, jus regis tueri parabat. Wladislaus, ut ſibi arma opponi vidit, maluit rem pactis conventis, quam vi, experiri. Habita igitur cum Archiepiſcopo deliberatione, captus viri prudentia, & in tractandis animis dexteritate, ceſsit, & juri uxoris, hac etiam conſentiente, renuncians, exercitum reduxit. *c)* Amo-

a) Litt. Sigismundi an. 1408. fer. 6. poſt. feſt. Paſchæ, Poſonii.

b) De mortis an. vid. Pray Diſſert. de S. Ladislao rege, pag. 31.

c) Litt. Sigismundi apud Koller hiſt. Epiſcop. Quinqueeccleſ. Tom. III. pag. 290. item Wa-

 gner

Amoto hoſte, funus reginæ Varadinum deduxit, eique in Cathedrali Eccleſia, regio apparatu juſta perſolvit. a)

1396. IV. Sigismundus e Valachia reverſus, factum Archiepiſcopi, ob partam Hungariæ ſecuritatem, eo collaudato, ratum habuit, etſi, quod idem de aliis provinciis, juri Hungariæ obnoxiis, eadem opera non caverit, non ſine cauſa, ut mox ex eventu patuit, ſolici-

gner Coll. Docum. I. pag. 80. apud Katona Tom. XI. pag. 385. *Ladislaus Rex Poloniæ cum conſorte ſua, nobis affinitate annexa, regnum noſtrum occupare niſus fuit, & toto niſu voluerunt potenter ſubintrare, nonnullis noſtris fidelibus ſubditis ſibi aſſociante, cum ſuis armigeris gentibus, obviam ipſius Ladislaî regis hoſtiliter progrediente* (Archiepiſcopo) *& viam tutam, & ſuo armatorum cœtu prorſus præcludente, vetante, omnesque tumultus, & erroneos inſultus, & cuncta jurgia, qui & quæ prætextu obitus ipſius reginalis, & ob abſentiam noſtræ majeſtatum, intra ambitum, & in confiniis regni noſtri, emergere potuiſſent, & oriri valuiſſent, penitus ſua peritia, & ſano dogmate, exſtinguente, annotatus D. Joannes Archiepiſcopus — regna noſtra condigno moderamine præfulciendo, ſub pacis condigna tranquillitate, indemniter — pro noſtra reſervavit majeſtate.*

a) Ibid. & litt. regis an. 1401 XIII. calend. Mart.

licitus esset. Nam Hedvigis, licet juri suo in Hungariam cesserit, non ideo tamen nullam 1396. hæreditatis partem ex provinciis Hungariæ obnoxiis, ad se pertinere putabat. Et re ipsa, specioso hoc titulo persuasa, Vladum Vajvodam Bezarabiæ, quod illius ditio, ob maris opportunitatem Poloniæ proficua esset, jure suo in maritum transcripto, in clientelam recepit. *a)* Dissimulandum id Sigismundo fuit,

M 2 qui

a) Dogiel Tom. I. pag. 623. *Quia pridem regnum Hungariæ ad memoratam D. Hedvigem & hæredem dicti regni Hung. unicam, & superstitem, & consequenter ad præfatum D. Wladislaum regem Pol. conthoralem ipsius jure hæreditario esse comperimus devolutum, prout hoc ipsum in litteris dicti Ludovici regis, & regnicolarum Hung. & Pol. regnorum prædictorum, intelleximus fuisse, & esse conditionatum &c. Dat. in oppido Argisch, ipso die sanctæ, & individuæ Trinitatis, A. D.* 1396. Hæc Vladus. Vereor, ut Dogiel rite legerit, *Bezarabiam*, & forte rescribendum sit *Bazaraba*, quod Vajvodis Valachiæ agnomen fere erat commune. Si ita, oportuit Myrchen, de quo priore anno actum, vel sede motum, vel obiisse. Quod de jure Hedvigis in eas ditiones affertur, valde suspectum est, cum Vajvoda solum fateatur, se intellexisse, id in Ludovici litteris contineri, quæ ei non sunt exhibi-

gundiæ Ducis filius; Sigismundus cum paucis familiaribus in cymbam insiliens, secundo Danubio in Pontum, ex hoc Constantinopolim ægre elapsus, sequente demum anno Ragusam, inde Spalatum appulit. *a*) Rebus deinde Tininni constitutis, in Hungariam reversus, omnia fere perturbata reperit. Infelix pugnæ exitus, multorum animos ab eo avertit, eorum præsertim, qui jam ante ei infensi erant. Ex his Stephanus Laczkovics, & Stephanus de Simontornya, primipili fuere, qui Ladislaum Caroli Dyrrachini filium, scriptis Neapolim litteris ad regnum capessendum, ea conditione, invitarunt, ut militiæ utrumque præficeret, &, quid quid ejus nomine, tamquam vicarii illius, acturi essent, ratum haberet, simul per nuncios Bayazethem convenerant, ut filiam suam Ladislao conjugem daret, *b*) stolide persuasi, utriusque affinitate, & potentia, regem facilius solio

1396.

1397.

a) Litt. Sigismundi an. 1408. & 1409. apud Pray Par. II. pag. 196. sequ. Saidinus orig. Ottom. pag. 183. Lucius Mem. istor. pag. 362.

b) Litt. regis an. 1397. apud Katona Tom. XI. pag. 425. *Et ut celerius — regnicolas nostros ad ejusdem Ladislai regis beneplacita — explenda potuissent subdere, — nunciis suis ad Payzath Turcorum Imp. super eo, ut ipsius Payzath filiam dicto Ladislao regi matrimoniali fœdere molirentur copulare &c.*

lio deturbatum iri. Hæc initia conjurationis, 1397. sed nondum ita matura, erant, ut scelus conceptum tuto exequi se posse sperarent. Hæc inter Sigismundus, varias rationes, quibus Turcarum conatus reprimi, &, qui in prælio Nicopolitano capti erant, redimi posſint, secum inibat. Ad hos liberandos, Duci Burgundiæ veniam fecit, ut septem aureorum millia, quæ Veneti de centum aureorum millibus, in modum census annui, regibus Hungariæ ex pacto præstare solebant, converteret, a) de subsidiis vero, ad coercendas Turcarum progresſiones, in regni conventu cum Ordinibus agere constituit, quem propterea Temesvarinum indixerat, cui Segnienses quoque adesse voluit: sin autem id ob justas caussas fieri non posset, se ad finem anni eo venturum, quo urbi-

a) Chambre des Comtes de Dyon, pag. 191. Nro. 189. *Pauco fluxo tempore illustris — Princeps, D. Sigismundus — quemdam redditum, seu censum annuum, vel præstationem annuam* 7000. *ducatorum, — eidem magnifico Principi, ejusque regiæ coronæ, singulis annis per Venetos debitum — hypotecaverat, — pro eo, — & causa redemtionis, liberationis illustrium Principum dominorum, comitis Nivernensis, & Comitis Marchiæ, egregiorumque militum — a manibus infidelium Turcorum &c. Dat. Trevisiæ* 16. *Jan.* 1397. Conf. quæ ad an. 1381. de hoc censu dicta sunt.

urbium Dalmatiæ oratores alioquin convenire jussisset. *a*)

Præter opinionem tamen factum, ut ob mortem Dabisciæ, regis Bosniæ, conven- 1398.
tum differri oportuerit. Bosnia, quæ, a Ludovici obitu, supina dissimulatione, a regno fere avulsa erat, mortuo Dabiscia, pleno jure ad Hungariam devolvi debuerat, *b*) nisi *Tvartkus*, cognomento *Scurus*, & *Ostoia*, inter se de ea sibi usurpanda, certassent. In hac Turcarum vicinia, & armorum fortuna, metuendum erat, ne alteruter æmulorum vel opem ab illis imploret, vel penitus ad eos deficiat, quemadmodum *Hervoja*, *c*) qui se Vajvodam Bosniæ ferebat, facta ad Turcas secessione, eisdem conjunctus, agrum Pose-

M 4 ganum

a) Litt. reg. apud Lucium Mem. istor. pag. 365. *Gratum quippe majestati nostræ non parum exstitisset, ad hanc nostram congregationem Temisiensem oratores vestros, quos non ab re evocari feceramus, advenisse. Sed quod actum non est, reformari iterum satis commode potest. Nos quidem Divinitate favente, in festivitate B. Catharinæ — Segniæ esse decrevimus, quo denuo evocavimus ambasciatores omnium Dalmatiæ civitatum &c. Dat. in Temisvar d. 26. Oct.* 1397.

b) Vid. an. 1394.

c) Alias etiam *Horvatich*, & *Wuchich* dictus, ut notat Lucius Mem. istor. pag. 379.

ganum latrocinando infestare solebat. Ad re-
1398. primendum hominem fœdifragum, Joannes Maroth Banus Machoviensis jussu regis profectus, opera balistariorum, qui Tragurio advenerant, prælio victum, trans Savum compulit. *a*) Sigismundus interea conventu, quem prius Segniæ haberi optabat, Crisium ad componendas res Croaticas indicto, Stephanum Laczkovich, perduellionis reum, supplicio affici jussit. *b*) Quo sublato, socii
1399. conspirationis, quæ ad plures, etiam Ordinis Ecclesiastici, & qui regi a ministerio fuere, jam diffusa erat, de sumenda vindicta, consilia inter se conferebant. Causa, scelus patrare volentibus, in promtu erat. Hæc a clade Nicopolitana, a sanguinario, ut comminiscebantur, regis animo, licentiore ejusdem vita, & ab exteris, quibus familiariter uti solebat, petebatur. Obfirmati in proposito, regem nihil mali de suis suspicantem, capiunt, exterisque regno ejectis, primum *Wissegradi*, postea *Siklosini*, captivum tenuere. *c*) V.

a) Hujus Rex ante suam captivitatem meminit in litt. an. 1408. in quibus merita Joan. de Maroth, cui etiam libertatem suam adscribit, recenset.

b) Thurocz Par. IV. Chron. c. 12.

c) Quo mense captus fuerit, non est pronum decernere. Windeck apud Menken Tom. I. Script. Germ.

V. Factiosi, ut in proposito exauctorandi regis unanimes erant, ita quem illi subrogarent, inter se dissidebant, cum alii Wladislaum, licet Hedvigis jam anno priore, cum triduana sua filiola *Bonifacia*, obierit, *a*) e Polonia evocandum censerent, alii contra in Ladislaum Neapolitanum inclinarent, rursum alii Austriæ Ducem designarent. Nec deerant, qui regem vel morti addicendum, vel, qui mitius sentiebant, in exilium relegandum, putarint. *b*) Fuere tamen, qui regis sortem 1400.

Germ. c. 4. ad an. 1399. perhibet 18. hebdomadis detentum fuisse. Apud Farlati vero Illyr. sac. Tom. III. pag. 353. exstant regis litt. ad Tragurienses, an. 1400. de 22. Febr. datæ. Cum autem credibile non sit, ut captivus regiam auctoritatem exercuerit, oportebat illum tunc jam liberum fuisse. Abhinc vero si antrorsum 18. hebdomadæ numerentur, verisimile est, vel exeunte Septembri, vel initio Oct. an. 1499. esse captum.

a) Ludov. Decius apud Pistor. Script. Pol. Tom. II. pag. 286.

b) Litt. reg. an. 1408. apud Pray Part. II. pag. 202. *Cum — inopinabilis casus eventu per quosdam Prœlatos & Barones regni nostri, ut in exilium relegaremur, capti fuissemus, jamque defacto rex Pol. & Dux Austriæ — in regnum nostrum — subintrare moliebantur &c.*

1400. ſortem miſerati, de eo liberando cogitarent, inter quos Nicolai, & Joannis de Gara ſtudium præcipue eluxit, qui re cum Comite Cileienſi, cujus natu majorem filiam Annam, Nicolaus in conjugio habebat, collata, & potiore factioſorum parte regi conciliata, eum in libertatem vindicarunt. *a)* E cuſtodia dimiſſo, ea præcipua cura fuit, ut eos, quibus libertatem debebat, & alias quoque bene de ſe meriti erant, imprimis Garaios, honoribus, ac latifundiis augeret, *b)* quo plures ad enervandam factioſorum partem ſibi addictos haberet. In reos tamen confeſtim animadvertere inconſultum putabat, ne animos nondum pacatos magis irritaret, idque res in Dalmatia perturbatæ ſuadere viderentur. Spalatenſes enim cum Traguriris, jam ante inter ſe odiis, nunc armis etiam certabant, &, cum Jadrenſes illis præ his faverent, metus erat, ne aliæ urbes Dalmatiæ, alterutram diſsidentium partem ſenſim amplectantur. *c)* Malo huic Rex ſatis tempeſtive

ac paulo poſt: tunc præfati Nicolaus, & Joannes frater ſuus, revera percipientes, mortis periculum, exulationemque — nobis imminere &c.

a) Ibid. Hermannum, Comitem Cileienſem, habuiſſe in liberando rege partem aliquam, notat Chron. Cileienſ.

b) Vid. Katona Tom. XI. pag. 501.

c) Lucius Mem. iſtor. pag. 370.

ſive conſulere poterat, niſi fratris Wenceslai, cui exauctorato Ordines Imperii Rupertum 1400.
Comitem Palatinum ſubrogarunt, infortunium, moram injeciſſet. Ut hujus igitur cauſam, velut Imperii Germaniæ Vicarius, jam ante quinquennium ab eodem conſtitutus, tueretur, & dignitatem Imperialem ſuæ familiæ ſervaret, in Bohemiam cum copiis profectus, habito cum Optimatibus conſilio, auxilium fratri pollicitus eſt, ſi is præter ſtipendia militi præbenda, Luſatiam ſibi cederet, & ſe de ſucceſsionis jure in Bohemia certum redderet. *a*) Sed cum ille utrumque negaret, offenſus in Hungariam rediit. 1401.

Hæc utcunque, eo abſente, pacata erat, Dalmatia non item, in qua Spalatenſes a Tragurinis, prædas utrinque agendo, etiamnum diſsidebant. Hos, ſcriptis litteris, Rex admonuit, ut diſsidiis, quoad fieri poſſet, finem facerent, *b*) ad Spalatenſes eadem de cauſa, quem jam antea illis Comitem præfecerat, Joannem de Gara miſit, qui, adhibito in conſilium loci Archiepiſcopo, diſsidentes pactis initis conciliavit, addita, conſenſu partium, conditione, ut, quæ prior concordiam violaret, quinque aureorum millia Fiſco regio perſolvat. *c*)

Non

a) Scheidii biblioth. hiſt. Part. I. ſect. 4. pag. 162. Martene Collect. anecdot. Tom. I. pag. 1653.

b) Lucius Mem. iſtor. pag. 370.

c) Idem ibid. pag. 371. — 74.

1401. Non perinde conatibus Hervojæ obviam iri potuit, qui cum Jadrensibus, quorum amicitia, ad evocandum Neapoli Sigismundo æmulum, necessaria erat, clam agebat, ut partes regis Neapolitani amplectantur, auxilium, si id facerent, contra omnes hostes pollicitus. a) Sero hujus machinationis indicium ad regem pertigit, qui, ne malum Hungariam quoque, priore conspiratione sopita magis, quam oppressa, corriperet, promulgata amnestia, erratorum veniam omnibus, cujuscunque ii ordinis, & conditionis essent, promisit, b) modo proventus regios, sine Prælato-

---

a) Idem de regno Dalm. l. 5. c. 4.

b) Litt. reg. dat. in oppido Papa, in crastino SS. Simonis, & Judæ, an 1401. *Contra, & adversus prælibatos Barones, Prælatos, Proceres, Nobiles, civitates, & generaliter omnes, & singulas personas, cujuscunque præeminentiæ, dignitatis, status, ordinis, & conditionis existant, eorumque successores — nullo unquam tempore per nos, aut per alium, seu alios, tacite, vel expresse, directe vel indirecte verbo, vel facto, quacunque ratione, ingenio, vel cautela, colore, vel subornatione, quidquam mali occeptabimus, nec unquam in animum revocando machinabimur, nec nocumentum, nec impedimentum, vel damnum seu læsionem in personis, aut rebus, hæreditatibus, possef-*

latorum, & Baronum consensu usurpatos, compensarent. Hæc in suos indulgentia regi necessaria erat, cum ut quieti publicæ consuleret, tum ut res familiæ suæ in Bohemia componendi, tempus nancisceretur. Intellexerat, Wenceslaum, Procopio patruo interprete, cum Ruperto, rivali suo, id clam agere, ut hic quidem Rex Romanorum esset, sibi autem titulo Imperatoris Romanorum uti liceret. Indignatus fratris hebetudini, qui abdicato, quod obtinuerat, jure, notam familiæ Lucenburgicæ inureret, collecta militia, in Bohemiam properans, Cutenbergæ ad finem Januarii sequentis anni adfuit, a) & fra-

1401.

1402.

possessionibus, juribus & bonis eorum quibuslibet inferemus, nec aliquatenus inferri, seu irrogari procurabimus; nec permittemus, neque vindictam, seu ultionem aliquam appetemus; neque verbotenus cuipiam superinde imputando, objiciemus; volumus tamen, ut illa damna, & ablationes, quæ sine consensu, & dispositione Prælatorum, & Baronum nostrorum, prædicto strepitu durante, in proventibus nostris regalibus, per quoscunque commissa, irrogata & facta forent, illa integre resarciantur, & eorum plenaria restitutio, seu satisfactio de iisdem — nobis impendi debeat effective.

a) Bartschens Histor. der alten Burg, und Städtgens Dosna c. 8. pag. 161. seq.

fratrem, ut fecum in Italiam, retinendæ di-
1402. gnitatis caufa, proficifceretur, *a)* hortatus eft. Confenfit primum; eandem fibi opinionem effe, patrui Jodocus, & Procopius affirmabant; & Sigismundus cum Auftriæ Duce jam agebat, ut fibi per ejus ditiones liber commeatus daretur, *b)* eandem ob caufam ad Ducem Mediolanenfem fcripferat, *c)* nihilque jam erat, quod iter moraretur, cum Wenceslaus, mutato repente propofito, fe iturum negavit. Offenfus hac feu pufillanimitate, feu pervicacia, fratrem cepit, & captivum Viennæ Alberto Duci cuftodiendum tradidit, ipfe, fumto Gubernatoris Bohemiæ titulo, in Hungariam reditum parans, Procopium, ob infidias fibi in itinere ftructas, *d)* captivum Pofonium deduxit.

Her-

a) Litt. reg. an. 1402. *Quem* (Jodocum) *cum pluribus exhortaremur vicibus confidenter, ut cum ipfo fratre noftro iret verfus Italiam, & nos pro regnorum cuftodia domi relinqueret, vel euntibus nobis ad Italiam, ipfe circa cuftodiam regnorum remaneret, horum neutrum affumere voluit, quin imo rogatus pro confilio, quid interea faciendum effet, omnino præbere confilium denegavit.*

b) Martene Collect. anecdot. Tom. IV. pag. 77.

c) Annal. Mediolanen. c. 164. apud Murator. Tom. XVI. pag. 837.

d) Litt. reg. cit. an. 1402. *Ipfum Procopium propter evidentes mortis infidias, quas nobis in*

Hervoja per absentiam regis, urbes Dalmaticas non cessabat interea ad defectionem sollicitare, auxilium nomine regis Bosniæ, donec Ladislaus Neapoli adesset, contra omnes hostes pollicitus. *a*) . Tragurini promissis illius seducti, jam mense Majo partes illius amplexi sunt, *b*) Spalatenses primum dubii hærebant, postea tamen Tragurinorum exemplo, in fidem Ladislai itidem concessere, *c*) Jadrenses autem, postquam classis Siculæ Præfectus Jadram cum quinque navibus appulerat, erectis Neapolitani, & Hungariæ regnorum vexillis, Ladislaum, mense Augusto, regem declararunt. *d*) 1402.

Hæc Sigismundum, e Bohemia reversum, magnopere sollicitum habebant, præsertim quod videret, amnestiam prioris anni nondum in quorumdam animos tantum valuisse, ut resipiscerent. Accessit illud etiam, quod Jodocus post suum reditum, regnum Bohemiæ,

in via paraverat, tamquam violatorem salvi conductus, & hostem nostrum publicum — arrestavimus, ipsumque — in curam nostram, & custodiam recepimus usque modo.

a) Lucius Mem. istor. pag. 376.

b) Idem ibid.

c) Farlati Tom. III. Illyr. sacr. pag. 357. & Katona Tom. XI. pag. 530.

d) Paulus de Paulo Tom. III. Script. Hung. pag. 746.

hemiæ, ſuppetiis a Ruperto, Wenceslai
1402. æmulo, adjutus, ſibi uſurpare pergeret, ac ſe præterea dictis, ſcriptisque vulgatis, etiam apud exteros criminaretur *a*) His de cauſis hominem ingratum, quem prius ſuum in Hungaria ſucceſſorem conſtituerat, *b*) averſatus, regni Ordines Poſonium excivit, ut de alio, qui ſibi poſt obitum ſuccederet, communiter cum iis conſultaret. Deliberantibus Albertum Auſtriæ Ducem ſuggeſsit, eumque unanimi conſenſu, ſi ipſe absque maſcula prole moreretur, ſucceſſorem declaravit, *c*) hanc

---

a) Litt. reg. an. 1402. cit.

b) Quo tempore id factum ſit, nuſpiam reperi.

c) Litt. autogr. exſtant in Tabular. Vienn. Aulico, ex quibus præcipua excerpo. *Eidem domino Duci Alberto, de certa ſcientia, deliberatione, conſilio, & voluntate, univerſorum Prælatorum, Baronum, Nobilium, & regnicolarum, regni noſtri Hungariæ, omni forma, ordinatione, & diſpoſitione, quibus id melius, & efficacius fieri potuit, appropriavimus, ac dedimus, ymmo appropriamus, & donamus vigore præſentium, prælibatum regnum noſtrum Hungariæ, cum omnibus Principatibus, Comitatibus, dominiis, provinciis, caſtris, civitatibus, homagiis, bonis, nec non juribus, utilitatibus, dignitatibus, honoribus, libertatibus, & conſuetudinibus, ad idem ſpectantibus,*

hanc præterea conditionem adjiciens, ut, si filiam, vel filias deinceps habuerit, *a)* Dux illis honestum, & regiis natalibus dignum matrimonium procurare, ac dotis nomine, cuivis centum aureorum millia dare obstrictus esset. *b)* Idem Prælati, & regni Barones cum 1402.

bus, aliisque pertinentiis suis universis, quibuscunque nominibus vocitatis, etiam si qua sint, de quibus mentio fieri deberet specialis, prout ipsum regnum per divos prædecessores nostros reges Hung. — ac per nos habitum, tentum exitit, — tali duntaxat modo, forma, & conditione, quod in casu, quo nos absque hæredibus legitimis masculinis, quod absit, decedere contigerit, ex tunc prædictum regnum nostrum Hung. cum præmissis Principatibus &c. ad præfatum D. Albertum Ducem, sororium nostrum, — veluti legitimum hæredem, & successorem, devolvi debeat, & redundare, &c.

a) Nondum igitur Barbaram Cileiensem duxerat, alioquin, ducta uxore, spes hæredis erat, nec opus fuisset, successorem constituere.

b) Ibid. *In casu vero, quo nos filiam, vel filias generare, procreare, vel habere, & eandem, seu easdem, post mortem nostram relinquere contingeret, tunc præfatus D. Dux — debebit eandem, aut easdem matrimonio dare, & honorifice desponsare, prout nos de suæ fidei sin-*

N *ceri-*

1402. cum Nobilibus, feorfim editis XXI. Septembris nomine fuo litteris, *a*) concordi fententia fe ratum habere, teftati funt, regnumque, fi Rex fine hærede mafculo obiret, ad Albertum Ducem jure hæreditario devolvendum, eundemque, nec alium, fi Rex præmoreretur, fe regem agnituros, recepturos, & coro-

ceritate fiduciam gerimus figularem, & debebit, ac tenebitur eidem, vel cuilibet earundem filiarum, pro dotalitio, feu defponfationis dote, dare, vel tribuere centum millia bonorum Hungaricalium florenorum, &c. Datum Pofonii fub Sigillo noftri Vicariatus Romani Imperii, cum fecreto Sigillo noftro, a tergo appreffo, propter carentiam noftræ Sigilli majeftatis, in fefto exaltationis fanctæ crucis, anno Domini millefimo CCCCII.

De mandato D. regis Johannes Præpofitus Quiqueecclefien. regius Secretarius Cancellarius.

a) Autogr. exftat in Tabul. fecret. Vienn. Aulico. Integrum exhibet Katona Tom. XI. pag. 534. Sed in exemplo ei communicato, nomina Procerum nec rite, nec debito ordine exfcripta funt, quod celeritate exfcribentis factum reor. Sigilla annularia funt 112. quibus appendendis cum locus in inferiori margine membranæ non fufficeret, reliqua ex utroque latere appenfa funt, & nomina membranulis, ex quibus dependent, infcripta.

coronaturos esse, præstito juramento, promisere, &, qui ex præsentibus, se olim Jodoco regis patruo, similiter, ut nunc Alberto Duci, obstrinxissent, promissionem suam, qua illos Rex solutos pronunciavit, omnino irritam declararunt. *a)* Sigismundus, peracta in hunc modum transcriptione juris, ne quid litigii propterea inter Albertum Ducem, & Jodocum patruum suum, aliquando intercederet, hunc octavo, post die, omni jure, quod ei olim in Hungariam, dicto, scriptove concesserat, privatum, & litteras, quibus eidem a suo obitu successionem in omnibus ditionibus hæreditariis, speciatim autem in Hungaria, promiserat, nullas, vigoreque promissionis penitus destitutas esse voluit. *b)* 1402.

N 2 VI.

a) Dat. Posonii in festo B. Matthæi Ap. & Evang. anno Domini millesimo quadringentesimo secundo.

b) Autogr. itidem exstat in Tab. Vien. aul. *Universa, & singula concessa sibi — tenore præsentium — prorsus aufferimus, retractamus, & reclamamus, ac omnimode revocamus, decernentes, — totum, quod in adoptione, seu circa adoptionem, concessionem, translationemque successionis jurium, præsertim ad regnum Hung. in præfatum patruum nostrum, & pro ipso, verbo, facto, vel scripto — procuravimus, fecimus, ordinavimus — in toto, & in parte, esse, debereque perpetuo fore cassum, in-*

1403. VI. Dum hæc Posonii agebantur, non optimo loco res in Dalmatia, Croatia, & aliqua etiam parte Hungariæ erant. In hac, qui, promulgata erratorum venia, nondum ad obedientiam redierant, & cum Croatis consilia identidem conferebant, ut primum quid Posonii actum fuisset, intellexere, contrarias rationes sequuti, pertractis in suas partes aliquot etiam ex iis, qui fidem Alberto obstrinxerant, fœdus cum Polonis pepigere, quo ad veteres pactiones inter Ludovicum & Casimirum initas, hanc quoque addiderant, ut Rex, quem electuri essent, amicitiam cum eorum rege coleret, quorum alteruter, si Nationi ex paciscentibus bellum moveret, neutri opem regi suo fere obstricti essent, a) plausibili ad speciem causa persuasi, se, quod Albertus hoc anno obierit, b) nec jus successionis ad ejus posteros a rege fuisset extensum, juramenti, quod præstiterant, religione solutos esse. Fœdere confecto, multi etiam ex iis, qui priore anno in Albertum, non vi, nec

invalidum, ac prorsus irritum, & inane &c. Dat. Posonii in die S. Michaelis archang. A. D. M. CCCC. secundo.

a) Pacta exhibet Dogiel, Tom. I. pag. 41. apud Katona, Tom. XI. pag. 557. cum 50. & uno Sigillis. Ex his Dogiel nomina adscribere oblitus est, quod tamen operæ precium fuisset.

b) Scriptor coæv. apud Linck, Tom. II. pag. 16.

nec metu adducti, consenserant, aperte jam Ladislaum respiciebant, & collecta militia, arces, ac munita loca, illius nomine servabant. Sigismundus hac mobilitate animorum, quæ ad se exauctorandum spectabat, offensus, Posonio confestim cum exercitu movit, eoque trifariam inter Legatos diviso, arces, in quas se factiosi receperant, partim vi, partim deditione, per iter in potestatem redegit. Eadem fortuna eos, qui in Transsilvaniam confugerant, repressit. a) Tanto magis reliqui in Dalmatia, et Croatia, auctore Emerico Bubek, quem rex non ita pridem Auranæ Priorem constituerat, quod reliquum erat perfidiæ, accelerabant, b) & Ladislaum Ja- 1403.

a) Pray Par. II. pag. 204.

b) Litt. regis an. 1408. *Dum nonnulli Prælati, Magnates, & Proceres regni nostri, ingrati, & immemores beneficiorum a Celsitudine nostra copiose perceptorum, rebellionis calcaneo ducti, a sinu nostræ clementiæ se avertere attentando, & in crimen læsæ majestatis incidendo, fraudulento consilio simul conspirando, alium eis ignotum regem, ut puta, Ladislaum filium quondam Caroli de Duracio, in hoc regnum nostrum, in opprobrium nostræ Celsitudinis introducere voluissent, Emericusque Bubek, Prior Auranæ, qui fere totius ipsius rebellionis, & dissensionis origo fuerat, & eam efficiens &c.*

Jadræ fictitio ferto coronatum, regem Dalmatiæ, & Croatiæ renunciarunt. *a*)
1403.

Sed ipfa hæc acceleratio, præter opinionem, in regis commodum vertit. Cum enim Dalmatæ, & Croatæ, Ladislaum, Dalmatiæ folum, & Croatiæ regem declarando, fecesfionem ab iis, quos in Hungaria conjurationis focios habebant, viderentur fecifse, Sigismundus non vanam fpem concepit, hos facilius ad obfequium reducendi. Hac fretus, præteritorum veniam, etiamfi per hæc majeftatis jura fuiffent læfa, omnibus indulfit, modo intra præftitutum tempus, aut ipfi fe fifterent, aut obfides mitterent, ut factæ veniæ litteras teftes obtineant, ceteroquin ita fibi conftitutum noffent, ut, qui defignatum tempus præterlabi paterentur, citra fpem gratiæ

a) Ibid. *Demum vero, & immediate præfati Prælati, Magnates, & Proceres regni noftri, ut præmifimus, malo freti confilio, fimul confpirantes, nos diademate noftro regio, & corona, quibus regna noftra prædicta annis fere fedecim tenueramus; privare, & de eisdem excludere fatagentes, præfato Ladislao, — ut eorum vota valerent adimplere, ad civitatem noftram Jadrenfem conductum præbuerunt, eum quodam ferto fictitio coronantes, ac prædicta duo regna noftra, videlicet Dalmatiam, & Croatiam, manibus ejusdem Ladislai — cum caftris, diftrictibus, & tenutis affignando &c.*

gratiæ ex legum præscripto constitutis pœnis afficiantur. *a)* Hac benevolentia multi factiosorum, illatis mutuo per cædes, rapinas, & incendia damnis, ut fere, cum licentiæ speciosus libertatis titulus prætenditur, fieri solet, fracti, ad pristinum obsequium redidere. Erant tamen, qui auctoritati Bonifacii IX. Pontificis, cujus seu jussu, seu dissimulatione, Ladislaus a Dalmatis coronatus erat, innixi, gratiam regis penitus respuerent. *b)* Graves propterea litteras ad Pontificem, & Cardinales dederat, *c)* simulque vim refractariis adhibendam, ratus, Joannem de Maroth, præ ceteris sibi fidum, in Croatiam ad exstirpandas conjurationis reliquias, misit, qui ad opprimendam penitus factionem, ipsum factionis caput, Bubekium, Priorem Auranæ, aggressus, victum, in Bosniam fugere compulit. *d)* Sed cum hic quoque Bosnenses ab eodem concitati, regem Ostoyam regno exegissent, isque ad Sigismundum confugiens, opem implorasset, rursus idem de Maroth in Bosniam proficisci jussus, Bubekio iterum fugato, Bosniæ quietem, & Ostoyam, nomi- 1403.

 ne

a) Exstat in Cod. jur. patr. Tom. I. ante Decret. I. Sigismundi.

b) Horum nomina in cit. litt. an. 1408. ordine recensentur, quæ hic referre, parum interest.

c) Raynaldus ad hunc an.

d) Litt. regis cit. an. 1408. & aliæ an. 1409.

ne Sigismundi, folio restituit. *a*) Ladislaus
1403. cum videret duo fulcra, quibus præcipue nitebatur, sibi erepta esse, nec satis eorum, a quibus ad capessendum regnum evocatus fuerat, constantiæ, & viribus fideret, Neapolim rediit. *b*)

VII. Sigismundus æmulo liber, & factio-
1404. sis ab hujus ex Dalmatia excessu consternatis, tempore usus, comitia indixit, ut, compressa factione, regno tranquillitatem publicam redderet. In his illud præcipue actum, ut pos-

---

a) Litt. regis an. 1405. *Tandem nonnulli Magnates perfidi — ipsum regem Ozthoyam, alias nostræ Celsitudinis rebellem, de dicto regno suo excludere volentes, ipsoque Ozthoya rege — Budam, ad nostram Celsitudinem accedente, nobisque gemebunde supplicante, humiliter a nostra majestate auxilium sibi dari postulavit, cujus supplicationibus regio favore inclinati, eundem Joannem Banum — in subsidium dicti regis Ozthoyæ transmisimus, qui — castrum principale ipsius regis Ozthoyæ, Babuich vocatum, ubi corona ipsius regni Bosnæ conservatur, & illustris domina consors ipsius regis — cum suis liberis, residentiam fecerat personalem, obtinuit, — quæ jam a duorum annorum revolutione citra, præ manibus suis retinetur, & pro nostra conservatur majestate &c.* Item Lucius Mem. istor. pag. 390.

b) Lucius de regno Dalm. l. 5. c. 4.

possessio bonorum, quæ dissidii tempore, vel a potentioribus direpta, vel a rege, bene 1404. de se meritis, & in fide perseverantibus, collata erant, post cognitionem diligenter institutam, cuivis certa reddatur. Multi enim, qui, ob infidelitatis notam, bona sua prius amisere, post impetratam erratorum veniam, pene ad incitas redacti, jus suum in illa persequi, eisque, quibus donata erant, litem movere parabant. Quæ res cum ansam tricis, & novis iterum dissidiis præbere posset, Rex tempus designavit, intra quod, qui fide dignis testimoniis se a nota infidelitatis purgaverint, vel, post obtentam gratiam, in fide constantes fuisse docuerint, iis bona sua restituerentur, qui neutrum possent, ii ne spem quidem ea recuperandi haberent. *a*) Hæc in Comitiis: extra hæc autem, aliam dissidiorum causam a Prælatis, qui præter regni consuetudinem in dirimendis litibus Romam solebant consulere, ortam, penitus tollere cupiens, gravi edicto, addita etiam comminatione, vetuit, ne quis deinceps, cujuscunque conditionis esset, si quæ a Romana Curia de rebus ad forum judiciarium pertinentibus, responsa mitterentur, iis prius morem gerat, quam Rex suo consensu ea rata haberet. *b*) Hoc

a) Decret. hujus an. I. in cod. jur. patr. Tom. I. pag. 176.

b) Edictum vid. apud Pray Hierarch. Par. I. pag. 92.

1404. Hoc primum, quod dicunt, *Placeti regii*, in Hungaria vestigium est.

Quoniam autem prioribus Comitiis non omnia, rege Posonium profecto, decerni poterant, convocatis iterum regni Ordinibus, conventus mense Augusto habitus est, in eoque leges perlatæ, quæ ad coercenda mala, passim per dissidiorum tempus in rem publicam diffusa, opportunæ videbantur. a) Pars illa-

a) Decretum hoc Comitiale deest in Cod. juris patrii. Dat. est 1404. *secundo Calendis*, seu pridie cal. Septemb. exstat tamen in *Transumto* Capituli Albensis an. 1406. fer. 6. prox. ante fest. B. Stephani M. ad preces Fratris Ladislai Præceptoris conventus Crucifer. Domus hospital. Eccl. B. Stephani regis de Alba, & maxima sui parte consentit cum duobus Decretis an. sequentis. In exordio hæc inter cetera leguntur: *Proinde — pensantes, multa incommoda, multaque damna ex diversis consuetudinibus, & sæpe contrariis, in regno nostro vigentibus, nostris regnicolis evenire, celebrato Prælatorum, Baronum, Procerumque nostrorum conventu, de ipsorum consilio, auctoritate, & consensu, maturaque discussione præhabita, pro totius regni bono, utilitate, profectu, & augmento, has leges, sive constitutiones, ex auctoritate regia duximus salubriter constituendas, quas ab omnibus, & singulis regni-*

illarum ad ea delicta pertinet, quæ nostri Jureconsulti *actus potentiæ* vocant. De judiciorum autem ratione id peculiariter constitutum, ne Ecclesiastici de litibus, quæ ad secculares, nec hi de iis, quæ ad illos pertinent, judicare deinceps ausint: dubium ortum, ad utros litis genus spectet, Rex cum suis Consiliariis declarabit: ponderum, & mensurarum æqualis per regnum usus sit, idemque, qui urbis Budensis: floreni *breves*, *a)* pro antiquatis deinceps habeantur, nec aliis in emendo, & vendendo, uti fas sit, quam florenis auri, qui centum *novos denarios b)* æquabant, qui contra facerent, rebus, quas venum exponunt, priventur: colonis libera ad alios dominos migrandi indulta facultas, si, quæ æquitas postulat, prioribus dominis præstitissent. Infideles nemini liceat hospitio accipere, aut favore prosequi, alioquin ejusdem

1404.

regnicolis nostris, tam Ecclesiasticis, quam secularibus, nemine excluso, volumus, & præcipimus, plene, integre, & inviolabiliter observari.

a) Duplicis generis etiamnum in quibusdam regni partibus in usu sunt: unus *Kurta forint*, alter *Vonds forint*, vulgo dicitur, ille 50. hic. 51. Crucif. æquat.

b) Tempore Sigismundi *majores*, & *minores* dencudebantur: ex illis 100. ex his, quos *quadring* vocabant, 400. æquabant fl. auri.

dem criminis participes futuri: ſales exteros
1404. vetitum regno invehere. Qui mineras auri, argenti, aliusve metalli in fundis repererint, regem non commiſſurum quidem, ut hujusmodi fundos, invitis dominis aufferendo, cum aliis permutet, ſtatuere tamen, ut media pars fiſco regio ex mineris pendatur, reliquum autem ex auro, & argento, nefas ſit, extra regnum efferre, aut aliis, quam fiſco regis vendere, poſſe tamen quemvis, quantum ad domeſticam ſupellectilem exornandam ſatis ſit, apud ſe retinere.

Hæc præcipua conſtitutionum hujus anni
1405. capita fuere, quas ſequente in comitiis Budenſibus, *a*) quod quædam locum dubio dare viderentur, partim uberius explanavit, partim novas eisdem addidit, & has rurſum eodem anno, menſe Octobri, *b*) ſecundis curis, cum regni Ordinibus cognovit, additis haud paucis, quibus colonorum indemnitati præcipue conſultum volebat. Ceterum, quia impacato diſsidiorum tempore, fraudes adeo invaluerant, ut nec litteræ regiæ, præſertim quæ ad bonorum poſſeſsiones pertinebant, indeque gravia damna emergebant, immunes eſſent, edictum vulgari per provincias juſsit, quo

a) Decret. exſtat in Cod. jur. patr. Tom. I. pag. 178. Dat. 17. Cal. Maj.

b) Ibid. pag. 184. Dat. Budæ in feſto S. Dominici.

quo litteræ Ludovici regis ſecreto, Mariæ item, & Eliſabethæ reginarum, & quas ipſe ediderat, majori, & minori ſigillis munitæ, robur, & vim penitus amitterent, niſi novo, quod priori ſubſtituerat, Sigillo a ſe confirmarentur. a) 1405.

Rebus domi pacatis, reſtabant provinciæ regno adnexæ, itidem ad obſequium reducendæ. Ladislaus a ſuo Neapolim reditu, poſtquam biennio abhinc Romam occupaſſet, rebus Italicis diſtentus, Dalmatiam curæ interea Hervoyæ credidit, Venetosque orabat, ut eidem, ſi opus fuerit, auxilio eſſent, b) qui occaſionem hanc eo libentius amplexi ſunt, quo faciliorem ſibi viam ſenſim ad Dalmatiam occupandam aperiri videbant. Bosnia quoque inter Oſtoyam, & Tvartkum diſtracta erat, quorum ille Sigismundi, hic Ladislai patrocinio nitebantur, c) nec Turcæ videbantur quieturi, licet a Timurlane bien- 1406.

a) Verböcz Trip. Part. II. Tit. 14. §. 29. §. autem 50. memorabile exemplum affert impoſtoris, Gabrielis de Zömlén, qui Sigilla & litteras Sigismundi corrumpere ſolebat. Critiria autem, ex quibus novum regis Sigillum a priore diſcerni poſsit, vid. Pray commentat. hiſt. de vetere reginas Hung. coronandi more, pag. 48.

b) Lucius Mem. iſtor. pag. 385.

c) Idem de regno Dalm. l. 5. c. 4.

rant, *a*) cui consociationi ut major cum auctoritas, tum robur accederet, Rex Hermannum Cilejensem, Dalmatiæ, Croatiæ, & totius Sclavoniæ Banum renunciavit. *b*) Ad hæc, cum religioni non minus, quam civili rei publicæ, a Turcis, quibus Manichæi, & Ariani, se socios junxere, periculum immineret, ut vicinarum quoque regionum populi in partem belli venirent, Valentinum Cardinalem, Episcopatus Quinqueecclesiensis Gubernatorem, Romam misit, qui Pontificem ad promulgandam cruciatam expeditionem solicitaret. *c*) 1406.

VIII. Hoc apparatu facto, Rex in Serviam movit, ex hac junctis cum Stephano 1407.
Despota Rasciæ copiis, Ostoyæ contra Tvartkum, Turcarum viribus adjutum, subsidio veniens, hostes aliquot præliis fractos, in fugam egit. *Szrebernicum*, & arx *Dobor*, in potestatem redactæ, multi ex Bosnensibus capti, inter quos & Tvartkum fuisse, scriptor coævus, memoriæ prodidit. *d*) Hic captivus in Hungariam ductus, ex illis centum & viginti sex, truncato capite, in profluentem ex castro Dobor projecti. *e*) Insignis victoriæ, sed cædibus teme-

a) Frölich Mss. Cilej. ex archiv. aul. Græcen.

b) Raynald. ad an. 1407.

c) Litt. regis an. 1406. apud Pray Par. II. p. 224.

d) Windeck in vita Sigismundi, c. 14.

e) Idem ibid.

temeratæ, fructus is fuit, ut Turcæ ex Boſ-
1407. nia protruſi, aliquamdiu quieſcere cogeren-
tur, Oſtoyæ ſecurior eſſet regni poſſeſsio, &
Hervoya, Ladislao rerum Dalmaticarum fe-
re jam incurioſo, nutare inciperet. Sigis-
1408. mundus e Bosnia reverſus, anno ſequente
contra Moravos, qui Hungariam crebris in-
curſionibus infeſtabant, profectus, ejecta la-
trocinantium, nec enim aliud erat, colluvie,
Viennam contendit, & hinc, redintegrata in-
ter Leopoldum, & Erneſtum, Auſtriæ Duces
concordia, Cilejam divertens, Barbaram,
Friderici Cilejenſis Comitis filiam, ſibi de-
ſpondit, *a*) eaque Budam deducta, ut nu-
ptiis celebritatem conciliaret, Ordinem Eque-
ſtrem *Draconis*, ſuo, & novæ conjugis nomi-
ne, inſtituit, *b*) cujus præcipuum munus eſ-
ſet, militiam, ut Rex ſtatuit, *contra paganos, ſchismaticos, & religionis Chriſtianæ hoſtes* pro-
fiteri.

a) Idem c. 19. *Do ſchreib man vierzehen hundert und acht jare — und auf derſelben reiſe nam er Barbara, die des Graffen Frideriches von Cilien Tochter war, und er ſie zu Königin machte.* Chron. Cilejen. apud Hahnium Collect. vet. monument. Tom. II. f. 680. erronee filiam C. Ulrici vocat.

b) Dat. an. 1408. pridie Idus Decembr. Multi ex Italis, Gallis, & Germanis de hoc Ordine ſcripſerunt, aliter ſine dubio ſcripturi, ſi Dipl. inſtitutionis nacti fuiſſent.

fiteri. Signum Ordinis *Draco aureus*, *a*) ex *cruce* itidem *aurea* pendens: *b*) focii viginti 1408.
quatuor, nec plures adlecti, *c*) iique folum, qui

a) Verba regis funt: *Signum, feu effigiem Draconis incurvati, per modum circuli cauda fua circumgyrantis, divifi per medium dorfi ad longitudinem a fummitate capitis, & nafi, usque ad extremum caudæ, effluente fanguine in interiori rima, fciffura alba, & fanguine intacta, per longitudinem rubeam crucem, — ficuti fub ipfius gloriofi M. Georgii vexillo militantes crucem rubeam in albo campo ferre folent, geftantes, & habentes, per nos, ac fideles regni noftri Barones, & Proceres, apparentem, & publice portandam, & ferendam elegimus, acceptamus, & per modum focietatis, ac conformis decoramenti ducimus induendam.* Ex hoc patet, Ordinem S. Georgii fuiffe olim in Hung. fed incertum, a quo inftitutus fit, nec videtur ab Ordine *calcaris aurei* diverfus fuiffe.

b) Windeck, aulæ Sigismundi familiaris, in hujus vita, c. 81. memorat, duplicis generis Equites fuiffe: primi Draconem e cruce pendentem geftabant; crucis epigraphe in longum erat: *o quam mifericors eft Deus*: in transverfum autem, *pius eft juftus*: malim, ut fententia fibi conftet: *& juftus.*

c) Hujus generis Equites, 24. fuere; fecundi autem, folum Draconem gerebant, non definito numero, & exteris quoque conferri folebat, ut idem Windeck affirmat.

qui Barones regni essent, vel olim fuissent:
1408. a) ei autem, qui nondum hoc honore insignitus esset, spes facta, ut hunc, exacto Ordinis anno, præ ceteris consequatur: prærogativæ Ordinis duæ: socii primæ apud regem admissionis, & arcanis consiliis, quæ, edito juramento nefas prodere, exclusis aliis, adhibiti fuere: tum si quæ lis inter eos oriretur, delectis quatuor, vel quinque sociis ut de cer-

a) Tales fuere, qui Diplomati institutionis inserti sunt, quorum nomina libet mihi adscribere. Stephanus Despota Rasciæ, Hermannus Comes Ciliæ, & Zagoriæ, C. Fridericus filius ejusd. Nicolaus de Gara, regni Hung. Palatinus, Stiborius de Stiboricz, alias Vajvoda Transsilvan. Joan. de Thamasy, & Jac. Laczk de Zánthó, Vajvodæ Transsilv. Joan. de Maroth Machovien. Pipo de Ozora, Zevrinien. Bani, Nicol. de Zech. Magister Tavernicor. C. Carolus de Corbavia summus Thesaurar. Simon filius Konye de Zechen Janitor. C. Joan. de Corbavia Dapifer. Joan. de Alsaan Pincern. Petrus Cheh de Leva Agazon. Magistri, Nicol. de Csák, alias Vajvod. Transsilv. Paul. Byssenus, & Paulus de Pegh olim Dalm. & Croat. Bani, Michael de Nádasd C. Siculor. Petrus de Perén alias Siculor. nunc C. Marmarosien. Emeric. de Perén Secretarius Cancellarius regis, & Joannes Nicol. de Gara quondam Palatini filius.

cernenda detur, quorum ſententiæ, ſi regi probata fuiſſet, omnino ſtandum, nec locus alios judices appellandi datus erat. Omnes denique in Ordinem cooptati, ſe, & olim cooptandos, data fide obſtrinxerant, ſe non minus regi, ac reginæ, & prolibus regiis utriusque ſexus, obedientiam, & fidelitatem præſtituros, eosque contra omnes adverſariorum machinationes ſuis viribus defenſuros, ſed conaturos etiam, ut juſtæ, & legitimæ regni conſuetudines, illibatæ conſerventur. a) Ad ſtabilitatem autem Ordini concilíandam, Rex ſe facturum recepit, ut ſucceſſores ſui tempore coronationis, dum juramentum de ſervandis regni immunitatibus præſtant, ſigno Ordinis utantur, eumque, ſecundum omnes inſtitutionis partes, confirment. b) 1408.

O 2 Hæc

a) Hæc compendio ex dipl. inſtitutionis ſumta ſunt.

b) Ibid. in fin. *Nos inſuper — Sigismundus Rex, & Barbara regina — promittimus — ad hæc cogitare, quod etiam alii futuri reges Hung. ſignum dictæ ſocietatis, tempore coronationis eorum cum regali diademate ſuſcipiant, & acceptent, & quod ipſi reges tempore adeptionis coronæ, & depoſitionis juramenti de obſervandis ſtatutis, & conſvetudinibus regni — hanc ſocietatem in omnibus ſuis clauſulis, & articulis obſervare, & confirmare jurent, & promittant bona fide.*

Hæc institutio non solum regno contra
1409. externos, sed familiæ etiam regiæ contra intestinos hostes, tutamento, & Nobilibus cum ad consequendas opes, primosque honorum gradus, tum ad contestandam regi fidem, magno incitamento erat. Hoc illicio Hervoya quoque delinitus, post confirmatum sibi a rege Spalatensem Ducatum, eidem conciliatus est, *a*) cujus exemplo Spalatenses & Tragurini, ad pristinam quoque obedientiam rediere. Quibus cognitis, Ladislaus, ne nullum penitus fructum ex Dalmatia percepisse videretur, Jadram, Novigradum, Auranam, & Pagum, quæ adhuc præsidio

a) Litt. regis apud Lucium de regn. Dalm. l. 5. c. 4. & Pray Part. II. pag. 227. Hervoyam autem fuisse in Ordinem Draconis cooptatum, patet ex ejusdem apologia, apud Lucium Mem. istor. pag. 392. ubi inter reliqua, hæc ille: *ego — intendebam me submittere judicio fraternitatis Draconum, & ipsi non permiserunt.* Rursus: *Advertat serenitas vestra* (Barbaram reginam indicat) *quomodo ego existo in societate Draconum, & continetur in litteris societatis, quod nemo sine consilio, scientia, & judicio societatis debeat aliqualiter condemnari. Item — recordamini, quia compater sum.* Postrema indicant, Elisabetham Sigismundi filiam, jam hoc an. in lucem fuisse editam.

ſidio Italico tenebantur, Venetis, quin cives conſenſerint, centum aureorum millibus vendidit. *a*) Mirum eſt, opportunitatem hanc a Sigismundo neglectam fuiſſe. Si enim, conciliato ſibi Hervoya, confeſtim miſſa in Dalmatiam militia, Jadram, cum reliquis urbibus, occupaſſet, non facile Venetis occaſio fuiſſet data, ut contra juramenti, Ludovico regi olim præſtiti, fidem, ſe rebus Dalmaticis ingererent, eamque ſenſim deinceps ab Hungaria avellerent. 1409.

Verum is, incertum, ſpontene, an rogatus, diſsidiis, inter Polonos, & Pruſſos ortis, ſe immiſcens, Kesmarkinum interea profectus eſt, ut diſcordes conciliaret, & litem præterea cum Wladislao Poloniæ rege de limitibus utriusque regni componeret. *b*) Sed cum utrobique parum ſe videret proficere, re infecta in Hungariam rediit. Tam ſubitanei reditus, mors Ruperti Romanorum regis, in cauſa fuit, de qua a Friderico Norimbergenſi *Burggravio* admonitus erat; qui ipſe non multo poſt tempore Budam veniens, regi autor fuit, ut, vacante Imperii dignitate, nomen ſuum inter candidatos profiteri velit. Perſuaſit facile alioquin id faſtigium anhelanti, habitaque cum Friderico conſultatione, litteris V. Auguſti editis pollicitus eſt, ſe, ſi 1410.

a) Lucius de regn. Dalm. l. 5. c. 5.
b) Dlugoſſus l. 11.

1410. ſi Electorum vota in illum conſpirarent, operam daturum, ut, ſublato Eccleſiæ ſchismate, communibus ſuffragiis Pontifex eligatur, & jura Principum, civitatumque Imperii præterea ſe illibata conſervaturum, *a)* ſimul *Burggravio* auctoritatem tribuit, ut ſuo nomine Legatus Comitiis Francofurti intereſſet. Suffragia tamen, Electoribus inter ſe diſcordibus, continenter fere variabant, donec XX. Septembris Archiepiſcopus Trevirenſis cum Palatino Rheni Sigismundum, Moguntinus contra, & Colonienſis Jodocum Sigismundi pàtruum, 1. Octobris, reges Romanorum, renunciaſſent. *b)* Ac hi quidem, ſcriptis ad Prælatos, & Magnates Hungariæ litteris, rationem facti ſui reddentes, electionem Sigismundi, vel ex eo capite irritam declarabant, quod nec ex præſcripto bullæ aureæ, præterea clancularie, & ab iis, qui jure ſuffragii, quod a Pontifice legitimo diſſentirent, omnino privati eſſent, peracta fuerit; rogatos itaque velle, ut, propoſita negotii gravitate, regi ſuo perſuadeant, ut a ſuo propoſito deſiſtere, & operam ſuam cum Imperio, ad reducendam Eccleſiæ unitatem, potius velit conjungere. *c)* Arduum id erat, a re-

ge

a) Wenckeri apparat. & inſtruct. archivi, Nr. 54.

b) Windeck l. cit. c. 26.

c) Schannat, vindem. litter. Collect. 2. ſect. 3. Nro. 51.

ge impetrare, cui ceteroqui perpetua fere cum patruo simultas intercesserat, & infra 1410. suam dignitatem esse putaret, ut, illius gratia, juri suo aquisito renunciet.

Protracta igitur Comitia sunt, nec sententiæ poterant coalescere, donec anno se- 1411. quente, Jodoco Brunæ VIII. Januarii defuncto, Electores in Sigismundum unanimiter conspirassent. *a*) Hoc modo non solum regis Germaniæ dignitatem, sed Ducatum quoque Lucenburgicum, cujus jus a patrui obitu ad se pertinebat, adeptus est. Eodem, quo ad hanc dignitatem aspirabat, studio, litem cum Polonis compositam quoque cupiebat. Misit ea de causa Joannem Archiepiscopum Strigoniensem, cujus solertiam in extricandis rebus difficilibus alias expertus erat, additis collegis, Igloviam in Scepusium, quo Legati quoque ab Wladislao venturi erant, ut cum his modum componendæ discordiæ inirent. Poloni, qui non ignorabant, regem suum, eodem hoc anno, cum Myrche Vajvoda Valachiæ, fœdus contra Sigismundum pepigisse, *b*) magis in deliberatione vacillabant,

 quam

a) Windeck c. l. c. 27. Theod. Niem c. l. c. 34. Gaertneri Differt. de Sigismundo Imper. c. 3. §. 1. pag. 33.

b) Dogiel Cod. Dipl. Pol. Tom. I. pag. 600. *Dat. in civitate Imoiow Dominica vocem Jucunditatis*, recte, *Lætare*, an. 1411.

1411. quam ut aliquid certi conftitui poffet. Demum utrisque ita convenerat, ut ad futurum Divi Martini feftum rurfus in antiqua villa convenirent, ibique duodecim arbitri utrinque delecti, edito juramento profiteantur, fe in decernenda lite nihil gratiæ daturos, fed, quod æquum communiter videretur, a fe declarandum effe. *a*) Ita divulfi funt.

Nec Sigismundo id improbari vifum, qui ab obtenta nova dignitate, res Germaniæ, præ ceteris, animo complexus erat, Friderici Norimbergenfis *Burggravii*, cujus ftudium ad eam confequendam præcipue eluxit, imprimis memor, cui ut gratiam pro impenfa opera illi referret, Marchiam Brandenburgicam, ante electionem promiffam, pignori locavit, eumque adminiftratorem illius hac lege conftituit, ut, fi ipfe Rex, vel ejus hæredes eidem, vel pofteris illius, centum aureorum millia perfolverint, pignus reftituere obftricti effent. *b*) Hæc Domus Brandenburgicæ origo.

Prælati quoque, & Magnates Hungariæ, ut regi fuo, qui Romani Imperii dignitatem primus regno invexerat, gratificarentur, confcriptis unanimi confenfu litteris, fidem fece-

a) Dogiel Tom. I. pag. 42.

b) Gerckenii Dipl. vet. Marchiæ Brandenb. Tom. II. Nro. 231. pag. 636. fequ.

fecerant, se, si Rex præter Elisabetham, filium deinceps non esset habiturus, hanc hæredem regni agnituros, &, ubi adoleverit, collatis cum ea consiliis, de marito ei jungendo, acturos esse. a) Erat Sigismundus tunc Posonii, ut cum regni Ordinibus tributi a regnicolis pendendi normam constitueret, b) dum hoc promisso se ei obstrinxerant, qui officiosa illorum voluntate usus, non alium filiæ maritum, quam e Domo Austriaca, deligendum censuit, cum alioquin jam antea, consentientibus regni Ordinibus, jure successionis in Albertum IV. translato, c) rationem illius haberi oporteret, & præterea post avulsam ab Hungaria Poloniam, ob ditionum 1411.

a) Id liquet ex Elisabethæ reginæ litt. ad Imper. Fridericum III. Tom. II. analect. Bibl. Vienn. Cæs. pag. 915. apud Pray Par. II. pag. 338. *Lieber Vetter — als unser lieber Herr, und Vatter Kaiser Sigmund seliger Gedechtnus zu ainem Römischen Künig ervelt ward, da verschriben im die Herren geistlich und weltlich in Ungern die maynung, ob er nicht mer erben gewüne und liesse — dann mich ainige Tochter, so wolten sie mich als erben haben, und zu dem Kunigreich lassen angehen geweltigeklich, und ainen Herrn mit mir ervellen &c.*

b) Decret. exstat in Cod. jur. patr. Tom. I. p. 188.

c) Conf. ea, quæ ad an. 1402. Nro. 5. relata sunt.

num amplitudinem, & ſpem obtinendæ ex
1411. pactis aliquando Bohemiæ, præ ceteris idonea videretur, quæ junctis cum Hungaria viribus, Turcas a ditionibus hæreditariis arcere poſſet. Erneſtus, qui Auſtriæ tutoris nomine præerat, cognita ex oratoribus Sigismundi deſtinatione, Albertum pupillum Budam menſe Octobri deduxit, cui nondum ætatis tertium ac decimum annum egreſſo, *a)* Eliſabetha vix trimula *b)* hac conditione deſponſa fuit, ut, ſi Rex, vel regina, poſtquam filia viro matura fuerit, moram nuptiis ſine juſta cauſa interponerent, ſponſo quadraginta millia florenorum auri ſolverentur. *c)*

IX.

---

a) Natus enim fuit, an. 1399. d. 1. Jan. ut habet genealog. Ducum Aſtr.

b) Hujus ætatulæ illam tunc fuiſſe oportuit, cum, ut ex Windeckio coævo ſupra notaveram, Sigismundus primum an. 1408. Barbaram duxerit. Qui matrimonium hoc ad an. 1406. occupant, viderint, qua ratione *Hervoya*, qui ante 6. Jan. an. 1409. Sigismundo non fuit conciliatus, regis *compater* dici poſsit. Nata igitur eſt Eliſabetha poſt conciliatum *Hervoyam*, & ab hoc ex ſacro fonte levata. Hinc ille apud Lucium Mem. iſtor. pag. 393. in ſua ad reginam apologia, *amore S. Joannis*, inquit, *recordamini*, *quia compater ſum.*

c) Windeck c. 23. ad an. 1411.

IX. Sponfione peracta, tempus ipfum, & nuncii Norimberga mifsi, *a*) regem monebant, ut iter in Germaniam pro coronatione peragenda, fufciperet, nifi graves caufæ illum domi retinuiffent. Veneti, licet moniti, ut Jadram mala fide emtam redderent, & tributum præterea annuum, a Ludovico impofitum, præftarent, utrumque abnuebant, quin dominationem latius in Dalmatia proferre nitebantur. Armis igitur fibi agendum effe, neceffarium exiftimabat, fecitque interea hujusmodi apparatus, ut copiæ, cum primum mandata darentur, ad profectionem paratæ effent. Prius tamen lis cum Wladislao Poloniæ rege componenda erat. Caufam uterque Vajvoda, Moldaviæ, & Valachiæ, præbuerunt, qui, dum olim in Hungaria, capto rege, factionibus omnia mifcerentur, & Turcæ etiam in Bulgaria latius graffari inciperent, licet jure clientelari regibus Hungariæ obnoxii effent, ad Polonos receffere, ex quo tempore cum ifti jus in utramque provinciam fibi arrogarent, difsidii utrinque occafio fumta eft, cujus dirimendi caufa Sigismundus cum Wladislao Lubloviæ in Scepufio convenerat. Judicium in principio Proceribus utriusque partis, æquali numero delectis, commiffum eft, qui cum deliberationem traherent, nec fententiis viderentur poffe coalefcere,

1412.

a) Hift. Norimb. diplomatica Par. II. pag. 537.

ſcere, uterque Rex privata inter ſe conſulta-
1412. tione litem in has leges compoſuere: *a*) pax ad obitum alterutrius firma ſit, quo tempore Wladislaus Ruſsiam poſsideat, Podoliæ autem cauſa nihil Rex Hungariæ ſe moturum polliceatur: ſi alterum alteri præmori contingeret, pax nihilominus inter Hungaros, & Polonos in quinquennium perſiſtat, quo evoluto rurſus arbitri deligentur, qui, ſi quid nondum ſatis eſſet extricatum, ſecundum vetera pacta decernant. De Moldavia autem ita conventum: ut Alexander Vajvoda, non obſtante homagio, quod Wladislao præſtiterat, quoties Turcæ Hungariam invaderent, aut Rex extra regnum bello occuparetur, toties ipſe omnibus viribus auxilio Hungaris eſſet, niſi forte morbo præpediretur, tum vero idem per Legatum ſuum facere obſtrictus eſſet: ſi nec ipſe veniret, nec copias ſuas ſubſidio mitteret, uterque regum unitis viribus perfidum bello aggrederentur, & Moldavia privarent, cujus dimidia pars Sigismundo, alera Wladislao obtingeret; ſin autem fidelem operam navaret, in pacifica poſſeſsione, ſalvo jure utriusque partis, quinquennio maneret.

Ita lis ſopita magis, quam ſublata eſt, vel ſic tamen compoſita regem, qui toto animo in bellum Venetum ferebatur, curarum par-

a) Dlugoſſ. hiſt. Pol. l. 11. apud Pray Par. pag. 232.

parte aliqua levavit. Soluto Lubloviæ conventu, Wladislaum, ut secum in Hungariam proficisceretur, invitatum, Cassoviam primum, tum Budam deduxit, ejusque honorandi causa, more illius temporis, hastiludia, ad quæ vicini Principes, & variarum Nationum primi quique confluxerant, instituit, *a*) quæ dum maxime fervebant, comperit, Sibenicenses a Venetis ad defectionem sollicitari, *b*) periculumque esset, ne Traguriniis, aliisque, qui in fide hactenus manserant, idem eveniret, bellum, quod antea in Venetos decreverat, occupare statuit. Exemplo itaque Ludovici, sed non eadem fortuna, usus, Piponem de Ozora, & Albertum de Ungh, quos ductandis copiis præfecerat, bellum in Italiam transferre jussit, qui in forum Julii citatis itineribus delati, Venetos ad *Liquentiam* in fugam conjecerant, continente dein usi victoria, *Sacilum*, *Canopam*, & *Pulcinicum* in potestatem redegere, & percursa 1412.

Ser-

a) Windeck l. 27.

b) Litt. Duc. Steno ad Sibenicens. a. 1412. d. 11. Jul. apud Lucium Mem. istor. pag. 401. *Quod si Communitas vestra Sibenici se submittet nostro dominio, & ad manus nostras erit contenta pervenire — tractabimus, & tractari faciemus omnes cives vestros — gratiose, & benigne, prout tractamus alios subditos, & fideles nostros &c.*

Serravalle, *Beluno*, *Feltria*, *Opitergio*, aliis-
1412. que urbibus occupatis, ad *Tarvisium* conftitere. *a*) Veneti, ut bellum a fe averterent, miffis Budam Legatis, pacem quidem, fed iis conditionibus, offerebant, quæ neutri regum probari videbantur. Itaque re infecta remiffi funt, quibus Wladislaus Legatum ex fuis adjunxit, qui Venetos ad æquiores conditiones adduceret. Illi autem, cum interea vocato in fubfidium Carolo Malatefta, magis propitia fortuna ufi, Hungaros IX. Augufti prælio viciffent, non jam pacem petere, fed bellum profequi ftatuerant. Infelix pugnæ exitus Piponi, *b*) homini ex Strozziorum gente Italo, quem Veneti duabus argenteis lagenis, auro plenis, corrupiffe feruntur, a plerisque adfcriptus fuit. Sigismundus comperta fuorum clade, cum fe nervo ad continuandum bellum, videret deftitutum, egit cum Wladislao de oppignorandis XIII. Scepufii

a) Chron. Tarvifin. apud Murator. Tom. XIX. & litt. regis an. 1418. in civitate Ravenfpurg dat. *Pipone de Ozora — & ipfo Alberto, Forjulii, & Iftriæ partibus — tunc vexillum cum exercitu ducente, quam plures civitates, villas, nec non caftra, caftella & alias munitiones — ad noftram obedientiam reducentibus &c.*

b) Æneas Sylvius lib. 3. comment. in dicta Alphonfi, Windeck contra c. 27. futoris filium fuiffe memorat.

pusii oppidis, *a*) sed, dum de summa non satis utrique convenire, nec profectio differri, posset, Optimates aliquot jussu Wladislai, qui negotium perficerent, regem Zagrabiam comitati sunt. Hic, cum ei nuncium allatum esset, Sibenicum ad Venetos defecisse, *b*) res celerius confecta, & his conditionibus conventum est: Wladislaus pro oppidis pignori locandis, triginta septem millia sexagenarum latorum grossorum, *c*) numi Bohemis usitati, & justi ponderis Sigismundo numerabit, hic vicissim, vel ejus successores, dum pignus reluendum erit, tantundem per Cassoviensem, & Leuchoviensem Consules, &, si regem prius decedere contingeret, per duos Prælatos, totidemque primi Ordinis Barones, in auro, & argento, *Dunaveczii*, bona fide restituent. *d*) Sigismundus postquam pignoris tabulas, sua, & Prælatorum, Baro- 1412.

a) Hoc numero communiter veniunt; tabulæ pignoris plura censent, ut sunt, *Lublaw* cum oppido *Podolinicz*, *Gnissam*, *Bela*, *Leubicz*, *Maynhardsdorf*, *Teutschendorf*, *Michelsdorf*, *Valendorf*, *Neudorf*, *Rysdorf*, *Tülka*, *Kirchorf*, *Matthisdorf*, *Jergenberg*, & *Durancz*.

b) Lucius Mem. istor. pag. 407.

c) De har. valore vid. comment. cl. Gelasii Dobner e piis scholis apud Pray Par. II. p ag. 237. seq.

d) Tabulas pignor. vid, apud Pray Par. II. pag. cit.

vacare poſſet. Sed illo, qui in hac animorum ſciſsione omnem invidiam ſibi vitandam 1413.
exiſtimabat, id recuſante, has partes Hermannus Comes Cilejenſis in ſe recepit, quo interprete XXVIII. Aprilis induciæ his pactis in quinquennium coaluerant: utrique interea, quæ bello occupaverant, retinerent; Veneti autem ducenta aureorum millia regi ſolvant. *a*) Ad accelerationem induciarum, præter memoratas cauſas, non parum etiam defectio Hervoyæ contuliſſe viſa eſt. Homo inquies, & in quamlibet, ut ei commodum erat, partem verſatilis, cum ſe a Ladislao rege deſeri videret, nec Sigismundo ſatis fideret, Venetis autem, quod eis ad occupandam penitus Dalmatiam impedimento eſſet, ſe inviſum ſciret, cum Turcis clam cœpit agere. Proditus ex interceptis litteris, fruſtra ſe apud reginam purgabat, cujus juſſu Joannes de Gara, & Paulus Chupor, perfidum aggreſsi, maxima caſtrorum, quæ poſsidebat, parte exuerunt. *b*) Ita res habebat, cum Sigismundus, confectis

a) Windeck c. 27. Chron. Tarviſin. apud Murator. Tom. 19. cit.

b) Id in ſua ad reginam apologia apud Lucium Mem. iſtor. pag. 392. *Quomodo Joannes de Gara, & Paulus Chupor Banus, omnes poſſeſsiones, & tenutas meas, excepto caſtro Poſegavár, ſine litt. regàlibus, abſtulerunt, & occuparunt, &c.*

fectis induciis, *Bolſamum* veniens, perfidiam
1413. hominis, variorum, quæ ex Hungaria ei reddebantur, literis edoctus, comperit. Quare hominem, beneficiorum immemorem, ex Ordine equeſtri *Draconis* eliminatum, ademto præterea Ducis Spalatini titulo, ob notam infidelitatis, omni poſſeſsionum jure privatum, rei publicæ hôſtem declaravit. *a*)

Hervoya proſcripto & periculo veneni, quod ei ſicarius a Venetis ſubornatus, parabat, feliciter a ſe depulſo, res Eccleſiæ rurſus animo complexus, cum Cardinalibus, quos Joannes XXIII. ad eum miſerat, de loco Concilii deliberabat, qui tutus, & omnibus ad concilium venturis commodus eſſet. Conſtantia præ ceteris opportuna viſa eſt; in hanc Pontifex quoque Joannes, cum rege apud *Laudum* conveniens, licet ægre, & quaſi amittendæ dignitatis ſuæ præſagus, conſenſerat. Sigismundus habito Pontificis conſenſu, vulgatis per Europam litteris encyclicis, Reges, Epiſcopos, aliosque, quorum intererat, ad Concilium, cujus initium ad Calendas Novembres anni ſequentis futurum eſſet, invitavit. *b*) Vocatus itidem ad Concilium eſt

a) Lucius de reg. Dalm. l. 5. c. 5. apud Pray Par. II. pag. 246.

b) Van der Hardt. Concil. Conſtant. Tom. VI. Par. I. pag. 5. Pray Par. II. pag. 248. Katona Tom. XII. pag. 166.

eſt Gregorius XII. Joannis æmulus, ut conatum ſuum ad concordiam Eccleſiæ reddendam, ipſe etiam conferre vellet. *a*)

His apud *Laudum* actis, Rex Pontificem *Cremonam* comitatus eſt, indeque, ab eo divulſus, *Placentiam* venit, ubi cum Malateſta de Riminis diligenter egit, ut vel Gregorium XII. in ejus ditione morantem, ad Concilium adduceret, vel ipſe, ſi is nollet, acceptis ab illo mandatis, & poteſtate, Conſtantiam, in illius loco, veniret. Placentia Tridentum profectus, vetera fœdera, quæ olim inter reges Galliæ, & domum Lucenburgicam ſancita erant, ſuo, hæredumque ſuorum nomine confirmavit, *b*) in Germaniam deinde reverſus, Joanni *Huſs*, nam hujus quoque, & errorum illius cauſa, Concilium indictum erat, litteras publici commeatus *Spira* transmiſit, *c*) & Aquisgranum, quo Barbaram conjugem ſuam jam ante accerſierat, VI. Idus Novembris, poſtquam Concilii Patres tertium conſederant, veniens, cum conjuge coronatus eſt. *d*) Non eſt hujus inſtituti, res 1414.

P 2 Con-

a) Van der Hardt, Tom. cit. pag. 7. & Pray Par. II. pag. 248.

b) Leibnicz Cod. dipl. pag. 307.

c) Pray Par. II. pag. 254.

d) Litt. regis apud Rymer, Fœdera, & convent. Tom. IX. pag. 137. dat. Aquisgrani 1414. *ipſa die coronationis, quæ fuit 8. Novel.*

Concilii minutim perſequi, cujus ipſa fere ini-
1415. tia, Joanne Papa per Fridericum Auſtriæ Ducem, Conſtantia ſubducto, ſatis confuſa fuere, nec minus, hoc etiam, juſſu Sigismundi, reducto, laborandum regi fuit, ut Benedictus XIII. Concilio intereſſet; qua de cauſa Perpinianum, ut opera Alphonſi Arragoniæ regis, ad eum Conſtantiam adducendum uteretur, profectus eſt, *a)* verum & hic conatus, ob conditiones ab illo propoſitas, quæ magis ad augendum, quam tollendum, ſchisma, pertinebant, inutilis, & abſentia regis præterea Hungariæ noxia fuit. Hervoya enim, qui ad Turcas interea defecerat, poſtquam ſuas copias illis conjunxiſſet, Hungaros memorabili clade affecerat, *b)* cujus indicium cum ad Patres concilii, certis ex Hungaria nunciis allatum eſſet, Wladislaum Poloniæ regem, datis ad eum litteris, obteſtabantur, ut ſepoſita tantisper, quæ illi cum Magiſtro Ordinis Teutonici interceſſerat, lite, Hungaris, ad reprimendos barbaros, auxilio eſſe vellet, *c)* Aſtenſem vero Epiſcopum in Hungariam legarunt, ut animos cladis magnitudine fractos, facta ſubſidiorum ſpe,

a) Theodor. a Niem l. cit. lib. III. c. 9.

b) Thurocz Chron. Par. IV. c. 16.

c) Litt. Concil. ad reg. Pol. apud Dogiel Tom. I. pag. 50.

ſpe, erigeret. a) Ac Wladislaus quidem, miſsis confeſtim ad Muhamed, & Hervoyam 1415.
b) nunciis, utrique denunciavit, niſi inducias cum Hungaris inirent, & captivos dimitterent, bellum a ſe, & Sigismundo, unitis viribus gerendum, ſibi indictum ſcirent. c) Turcæ tamen his minis nihil territi, & anni ſuperioris victoria inflati, dum Si- 1416.
gismundus Pariſiis Londinum, ad conciliandum utrumque regem commeat, rurſus vaſtitatem per provincias Hungariæ, Venetorum, quod memoratu triſte eſt, milite, & annona adjuti, d) circumferebant. Non id tamen impune illis fuit. Hungari reſumtis viribus, Turcas ultra graſſari volentes, ingenti prælio victos in fugam conjecerant, ſpoliisque potiti, cladem priore anno acceptam,

a) Martene Theſ. anecdot. Tom. II. col. 1640.

b) Id. ibid. col. 1652. Litt. reg. Pol. ad Concil. inter reliqua: *miſimus ad Chriſtem magnum Turcam, & alios ad Bosnam, ad Hervoy.*

c) Id. ibid.

d) Id. ibid. col. 1632. *Lectæ fuerunt tres literæ, miſſæ D. regi per fideles ſuos de Ungaria, in quibus continebatur, — quod Turcæ valde damnificarent quædam regna Ung. & hoc ad ſuggeſtionem Venetorum, qui præſtitiſſent eis 600 baliſtarios, & bombardas, ſeu pyxides, & victualia &c.*

ptam, cum fœnore penſarunt. a) Hæc poſt-
1417. quam regi ex Anglia reduci nunciata fuiſſent, tanto ſolertius ad accelerandum Concilii finem, operam impendit, quanto magis ſuam in Hungaria præſentiam videbat neceſſariam eſſe. Poſtquam Joannes XXIII. cujus conceſsiones, variarum gratiarum, & beneficiorum largitiones, quas hactenus tam Eccleſiaſticis, quam ſecularibus, in Hungaria, Dalmatia, & Croatia, indulſerat, jam biennio ante Sigismundus auctoritate Concilii, irritas declaravit, b) Pontificatu dejectus fuiſſet, & Gregorius XII. eo ſe ſponte abdicaſſet, unicus vero Benedictus XIII. Alphonſi Arragoniæ regis patrocinio innixus, reſiſteret, Cardinales, hominem obſtinatum, & Eccleſiæ unioni præfracte adverſantem, communione Chriſtianorum privarunt, eique exauctorato concordibus ſuffragiis, etiam ii, qui prius opinionibus ſciſsi, ſuo quique Pontifici favebant, Cardinalem Odonem de Columna, qui *Martini V.* nomen ſumſerat, III. Idus Novembris ſubrogarunt. c)

XI.

a) Apud Martene Tom. II. cit. col. 1665. Oratores univerſitatis Colonien. ad Concil. Conſtantien. nunciant: *inſuper venerunt nova de Hung. quod Hungari habuiſſent magnum triumphum contra Turcos.*

b) Litt. reg. an. 1415. Cal. Jun. Conſtantiæ, & Joan. Archiepiſc. Strigonien. eod. an.

c) Acta Concil. Conſtantien. apud van der Hardt.

XI. Recens creatus Pontifex, Sigismundum ob navatam in tollendo fchismate, induftriam, habita fequente anno XXIV. Januarii Cardinalium congregatione legitimum Romanorum regem declaravit, eique per duos Cardinales coronam imponi jufsit, tum ad fumtus, quos in caufa Concilii fecerat, farciendos, decimas unius anni per Germaniam ex beneficiis Ecclefiafticis indulfit. Concilio ad X. Calendas Maji foluto, nondum Rex Conftantia abierat, cum Legatos a Venetis accepit, qui, cum induciæ quinquennales prope ad finem vergerent, has, oblata etiam urbe *Serravallo*, prorogari cupiebant, fed, cum is non ignoraret, id illos induciarum prætextu agere, ut progrefsiones in Dalmatia fibi magis firmarent, repulfam pafsi, nec mitius altero dein anno habiti funt, cum illum Paffavii eadem de caufa convenirent, quin, a Confiliariis fuis, qui fex mille aureos fruftra ab illis extorquere nitebantur, in fraudem inductus, violata fide publica, illos capi, & cuftodiæ Ducis Auftriæ tradi, nec prius, quam Viennam veniffet, liberos dimitti jufsit. *a*) Hic tempus nuptiis, inter Albertum Ducem Auftriæ, & filiam fuam Elifabetham, pridem ei defponfam, celebrandis, conftitutum; vadimonium obiere Comes Cilejenfis, & Nicolaus Gara Palatinus,

1418.

1419.

a) Windeck l. cit. c. 62. 64 ad hunc an.

nus, qui, si tempore præstituto nuptiæ non
1419. celebrarentur, quadraginta millia florenorum se numeraturos receperant. *a*) Inde Posonium, ubi præcipuos ex Prælatis, & Magnatibus, honoris causa obviam habuit, profectus, conjugem, quæ, se absente, ob contractam cum *Vallmerodio* *b*) familiaritatem, in suspicionem venerat, Varadinum deportari jussit, *c*) tum intermissam rei publicæ curam resumens, incertus hærebat, in Venetosne, an Turcas, quorum illi in Dalmatia, *d*) hi vero in Bulgaria, per sui absentiam, fines suos latius protulerant, arma corripienda essent? ambigentem Nicolaus *Sarracenus de Gorecz*, qui in Nicopolitana pugna a Turcis olim captus, ex duodecim annorum captivitate evaserat, *e*) ut his bellum, præ illis, infer-

a) Idem ibid. c. 69.

b) Enoch. Widemann Chron. Curiæ apud Mencken Tom. III. pag. 713.

c) Windeck cit. l. c 86. perhibet, etiam filiam cum illa relegatam esse, quod cum ob ætatem illius, tum ob nuptiarum cum Alberto tempus hoc anno præstitutum, videtur prorsus incredibile, ut prudens suspicio in illam cadere potuerit.

d) Lucius Mem. istor. pag. 422.

e) Litt. regis dat. in Tornova fer. 2. prox. post fest. B. Valentini M. 1428. *Ipse Nicolaus Sarrachenus — sub castro Nicopolis, fortuna nobis*

ferret, permovit. Facto igitur per æstatem necessario apparatu, in Bulgariam movit, 1419.
cumque Sultanum inter Nissam & Nicopolim metari, intelligeret, promotis castris, prælio IV. Octobris cum eo congressus, octoginta fere hostium millibus partim cæsis, partim fugatis, victoria potitus est. *a*) Fracti hoc bello Turcæ, totaque Bulgaria, & Servia exacti sunt, quas ut deinceps ab eorum infestationibus liberaret, alibi eisdem hostes parare statuit. Hanc ob caussam eundem Nicolaum Sarracenum in Mesopotamiam, vicinosque Principes, *b*) ejus vero familiarem *Josam*,

bis finistrante, — per eosdem Turcos captus, & in hujusmodi captivitate fere 12. annis integris exstitit, — tandemque — divina disponente clementia eliberatus, rursum se famulatibus nostris adjungens &c.

a) Hist. Turc. Abbat. Becattini Par. I. pag. 77. Fuisse hoc an. Sigismundum in Bulgaria patet ex litt. ejusd. apud Lunig, Cod. Germ. Diplom. Tom. I. col. 1431, quarum hæc subscriptio est, *Der geben ist auf dem neuen Haus in der Bulgerey bey den Isnenthor* 1419. *des negsten Donnerstag, vor St. Simonis, und Judæ, der heiligen zwelff Botten Tag.*

b) Litt. cit. regis an. 1428. *Potissimum autem, dum pridem eundem Nicolaum in nostra solemni ambasciata, — ad Principem Karajowluk, dominum*

Josam, qui, deserto Mahomete, sacra Chri-
1419. stiana amplexus erat, in Tartariam, misit, a) qui serius postea regressi, omnes, quos adierant, ad bellum Turcis in Asia movendum, promtos, & paratos esse renunciarunt.

Ex Bulgaria revertenti allatum nuncium est, Wenceslaum XVI. Augusti e vivis excessis-

minum Mesopotamiae, sub maximo terrae, & maris viarum discrimine transmisimus, — apud ipsum Principem Karajowluk — ambasciatam — tanta aviditatis solicitudine — pertractasse dinoscitur, quod motis ab illa parte contra — Turcos — Principe Karajowluk, & cum eo, Principe Sacheomerze, filio Demerlingh, domino Tartarorum — cum totis suis viribus — in nostrae majestatis succursu, — ut damnosae vexationes — quas nobis — Turcorum infesta rabies infert, tollerentur, abinde — votivum — reportavit responsum.

a) Ibid. *Memoratus etiam Josa Turcus — fidem veram Catholicam amplexus, — per nostram majestatem ipso eodem tempore, quo — Nicolaum Serrachenum — ad Principem Karajovluk destinaveramus, in nostra ambasciata ad Principem Mahometa, dominum Tartarorum de Ahorda missus, simili modo excitato adversus nefandissimos Turcos, in adjutorium nostrae majestatis ipso Mahometa, cum tota sua potentia, ab eodem serenitati nostrae consimiliter exoptatum retulit responsum.*

cessisse. Præter jus successionis in Bohemia, Moravia, Silesia, & Lusatia, etiam motus ab Hussitis concitati, tum repetitæ preces Sophiæ Wenceslai viduæ, ut iter in Bohemiam maturaret, suadebant. Properantem regina, quam Prælati, & Magnates, ut regi occurreret, hortabantur, morata est. Motus conjugis præsentia, quam absentem non oderat, eaque, Georgii ab *Hohenlohe* Passaviensis Episcopi intercessu, in gratiam recepta, a) Budam venit. Hic paulum moratus, habito militum delectu, Brunam, quo Comitia Bohemis indixerat, in anni exitu contendit. Venerant eo Legati a Pragensibus missi, quibus, facta erratorum venia, præcepit, ut munimenta, quibus aditum Pragensis arcis obsepserant, demolirentur, & sacerdotes suo jure, & immunitatibus frui sinerent. His nondum dimissis Magistratum Brunensem, quod *Hussi* erroribus adhæreret, exauctoravit, quo præcipiti facto plerorumque animos penitus a se alienavit. Si lenius cum Bru- 1419.

a) Windeck c. 86. memorat illam tribus quadrantibus anni relegatam fuisse, quod tempus a regis reditu Constantia respondet anno 1419. itaque videtur in Windeckii an. 1421. error cubare. Accedit, quod verba regis in litt. an. 1421. *were es Sache, das wir — mer Tochter hetten, und gewinnen &c.* indicent, reginam jam ante an. 1421. marito conciliatam fuisse.

Brunenſibus egiſſet, rectaque Pragam contendens, ſe inaugurari ſiviſſet, facile concitatos
1420. in ſe motus, præſentia ſua, & captato tempore ſopire poterat, ſed dum moras trahit, Pragenſes ſpacium interea muniendæ urbis, & de conditionibus, quæ proponendæ ei eſſent, deliberandi ocium nacti ſunt, quas cum citra honoris, & dignitatis ſuæ diminutionem, amplecti non poſſet, nec iis etiam Bohemis, quos in comitatu habuit, ſatis fideret, Wratislaviam abiit, ut diuturnam inter Wladislaum Poloniæ regem, & Magiſtrum Ordinis Pruſsici, litem componeret. Sententia, quam pro Magiſtro Ordinis tulerat, præcipua deinceps ſimultatis inter utrumque regem, cauſa fuit. *a*) Ex inopino regis e Moravſa receptu, qui ſpeciem metus præferebat, factioſi majores animos ſumſere, paulumque poſt, quam duodecim cives, qui anno priore aliquot ſenatores ex feneſtra præcipites egerant, capite truncari juſsiſſet, famaque Pragam eſſet perlata, miſſum eſſe a Pontifice Lucenſem Epiſcopum, qui cruciatorum expeditionem contra Huſsitas promulgaret, in apertam ſeditionem prorupere. Vim igitur refractariis adhibere neceſſarium erat. Poſtquam exercitum ſupra octoginta millium ex Imperialibus, & Hungaris conflaſſet, rejectis per iter obſtaculis, Pragam ob-

a) Dlugoſſ. l. 11.

obſidione cinxit, & quamquam minorem urbem, cum arce Pragenſi, in poteſtatem redegerit, majori tamen urbe, quam cives, a *Ziska* Taboritarum ductore adjuti, acriter defendebant, potiri non potuit. Quare obſidionem, conſilio ſuorum perſuaſus, ſolvit, nullo alio fructu expeditionis relato, quam quod a Conrado, urbis Archiepiſcopo, VI. Calendis Julii, in arcis templo, Rex Bohemiæ coronatus eſſet. *a)* 1420.

XII. Nec felicius ei ſequente anno res ceſsit, cum in principio, bellum magis ſui defendendi cauſa traheret, quam inferret. Wladislaus quidem, qui regnum Bohemiæ ſibi ante annum a Pragenſibus oblatum, recuſaverat, ſpem concordiæ, inter regem, & Bohemos inſtaurandæ, eminus oſtentabat, ſed, cum mercedis loco, ſibi Sileſiam interea; donec Pruſsiam ſubjugarit, cedi peteret, hæc in ipſo ſui ortu diſsipata fuit. *b)* Interea Bo- 1421.

a) Byzynii diar. belli Huſsit. ad an. 1420. apud Ludewig reliqu. Mſs. Tom. 6. pag. 154 &c. Windeck c. 70. — 84. Aen. Sylvius hiſt. Boh. c. 39. — 42.

b) Dlugoſſ. l. 11. additque, Sigismundum, ut ſibi Wladislaum contra Bohemos conciliaret, promiſiſſe, ſe filiam ſuam ei conjugem daturum, quod a vero abhorret, cum hanc pactis conventis dudum ante Alberto Duci Auſtriæ, deſignato etiam nuptiarum tempore, deſponderit.

Bohemi repulſam paſsi, regnum Vitoldo
1421. Lithuaniæ Duci offerre conſtituerant, eaque de cauſa Csaſzlaviam conventum indixere. Graviter id pro merito Sigismundus tulit, miſſoque ad conventum Sternbergio, ſeditioſos ab hoc conatu avocabat, ſed illi, excuſſo jugo, etiam proterve audaces, tantum abeſt, ut morem gererent, ut datis etiam ad illum litteris, ſe injuriis affectos queſti, crimina eidem oggerere non vererentur. *a*) Videns igitur, illos nihil ſani conſilii jam admittere, auxilium ab Imperii Principibus flagitavit, qui, quoniam ſeditionis contagio ad vicinas quoque nationes ſenſim propagari poſſet, communem expeditionem ad XXIV. Auguſti contra Bohemos decreverant, ad quem diem Sigismundus quoque cum ſuis copiis ſe affuturum promiſit. Ac primi omnium, qui ſigna in Bohemiam, ante condictum diem, intulerant, Fridericus Misnenſis, & Wilhelmus Brunswicenſis, fuere, qui hoſte ad *Brüxinum* profligato, occupata *Comotavia*, & *Rodanó*, omnem late viciniam ferro, & igne populabantur, *b*) Rex tamen, ut pollicitus

a) Pray Par. II. pag. 249.

b) Chron. vet. Cellen. minus apud Mencken ſcriptor. Tom. II. pag 445. Chron. picturatum Brunsvic. apud Leibnicz ſcript. Tom. III. pag. 398. Balbinus epitom. l. 4. c. 7. pag. 448. & ſequ.

tus erat, adesse non potuit, quem partim Veneti, reliquias Dalmatiæ magis magisque carpentes, partim Amurathes Turcarum Princeps, in Transsilvaniam irrumpens, avocarunt. Huic, quoniam periculum Hungariæ vicinius erat, obviam profectus, cum *Sabesium* venisset, a) præter exspectationem, Legatos ab eo accepit, qui de induciis cum rege transigerent. 1421.

Ad has flagitandas, intestini motus tam in Europa ab Mustapha Sultani defuncti spurio, quam in Asia ab iis, ad quos Rex Legatos ante biennium miserat, b) eodem tempore concitati, Amurathem, belli ceteroquin appetentissimum, adduxerant. Suberat & illud, quod Imperator Emanuel, qui bellum sibi ab eo inferendum non vane conjiciebat, hostes eidem in ipsa familia clam subornare non desineret. Nec Sigismundus ab induciis abhorruit, cui alioquin satis negotii erat, ut refractarios Bohemos in ordinem redigeret, qui, postquam Imperiales copiæ, frustra exspectato rege, recessissent, viribus resumtis, spem

a) Litt. regis Sabesio dat. an. 1421 d. 4. Jul. exstant in Memoriali Legator. Hassiæ, ad convent. Ratisbonen. Giessæ an. 1707. edit. Nro. 2. pag. 91. Lit. X.

b) Conf. quæ de hac in Asiam legatione ad. an. 1419. Nro. 11. relata sunt. Item hist. Turc. Abbat. Becattini Par. I. pag. 79.

ſpem conciliationis regi penitus ademerant.
1421. Re igitur cum ſuis collata, inducias in quinquennium *a)* pactus eſt, quibus autem conditionibus fuerint initæ, nemo hactenus, quod ſciam, memoriæ prodidit. Dimiſsis Legatis, eo magis reditum accelerabat, quo certius ad ſe perferebatur, Bohemos, poſtquam ab Wladislao, & Witoldo repulſam tuliſſent, nuncios ad Sigismundum *Coributum*, quem aliqui Witoldo fratrem tribuunt, miſiſſe, qui ei regnum offerrent. Sed commode factum, quod a Joanne Troppavienſium Duce intercepti, ac in Hungariam miſsi, curas regis tantisper minuerent, qui per id tempus, ut Moraviæ vicinior eſſet, Poſonium venerat. Hinc, quoniam tempus nuptiis filiæ præſtitutum appropinquabat, Viennam abiit, indeque celebratis nuptiis reverſus, *b)* tabulas, quæ voluntatis teſtamentariæ vicem obirent, condidit. Earum hæc ſententia erat: *c)* Se, poſt

a) Apud Vindeck c. 86 oſcitantia ſcribæ, 50. anni irrepſerant.

b) Anonym. Viennenſis Chron. breve Auſtr. ad an. 1421. apud Pez, ſcript. Auſtr. Tom. II. pag. 550. alii non recte ad an. ſequ. nuptias rejiciunt, ut ex regis diſpoſitione teſtamentaria patet.

c) Autogr. germanice exſtat in Tabular. Viennen. Aulico. Dat. Poſonii an. 1421. Dominic. prox. ante

post habitam cum regni Prælatis, & optimatibus maturam deliberationem, de filiæ suæ 1421.
hæreditate, hunc in modum constituisse, ut, si ipse deinceps nullam prolem masculam habi-

ante fest. B. Michaelis. Excerpo solum, quæ huc pertinent. *Darumb mit wollbedachten müte, redlicher vorbedachtung, guten rate unserer Fürsten, Landherren, Edele, und getrewen, und rechter wissen versorgen wir die egenante Elizabeth unser liebe Tochter mit irem erbtheil, — were es Sache, das wir fürbas nicht Leibeserben gewünnen, die Sun weren, und mer Tochter hetten und gewinnen, so sollen wir die vorgenannte unser liebe Tochter, und Herzog Albrechts Gemahel, bey unsern lebendigen Zeiten versorgen, weliches Kunigreich, zu Ungern, oder das Kunigreich zu Behem mit der Marggrafschaft Merhern, und allen andern Furstentumen, Landen &c. Sy nach unserm Tode haben, und besitzen solle. Were aber, das wir solche Versorgung verzügen — und mit dem Tode, do Got für sey, fürkommen wurden, so geben wir der vorgenanten unser lieben Tochter, in Craft diez brieves volle macht und gewalt, das sy selbs die wale habe, welches Kunigreich under den zweyen, das Kunigreich zu Unger, oder das Kunigreich zu Behem, mitsampt der Marggrafschafft zu Merhern mit allen andern zugehöri-*

habiturus esset, hæc, a suo obitu, Hungari-
1421. am, Bohemiam, & Moraviam, cum ceteris regnis, & provinciis, jure hæreditario, ad proles illius transituro, posfideret: si vero filiam adhuc ex conjuge tolleret, tum in Elisabethæ in arbitrio futurum, utrum ex duobus regnis, Hungariamne, an Bohemiam, cum adnexis provinciis, volet eligere, quodve delegerit, illius eodem jure hæreditario, fore, alterum vero sorori cederet, iis solum exceptis, quæ Alberto Duci ante contulisset, *a*) aut

hörigen, sy für iren Erbtheil haben wolle, das sy also Kyeze, und welches Kunigreich sy also Kyezen, und welen wurde, des sol sy ganz mechtig seyn, und es soll ir auch erblich, und mit aller Zugehörung volkommenlich nachfolgen, — were aber das wir kein Tochter mer gewunnen, noch hetten, so sollen beyde Kunigreich zu Ungern und zu Behem, und die Marggrafschafft zu Merhern, mit allen ander unsern Furstenthumen, Landen und Lewten, an die egenante unser Tochter Elisabeth, und ires Leibserben kommen, und gefallen mit allen iren Zugehörungen, ausgenommen, was wir Hertzog Albrechten vor verschrieben haben, oder noch verschreiben würden &c.

a) Quinque Moraviæ civitates, *Brunam*, *Znoymam*, *Iglaviam*, *Budvieium*, & *Pocherliczam*, pigno-

aut deinceps conferre vellet. Celebratis nuptiis, & lustratis, quas ad signa adesse interea jusserat, copiis, Posonio Igloviam movit, ubi, cum ex Magnatibus Bohemiæ, qui se ei conjunxerant, intellexisset, dissidia inter Pragenses, & Taboritas orta esse, tempus occupandum ratus, in Csaszlaviensem provinciam profectus, occupata Cuttenberga, Ziskam Taboritarum Ducem, inter montium fauces circumventum, ita conclusit, ut eo intercepto, vel cæso, spes esset, Bohemiam facile pacandam esse. Verum ille noctu ex insidiis feliciter eluctatus, anno sequente, licet rigida hyems esset, regem Teutobrodam recedentem, & prælium detrectantem, aggressus, conferta pugna in fugam egit, qui, licet amissis castrorum impedimentis, reliquias copiarum, Iglaviam evadens, ægre periculo subduxerit, nihil tamen propterea ob spem, quam ex intestimis Bohemorum dissidiis concepit, dejecto animo erat. Ziska enim, cum de rege, qui Sigismundo subrogandus esset, agebatur, nullo rege Bohemis opus esse, communi Taboritarum nomine declaravit, Pragenses contra, Coributum, qui illis ex Lithuania suppetias venerat, optabant, hunc contra Magnates cum Nobilibus aversabantur, & ut Pragensibus

1421.

1422.

Q 2 spem

pignoris loco ei dedit, ut has e vicina Austria contra Hussitas facilius defendere posset.

ſpem penitus adimerent, regni Inſignia in
1422. munitiſsimam arcem, *Caroloſteinium*, transferenda curarunt. *a*) Hoc loco res a clade Teutobrodiana erant. Facile Sigismundus intellexit, Wladislaum ſibi, ob ſententiam pro magiſtro Ordinis Pruſsici ante biennium a ſe perlatam; ſuboffenſum eſſe, eoque vel diſsimulante, vel conſcio, Coributum veniſſe in Bohemiam, non tam, ut ei regnum afferret, quod ipſe, ne acceptaret, æquum cenſuit, quam ut eſſet, qui Bohemos in pertinacia confirmando, ſibi novas identidem moleſtias crearet.

XIII. Ad hunc igitur ſibi conciliandum,
1423. præcipuos ex regni Baronibus, a ſuo ex Comitiis Norimbergenſibus reditu, Poſonii, ut cum iis negotium conferret, adeſſe juſsit, utque Bohemos interea ſopiret, Friderico Saxoniæ Duci poteſtatem dedit, ut cum iis modum conciliationis, quem ex temporis, & animorum habitu optimum cenſuerit, iniret, ipſe vero, poſtquam, exquiſita ſuorum ſententia, omnes in eo conſpirare intellexiſſet, ad redintegrandam cum Polonis amicitiam, neceſſarium videri, ut ambo reges congrederentur, *Kesmarkinum* profectus, litteras inde ad Wladislaum dedit, quibus gratum

a) Windeck cit. l. c. 90 — 94. Aen. Sylvius l. cit. c. 44. Balbinus epitom. l. 4. c. 7. ejusdem Miſcell. Dec. 1. l. 3. c. 21.

tum ſibi futurum ſignificabat, ſi ad diſſenſiones, quæ hactenus utrinque intercesserant, penitus tollendas, condicto, quem vellet, loco, convenirent, liberum, tutumque commeatum, ſi veniret, pollicitus, idem ſpopondit Proceribus, quos in comitatu habiturus eſſet, ſimiliter optimates Hungariæ fidem ſuam iis obſtrinxerant. *a)* Wladislaus, quamquam Rex arbitrio illius locum conventus in confinio deſignandum reliquerit, nihil tamen humanitate ei concedens, vel de fide illius dubitans, Kesmarkinum cum Vitoldo fratre in comitatu Procerum ſuorum venit, & volens, libensque pacta, quæ olim Lubloviæ inita fuere, Sigillis tam Sigismundi, quam Procerum Hungariæ rurſus corroborata, inſtauravit. *b)* Amicitia utrinque conſtabilita, duplex regi emolumentum acceſsit: primum quod mitigata, quam prius in cauſa Ordinis Pruſsici tulerat, ſententia, Magiſter Ordinis, Wladislao conciliatus, & ab hoc, quod alterum erat, Coributus ex Bohemia redire juſſus fuerit. *c)* Privatim illud etiam additum, ut Rex Poloniæ triginta millia militum Sigismundo, contra Bohemos, ſuppetias ad 1423.

 VIII.

a) Dat. in Kezmarck Dominic. Lætare, an. 1423. apud Sommersberg, Tom. I. Dipl. Sileſ. mantiſs. diplom. pag. 82.

b) Apud Dogiel, Dipl. Pol. Tom. I. pag. 52.

c) Dlugoſs. l. 11.

VIII. Calendas Augusti, mitteret. *a)* Saluta-
1423. to postremum Wladislao, Budam rediit, quo varii ex Imperio Principes, & Albertus gener, ex Austria advenerant. Huic Moraviam, ne interea, dum res Legatorum Bohemiae, nam & ipsi adfuere, cognoscat, defensore careret, in feudum contulit. *b)* Ac hi quidem, Bohemos ad obsequium redituros, pollicebantur, si Rex, data erratorum venia, efficeret, ut religionis capita, in quibus a ceteris dissentiebant, rursus in consultationem venirent. Verum simulate haec omnia, nec tam concordiae ineundae causa, quam ut tempus, ad augendos belli apparatus, nanciscerentur, eos egisse, ex eventu patuit. *c)*

Nondum Principes Buda discesserant,
1424. cum regi nunciatum est, Manuelem Imperatorem, qui se venturum jam ante significaverat, non longe abesse, cui obviam medio stadio profectus, Budamque deducto, honores dignitati pares exhibuit. *d)* Foedus communu-

a) Windeck. c. 112. *Also wart ein eynung gemacht, zwischen den beyden Konigen auf ir baider Lebetage also das der Konig von Boheimt uf die Hussen dem Konig Sigmund zu hulfe komen solte mit 30. tausent manen auf sant Jakobstage.*

b) Dobner monument. Tom. IV. pag. 414.

c) Windeck c. 114.

d) Idem c. 119. collat. cum c. 23.

mune contra Turcas sanciendum, itineris causa fuit, & videbatur id tempus ipsum suadere, quo Mustapha, cujus supra mentio facta est, Amurathe ad fines Persiæ occupato, arrepta tyrannide, rerum potitus, illum redire volentem, Europa excludere parabat. Sigismundus, re cum suis, inter quos & Despota Serviæ erat; collata, induciis nondum elapsis, ab ineundo fœdere abstinendum, & vires potius Bohemis ad obsequium reducendis adhibendas existimavit. Itaque Imperatorem, post octo hebdomadas, liberaliter habitum, ab se dimisit, quem paulo post Oratores ab Amurathe consequuti, inducias, oblatis ex Asia ditissimis muneribus, prorogari petebant, quas in biennium eo facilius impetrarunt, quo magis, conciliata inter Pragenses, & Taboritas concordia, Moraviæ, quam Ziska in prædam destinabat, periculum imminebat. *a)* Ut hominem propositi sui tenacem, & in hoc exequendo semper celerem præveniret, Stephanum, & Georgium, Rozgonios, cum parte copiarum in Moraviam properare, & Alberto Duci Austriæ, suppetias ferre jussit, qui, aliquot urbibus expugnatis, dum Ziskæ obviam pergunt, hic peste correptus, magno Taboritarum luctu, exstinctus est. *b)* Locum illius, *Coributus* occupa- 1424.

Q 4 re

a) Windeck ibid. & hist. Turc. Becattini pag. 86.
b) Aen. Sylvius l. cit. c. 44. — 47. & litt. regis an. 1430. apud Pray Part. II. pag. 288.

re volens, e Polonia reverſus, ſubſidiarias
1424. copias adduxit. Factum hominis Wladislaus graviter ferens, ne causa violati fœderis in ſe redundaret, Sigismundo quinque equitum millia in auxilium miſit, *a*) cum alias triginta pollicitus eſſet. Sed, cum hic numerus, ad refrænandos Huſsitas, regi exiguus videretur, Viennam, quo Imperii Principes ad conventum exciverat, ſequente anno profectus eſt, ut cum iis de apparatu in bellum Huſsiticum conſultaret. Præter complures
1425. Principes aderant quoque nuncii urbium Imperii frequenti numero, at, cum Rhenani Electores abeſſent, indicto Norimbergam alio conventu, nihil tum confici potuit, & Sigismundum, præter exſpectationem, Turcæ in Hungariam revocarunt, qui, violatis induciis, facta in Valachiam irruptione, *Danum*, provinciæ Vajvodam, captivum abduxerant, cum Amurathes interea Conſtantinopolim ex parte continentis obſideret, quam tamen, quod claſſe deſtitutus eſſet, & Joannes Palæologus, qui patri Manueli ſucceſſerat, urbem acriter defenderet, ſolvere coactus, deductas copias Theſſaliæ, & Albaniæ infudit, imperatoque urbibus utrobique captis tributo, bellum, ad ſeditionem opprimendam, in Aſiam traduxit *b*)

Tam

a) Dlugoſs. l. 11.
b) Windeck, c. 127. — 137. Becattini hiſt. Turc. pag. 89.

Tam aſsidua, qua Amurathes uſus eſt, armorum fortuna, vicinos Principes, in primis Stephanum Serviæ Deſpotam, admonuit, ut rebus ſuis mature conſuleret, qui cum ſæpe morbo laboraret, nec hæredem hactenus ex Contacuſena ſuſtuliſſet, de ſucceſſore, qui Turcis obſiſtere poſſet, anxius, Sigismundum orabat, ut Georgium, ex ſorore nepotem, non ſolum Hungariæ Baronibus accenſere, *a)* ſed ſuum quoque hæredem, jure ſucceſsionis ad legitimos ejusdem filios traducto, renunciare vellet, *b)* Non abnuit Rex, præfer- 1426.

a) Litt. regis an. 1426. dat. in Thata. *Inſuper fidelem noſtrum Magnificum Georgium Wuk, filium Branck, nepotem utpote ſuum, in cœtum & conſortium, dictorum ejusdem regni noſtri Hung. Baronum aggregare, inſtanti prece, a noſtra obtinuit majeſtate, &c.*

b) Ibid. *Volentes ex ſingulari majeſtatis noſtræ benevolentia, eidem Stephano Deſpotæ, in ipſo regno Raſciæ, de ſuo ſanguine facere ſucceſſorem, animo deliberato, & ex certa majeſtatis noſtræ ſcientia, Prælatorumque, & Baronum noſtrorum ad id accedente conſilio præmaturo, eundem Georgium, filium Wuck, & ſuos maſculinos hæredes legitimos, ejusdem Stephani Deſpotæ inſtituimus ſucceſſores, & præficimus in hæredes, eisdemque, Georgio, & ſuis maſculinis hæredibus legitimis, caſu quo*

1426. fertim, quod militarem Georgii indolem jam ante cognitam habuerit, & omnium maxime idoneus, propulſandis Turcis videretur, ea tamen conditione, ut tam ipſe, quam ejus hæredes, quoties id reges Hungariæ poſcerent, toties omnibus viribus contra hoſtes, qui Serviam, eique vicinas ditiones, invaderent, præſto eſſet: *a)* ſi vero illum absque legi-

quo memoratum Stephanum Deſpotam absque hæredibus maſculini ſexus, ex hac luce migrare contigerit, jam dictum regnum, omniaque, & ſingula jura, & jurisdictiones ejusdem dedimus &c.

a) Litt. regis an. 1426. cit. *Ita videlicet, quod ipſe Georgius & hæredes ſui, nobis, & ſacro noſtro regio diademati, noſtrisque ſucceſſoribus regibus Hung. fideles ſemper, & obedientes eſſe, mandatisque noſtris, & eorundem noſtrorum ſucceſſorum incunctanter obedire — debeat, & teneatur. Volumus inſuper, quod, dum & quando imminente neceſſitate, Majeſtas noſtra, aut ſucceſſores noſtri, dictum Georgium, aut ſuos hæredes, ad hoc requiſiverint, ex tunc ipſe & eorum quilibet, in partibus ſibi, & dicto regno Raſciæ vicinis, cum tota potentia, & gentibus ſuis exercitualibus, juxta poſsibilitatis eorum exigentiam, nobis, & coronæ, ac regno, noſtris prædictis toties quoties neceſſe, & opportunum fuerit, ſemper, & ubique fideles exhibeant famulatus.*

legitimo hærede mori contigerit, Servia rurſum ad jus regum Hungariæ redeat, a) &, 1426.
ut hominem magis in officio contineret, præcipua caſtra, quæ ad hoſtes arcendos, &, ſi opus erat, ad vim quoque inferendam, ſitu ipſo comparata erant, ſibi, ſuisque ſucceſſoribus, regibus Hungariæ, ſervata voluit. b)

XIV. Interea Ordines Imperii, decreta Francofurti contra Huſsitas expeditione, ſe- 1427.
mel, iterumque copias in Bohemiam duxerant, totiesque clade accepta redierunt. Cauſa infelicis exitus Sigismundo attributa fuit, qui per id tempus partim in Tranſsilvania, c) par-

a) Ibid. *Eo ſpecifico declarato, quod in caſu, in quo ipſum Georgium ſine hæredibus maſculinis decedere contingat, ex tunc omnia prædicta, per noſtram majeſtatem eidem data, & collata, iterum ad majeſtatem noſtram, coronamque, & regnum noſtrum, integraliter redundent, & devolvantur.*

b) Præter *Belgradum* exemta erant, ſed quorum nomina fere exoleverunt, ſequentia caſtra, cit. litt. comprehenſa: *Tyſznicza, Ozatz, Zakol, Polanch, Broddr, Zomzédvár, Halap, Machow, Bythwa, Felsöwabna, Abna, Neprychow, Columbara, Belaſcna, Vub, & Tham lawamelek.*

c) Litt. regis an. 1427. fer. 2. prox poſt Dominic. *Quaſi modo geniti*, in *Szentgyörgy*, apud Katona Tom. XII. pag. 476.

partim in Valachia a) agebat, ut has pro-
1428. vincias adverſus Amurathis conatus, ad defenſionem compararet, qui, domitis rebellibus, ex Aſia reverſus, caſtrum columbarum, (*Galamboc*) a Serviæ Deſpota, depacto precio, magis extorſit, quam emit, idque pro ſtatione, ex qua, in quamcunque vellet partem, arma circumferret, defixit. Stephanus Rex Bosniæ tam vicino hoſte territus, Hermannum Ciliæ Comitem & Sclavoniæ Banum, qui ei cognatione junctus, ex finitima provincia auxilio eſſe poterat, ſi ipſe legitimo filio careret, Bosniæ hæredem ſcripſit. b) Nec Sigismundus, ut hoſtem a Danubio removeret, diu moratus, ducto in Serviam exercitu, caſtrum columbarum, menſe Majo obſedit. c) Verum Amurathes, opinione celerius, obſeſsis ſuccurrit, regemque in alteram Danubii ripam recedere coegit, peneque erat, ut in manus hoſtium incideret, niſi

a) Litt. regis dat. in *Ribnic* an. eod. 22. Jul. in Luſatia ſuper diplomat. continuat. pag. 6.

b) Litt. Stephani reg. Bosniæ dat. in *Bobowetz* an 1427. d. 2. Sept. apud Pray Par. II. pag. 293.

c) In hiſt. Norimberg. diplomat. Period. 2. pag. 544. exſtant. litt. regis an. 1428. d. 5. Maji, quibus urbi Norimbergen. privilegium *de non evocando*, tribuit, dat. in exercit. ad caſtrum Columbar.

ſi virtute Stephani Rozgonii ſervatus fuiſſet. *a)* Hic aliquamdiu hoſtem obſervans, Sismanni Bulgariæ quondam Imperatoris filium, ad ſe perfugientem, in clientelam recepit, eique in provincia Themeſienſi amplos fundos tribuit, ex quibus dignitatem ſuam tueretur. *b)* Inde, cum Amurathes bellum in Moream transferret, eique res deinceps cum Venetis futura eſſet, Budam reverſus, ac mox Poſonium concedens, in ſpem erigebatur, fore, ut Bohemi ſaniora tandem conſilia admittant, quorum Legati, inter quos Mainhardus de Novadomo præcipuus erat, Poſonium venerant, ut cum rege de ineunda pace agerent. Aderant quoque, præter Albertum Ducem Auſtriæ, aliquot Sileſiæ Principes, & præcipui ex Hungariæ optimatibus. Arbitrium, conſenſu omnium, quatuor Bohemiæ Magnatibus, tam Pragenſium, quam Orphanorum parti addictis, delatum, qui, cum conditiones, quibus Sigismundum, regem Bohemiæ declarari cupiebant, conſtituiſſent, Taboritæ, quorum intererat, ut bellum, ad agendas prædas, duceretur, obſtitere. Sigismundus, videns nihil jam pacati a Bohemis ob partium ſtudia ſperari poſſe, conventum Imperialibus Poſonium indixit, in

1428.

1429.

a) Litt. regis an. 1436. apud Pray Part. II. pag. 295.

b) Ejusd. litt. an. 1428. dat. in Földvár.

in quo primum de restituenda quiete in Ger-
1429. mania, tum de expeditione rursus in Bohemiam suscipienda, tractaretur. Convenere ad Calendas Decembres, & quinta ejusdem mensis initium conventui factum; internuncii, qui regis mandata ad Electores perferrent, Zagrabiensis, & Pataviensis, Episcopi, cum regni Palatino, Nicolao de Gara, fuere. Sed in ipso congressus initio, illa difficultas obmota, quod non omnes Electores adessent, ac ideo Norimbergam, qua omnes convenire possent, pro Comitiis designandam videri. Rex importuna mora offensus, frustra Norimbergam, ajebat, obtendi, in qua ante septennium tempus diu trivisset, cum hostes interea suis ditionibus vastitatem inferrent, se alioqui dignitatis Imperialis, quæ sibi hactenus damno fuerit, jam pertæsum, ac, cum morbis crebro laboret, constitutum habere, ut se hac abdicet, satis sibi ceteroqnin ad suam dignitatem tuendam, præsidii in Hungaria esse. Qua denunciatione moti, expeditionem contra Bohemos, & conventum Norimbergam, in sequentem annum ad XIX. Martii decrevere. *a*)

Bohemi eorum, quæ Posonii decreta erant,
1430. non ignari, sua interesse putabant, ut prius, quam Imperiales expeditioni se parent, ipsi, cor-

a) Windeck, c. 116. & 117. Becattini histor. Turc. pag. 195.

correptis armis, eos præveniant. Habita ergo ipsis Calendis Januarii deliberatione, 1430.
cum LXX. pugnatorum millibus, Misniam, Saxoniam, Franconiam, & partem inferioris Bavariæ pervagati, actis spoliis, & extorta a plerisque collecta incendiaria, divites rediere. Mox indulta tantisper quiete, in Hungariam effusi, eam, quæ inter Posonium, & Tirnaviam est, plagam fœde vastabant. Ultra grassari volentes, Stiborius cum Mathisio prohibuit, sed ab hoc in pugna perfide desertus, tam inauspicato cum iis congressus est, ut amissis suorum sex millibus, inferior excederet. Nec Hussitis incruentum prælium fuit, desideratis duobus millibus, ne ab Hungaris, quos cum novis supplementis affuturos rumor erat, opprimerentur, in Moraviam reversi sunt. a) Sub hæc tempus conventui præstitutum, propter incursiones Hussitarum ad Septembrem prorogari oportuit, quo Sigismundus primum Norimbergam venerat, quamquam ne tum quidem, quod pauci adessent, quidquam de bello Hussitico agi potuerit.

Advenerant illo etiam nuncii ex Valachia missi, qui *Danum*, provinciæ Vajvodam, obiisse referebant, atque ut defuncto alium suf-

a) Windeck c. 170. Aen. Sylv. l. cit. c. 48. Chron. Sclavo. apud Lindenbrog pag. 214. Balbin epit. l. 4. c. 11. & Miscell. Dec. 1. l. 4. §. 110.

1430. sufficeret, orabant. Habuit secum, diu in aula educatum, *Myrzam*, Pancratii Vajvodæ quondam Valachiæ filium, hunc, quod in ejus fide plurimum reponeret, clava, quod gentis illius more signum potestatis erat, donatum, & in ordinem Draconis cooptatum, Valachiæ, exacto prius fidelitatis juramento, præfecit. *a)* Agebat quoque cum Alexandro, Duce Lithuaniæ, de conferenda ei regia dignitate, & jam Legatos, qui coronam, & reliqua regiæ potestatis insignia eidem perferrent, designaverat, cum Wladislaus, re mature comperta, in Lithuaniam profectus, fratrem, ut ab hoc proposito desisteret, permovit. *b)* Accepta hac repulsa, cum rursus de expeditione in Bohemiam decernenda deliberaretur, Fridericus Brandenburgicus maluit, rem Hussitarum convocato iterum concilio, quam armis, quæ frustra hactenus suscepta fuissent, transigi, misitque propterea Legatum suum ad Martinum V. qui, proposito religionis periculo, id ei persuadere conaretur. Arduum id visum Pontifici, verebatur enim, ne invidiosa, & prorsus inutilis, magisque ad perturbandam, quam pacandam Ecclesiam instituta quæstio, utrum Pontifex Concilio, an hoc illi auctoritate præstet, rursum nullo rei publicæ fructu suscitaretur. Ce-

a) Windeck c. 173. & 174.

b) Idem ibid. & Dlugoss. l. 11.

Ceterum, id ſe facturum Legato reſpondit, quod rei Chriſtianæ maxime opportunum eſſet. *a)*

Dimiſſo illo, & re ſecum in utramvis partem librata, cruciatorum expeditionem in Bohemos, qui religioni non minus, quam juri regio Sigismundi, adverſabantur, XI. Januarii promulgavit, *b)* mox tamen, ne quidquam prætermiſiſſe videretur, quod ad pacandos refractarios faceret, edita calendis Februarii altera bulla, Concilium Baſileam indixit, & Julianum Cæſarinum, Cardinalem ſancti Angeli, qui ei præeſſet, conſtituit. *c)* Verum hanc Pontificis deſtinationem, mors illius, quæ viceſimo poſt die conſequuta eſt, fere nullam reddidit. Eugenius enim IV. natione Venetus, qui III. Martii ei ſucceſſerat, etſi Baſileam pro Concilio deſignatam, primum ratam habuerit, poſtea tamen Bononiam, tum Senas præferre maluit, quo cum Bohemi, qui ab Italia abhorrebant, vix venturi viderentur, Sigismundo ſpes conciliationis propemodum ſuccisa erat, niſi Ordines Imperii communibus ſuffragiis expeditionem in illos decreviſſent, quæ ut meliore,

1431.

a) Cochlæus hiſt. Huſs. l. 6. ad an. 1430.

b) Raynaldus ad hunc an.

c) Harduini Acta Concilior. Tom. VIII. pag. 1111. Cherubini Bullar. Tom. I. pag. 314.

liore, quam ante, fortuna fuſciperetur, quantum cuivis militiæ, & æris in hanc conferendum, quo tempore movendum, quis ordo expeditionis, &, quæ, ſi a quo peccatum eſſet, judicii militaris ratio habenda eſſet, conſtitutum. *a*)

1431.

His unanimi conſenſu decretis, Principes domum reverſi ſunt, ut, quæ expeditioni neceſſaria erant, maturarent. Sigismundus vero, ſi hæc ex ſententia cederet, bellum Venetis quoque cogitans inferre, Amadeum Sabaudiæ Ducem gravibus litteris admonuit, ut, ſi cum iis fœdere colligatus eſſet, huic, niſi læſæ majeſtatis crimine notari velit, omnino renunciet, nec enim æquum eſſe, ut ipſe, Imperii feudatarius, cum illis, qui ob ereptas Lombardiæ urbes, Paduam, Vicentiam, Veronam, Brixiam, & Bergamum, hoſtes Imperii eſſent, amicitiam deinceps colat. *b*) Eadem de cauſa, Legatos ad Philippum Angelum Mediolani Ducem deſtinabat, cum ſpes improviſo affulſit, Bohemos, qui religionis cauſa inter ſe diſsidebant, ad amplectendam pacem adduci ſine armis poſſe. Uſus eſt occaſione, & cum Electore Brandenburgico,

a) Windeck c. 177. Æn. Sylvius l. cit. c. 48. Hiſt. Norimb. Par. II. pag. 575.

b) Æn. Sylv. cit. l. & c. Balbinus epit. l. 4. c. 11. & Chron. Bartoſsii apud Dobner. monument. ined. Tom. I. pag. 166. ad hunc an.

co, ac Herbipolenſi Epiſcopo, Egram, ut vicinior eſſet, ſe conferens, nuncios Pragam 1431.
miſit, qui rei periculum caperent. Pragenſes, Taboritæ, & ipſe etiam Procopius magnus, non alieni a conciliatione erant, ſoli reſiſtebant Orphani, illi tamen his auctoritate, & numero prævalebant. Quatuor igitur ex ſuis delegerant, qui cum rege tractarent. Aliquot hebdomadæ effluxerant, quin aliquid transigi potuerit, ſive illi plura poſtulabant, quam Rex concedenda putabat, ſive, quod vero ſimilius eſt, cognito armorum apparatu, qui adverſum ſe in Germania fiebat, dolo ſe circumduci ſuſpicarentur. Abrupta igitur tractatione, domum rediere, & Sigismundus Norimbergam reverſus, nova mandata ad Imperiales dedit, ut expeditionem accelerent, & copiæ, ſi non citius, certe ad XXIV. Junii condicto loco adeſſent. *a*)

XV. Lentius tamen omnia, quam oportuit, fiebant, & Rex itineris Romani cauſa ſolicitus, Legatos jam ante deſignatos Mediolanum miſit, data eis poteſtate, ut cum Duce, primum de ineunda contra Venetos armorum ſocietate, tum de via Romam ſecure peragenda, ſecundum data ſibi mandata, paciſcerentur. *b*) Accepti ſunt liberaliter

R 2

a) Æn. Sylvius l. cit. & c.

b) Du Mont corps diplom. apud Pray Part. II. pag. 302.

ter, & habita cum Brunovio, Ducis vicario,
1431. deliberatione, in hæc tandem capita coaluere, a) bello in Venetos decreto, utraque pars vires omnes in id conferet, neutri alteram, eo durante, fas ſit deſerere, multo minus autem cum hoſte, inſcia altera, quæcunque ſpes faciendi lucri, commodive offerretur, ſeorſim paciſci, ſed, ſi pax firma, ſtabilisque confici poſſe videretur, hæc concordi paciſcentium voluntate fiat. Præterea, ſi Rex Romam ſeu mari, ſeu terra, ire volet, Dux naves, commeatum ſecuritatis, &, quamdiu in Italia moratus fuerit, quovis menſe, quinque aureorum millia, eidem præbebit, interea autem Genua, & urbs Aſtenſis, velut pignus datæ fidei, in poteſtate regis erunt. Hæc publicis tabulis conſignata erant, privatim autem, ut vires Venetorum ſenſim ſuccidcrentur, &, his ſuccifis, via deinceps regi, & ſucceſſoribus, ad Venetos Dalmatia penitus eliminandos, pronior eſſet, in id quoque Legati operam conferebant, ut mercatus aromatum, ex quo illi immenſas hactenus divitias corraſerant, ad Genuenſes, & per hos in Germaniam derivaretur, monſtrata etiam facili ratione, qua hujusmodi merces ad Rhenum, & hinc ſecundo Danubio per Germaniam in Hungariam, & vicina regna perferri poſſent, regem propterea vehemen-

a) Ibid. apud eund. Part. II. pag. 303.

menter optare, ut mercatores Germanos, qui Venetiis degebant, Genuam traduci pateretur. Etsi Dux, proprii etiam lucri causa, hoc genus mercimonii Genuam traduci cuperet, sedem tamen stabilem in ea Germanis præbere noluit, veritus, ne per hos regi, futuro Imperatori, traderetur. *a)* 1431.

Principes Imperii interea nonaginta militum millia collegerant, universis Dux datus est Fridericus Elector Brandenburgicus, ratio autem gerendi belli hæc inita, ut, dum ipsi per Byrutinum Ducatum Bohemiam ingressi fuerint, Albertus Dux Austriæ, hostem ex Moravia distraheret. Sed vix hosticum in-

a) Sigismundi vita Ms. coævi auctoris, in biblioth. Vaticana, Cod. 3887. fol. 60. *Aliquando contra Venetos irritatus, prohibere statuerat, ne ullæ species, seu aromata Venetorum, in Allemanniam transirent, quia tamen Teutonici carere aromatibus non poterant, ordinaverat, duas vias esse aromatibus; nam Rhenum & Allemanniam superiorem, per Januenses fulciri voluerat, Austriam vero, Hungariam, Bohemiam per Danubium fulciri mandarat, mercatoresque omnes Teutonicos, qui Venetiis erant, transferre Januam decreverat, sed Philippus, Mediolani Dux, rem impedivit, non, quod Venetis consuleret, sed, quod Teutonicos Januæ stantes, suspectos habuerit, ne traderent urbem Imperatori.*

ingreſsi erant, cum Principes, ortis inter ſe
1431. diſsidiis, reditum, ne viſo quidem hoſte, parabant. Hinc metus in milites propagatus, quos etſi quidem Julianus Cardinalis erigere niteretur, appropinquante tamen cum Bohemis Procopio, terrore panico correpti, fugam omnes circumſpiciebant, ut adeo Bohemis inſequentibus nihil reliquum fuerit, quam ut palantes cæderent. Undecim mille in fuga cæſi, ſeptingenti capti, centum quinquaginta tormenta, & ducenti quadraginta currus onerarii, cum apparatu caſtrenſi in prædam venere. Albertus, cognita Imperialium fuga, obſidionem Pribislavienſem ſolvit, & quingentis pagis igne crematis, Viennam rediit. Huſsitæ, qui nihil a Germanis jam metuendum habebant, incruenta victoria tumidi, pars Auſtriam, pars altera Hungariam invaſerant, ſed utrobique, in Auſtria quidem ab Alberto ad *Kirchhoſium*, in Hungaria autem ad *Ilavam* a Nicolao Rozgonio internecione deleti ſunt, Procopio parvo cum paucis per ſaltus Trenchinienſes, ægre Hunnobrodam elapſo *a)*

Sigismundus toties jam expertus, fruſtra Bohemos armis cogi poſſe, alia ratione inita, lit-

a) Windeck c. 178. & ſequ. Æn. Sylvius l. cit. c. 48. annal. Claræuall. apud Linck Tom. II. pag. 104. Chron. Auſtr. apud Pez ſcript. rer. Auſtr. Tom. II. pag. 853.

litteras in fine Augusti ad eos dederat, quibus facta conciliationis spe, auctor illis fuit, 1431.
ut Legatos suos ad Concilium Basileam mitterent, sed parum officioso responso ab illis accepto, in Germania aliquamdiu moratus, postquam litteris sibi a Pontifice redditis, certior factus est, se eo honore, qui nulli hactenus Imperatorum obtigisset, Romæ accipiendum esse, itineri Italico se accinxit, & Mediolanum XXII. Novembris veniens, ab Archiepiscopo in basilica S. Ambrosii, ferrea regni Italiæ corona incinctus est. Ceterum itineri huic & illa causa suberat, ut plures Italiæ Principes in communionem armorum contra Venetos pertraheret, ex quibus Sabaudiæ Dux, & Marchio montis ferrati ad fœdus accessere, ceteros ob privata inter se dissidia, invitare, supervacaneum erat. *a*)

Exacta Mediolani hyeme, Placentiam ineunte anno profectus, scriptis inde IX. Januarii ad Pontificem litteris, causas, cur 1432.

a) Raynald. ad hunc an. Windeck c. 182. & 184. Bilius hist. Mediolan. apud Murator. script. Ital. Tom. XIX. pag. 156. Vita Eugenii IV. apud eund. Tom. III. Part. II. pag. 869. Ludewig reliqu. Mss. Tom. I. pag. 462. Baluzius Miscell. l. c. 7. pag. 508. Ripamon. histor. Mediol. lib. 4. pag. 604. apud Grævium Thesaur. antiquit. Ital. Tom. II. Part. I.

1432. Concilium Basileæ potius, quam alibi, mallet continuari, reddidit, ac propterea se Romam citius, quam res Imperii ceteroquin paterentur, venturum, significavit. Pontifex, qui Bononiam Basileæ præferri cupiebat, ita ambigue respondit, ut Rex, quid consilii caperet, incertus redderetur, & cum Florentini præterea, in recens exorto Principum Italiæ dissidio, difficultatem in itinere obmoturi viderentur, insidias sibi strui suspicatus, *a)* cum DCCC. Hungariæ Nobilibus, quos in comitatu habuit, & DC. Mediolanensium equitibus, Senis consitit, cum Hussitæ interea per regis absentiam, rursus Hungariam cædibus, & rapinis percurrarent, vastitatem ultra Strigonium circumlaturi, nisi, Nobilibus, ad Posonium confluentibus, veriti,

a) Litt. regis dat. in urbe Senarum an. 1433. ad Ladislaum de Kanisa. *Verumtamen nunc rebus aliter, & longe durius, ac asperius se habentibus in hac nostra Imperiali Senarum civitate constitutis, propter sacrum Basileense Concilium, domino nostro Apostolico odiosum, cui scilicet Concilio indissolubiliter adhæremus, eodem domino nostro Apostolico, & communitate Florentina, cum qua idem dominus Apostolicus — est colligatus, præfato Concilio, & nobis absque rationabili causa insidiantibus, in extremam necessitatem positi. &c.* ex autogr.

ti, ne reditu excluderentur, mature ſe periculo ſubduxiſſent. *a)* Senis in annum ſequentem moratus, *b)* mandata Ladislao de Kaniſa dederat, ut copias contra Venetos conſtitutas, proximo Aprili menſe, ad ſe adduceret. *c)* Quod ubi a Pontifice, Venetorum cauſa ſolicito, cognitum eſt, ſimultas utrinque orta, iter, & coronationem Romanam, aliquamdiu prorogavit, donec ſtudio Jacobi *Sirckii* Trevirenſis Canonici, Rex Pontifici conciliatus, *d)* oratores, Matthæum de Palocz, & Caſparum Schlickium in urbem miſiſſet, qui ſuo nomine, de ſervandis Romanæ, aliarumque Eccleſiarum immunitatibus, tum 1433.

a) Windeck, c. 187.

b) Litt. regis ſupra cit. *Dat. in prædicta noſtra civitate Senarum fer. 4. prox. ante feſt. converſionis B. Pauli Apoſt.* 1433.

c) Ibid. *Pro rebus noſtris Imperialibus regendis, ac pro recuperatione Dalmatiæ, & ſpecialiter pro defenſione hujus civitatis Senenſis, & ſuorum territoriorum, gentes noſtras venire, & per totum menſem Aprilis proxime affuturi, hic conſtitui faciemus, hac credulitate de vobis firmiter ducti, quod vos — nedum gentes petitas mittere velitis, ſed etiam, ſi opus ſit, perſonam, & omnia veſtra bona, — pro ſalute — noſtræ perſonæ, quibuslibet fortunæ caſibus vos ſubmittendo, exponatis &c.*

d) Hontheim hiſt. Trevir. Tom. II. pag. 379.

1433. tum iis, quas decessores Imperatores olim Pontificibus fecerant, donationibus firmandis, juramentum ederent. *a*)

Hos ipse non multo post consequutus, die XXI. Maji Romam ingressus, magnaque populi acclamatione acceptus, ipso die Pentecostes, in basilica Divi Petri ab Eugenio Imperator Romanorum coronatus est. Postridie, pro more decessorum, in publico foro creatis equitibus, & post feuda variis Italiæ Principibus collata, hortatu Pontificis, inducias in quinquennium cum Venetis pepigit, qui metu amittendæ Dalmatiæ, omnes sumtus, quos Imperator in urbe, & Italia, fecerat, ac in reditu deinceps facturus esset, libenter se numeraturos promiserant. *b*) Sigismundus, redintegrata utcunque cum Venetis amicitia, & salutato postremum Eugenio, Roma digressus, Basileam, quam Pontifex, ab Imperatore persuasus, pro sede Concilii ratam quoque habuit, mense Octobri reversus est. *c*)

Hic primum de *Myrzæ* Vajvodæ, quem non ita pridem Valachiæ præfecerat, perfidia, & clade Cruciferis a Turcis illata comperit.

a) Forma juramenti exstat apud Labbe collect. reg. Concilior. Tom. XXX. in append. pag. 819. & apud Pray Part. II. pag. 308.

b) Windeck, c. 188. & 193.

c) Idem ibid.

perit. Collocaverat hos in ea parte Serviæ, qua Belgradi ager in meridiem vergit, ut eam, ſe abſente, contra Turcarum incurſiones tuerentur. Amurathes, qui illos, velut repagulum, ſuis progreſsionibus oppoſitos intuebatur, moleſtos hoſpites bello aggredi ſtatuit, a rege Poloniæ, ut ferebatur, & Huſſitis ſubornatus, ſed cum virtutem militarem eorum vereretur, Myrza in ſocietatem armorum vocato, adortus, etſi rem fortiſsime gererent, internecione delevit. *a)* Myrzæ perfidiam imitatus Moldaviæ Vajvoda, Elias, in clientelam regis Poloniæ conceſsit, *b)* non tam quod ei jus in eam provinciam competere agnoſceret, quam ut ſibi contra æmulos Stephanum, & Alexandrum, qui ſe eodem tempore Vajvodas Moldaviæ ferebant, auxilio eſſet. *c)* Huſsitæ quoque, cum domi jam nihil eſſet, quod raperent, in montanas Hungariæ urbes effuſi, expilato Cremnicio, prius in Bohemiam reverſi ſunt, quam eis opulenta auri, argentique præda excuti poſ-

1433.

a) Idem c. 195.

b) Dogiel. Cod. dipl. Pol. Tom. I. pag. 601.

c) Idem ibid. Uterque enim, ut Elias, homagium regi Wladislao præſtiterant. Tres igitur Moldavia non tam Vajvodas, quam uſurpatores habuit, cum nullus eorum a Sigismundo, penes quem jus erat, illos ſtatuendi, vel deſtituendi, confirmatus fuerit.

posset. *a*) Tot cladibus, & damnis continenter acceptis, Sigismundus fere spem posuerat, Bohemiæ unquam ad obsequium reducendæ, cum præter exspectationem se-
1434. quente anno, dum Ulmæ agebat, nuncium ei allatum est, Nobiles Bohemiæ, unitis viribus arma sumsisse, insignique victoria, cæsis magnam partem Taboritis, & Orphanis, inter quos uterque Procopius, præcipua illorum fulcra, erant, potitos fuisse. *b*) Ex felici hoc pugnæ eventu, quem Patribus Concilii confestim significaverat, missis etiam litteris ex Bohemia acceptis, quæ testes victoriæ essent, animum resumens, Ulma relicta, secundo Danubio Ratisbonam, & hinc, postquam a Legatis Bohemiæ salutatus fuisset, in Hungariam post quatuor fere annorum absentiam, reversus, Posonii, ut Bohemiæ vicinior esset, substitit, ubi ab regni Optimatibus splendidissima munera, quæ dignitatem Imperatoriam decerent, grato animo accepit. *c*)

XVI. Posonii aliquamdiu ex itinere re-
1435. spirans, regni Ordinibus Comitia indixit, ut, si quam labem res publica per sui absentiam for-

a) Chron. Bartossii apud Dobner monument. Tom. I. pag. 179.

b) Aen. Sylv. l. cit. c. 50.

c) Windeck c. 204. & 205. item Pray Part. II. pag. 312.

forte accepiſſet, huic reparandæ, communi cum iis opera, medelam poneret. Multa enim interea, quod fere in crebris hoſtium incurſionibus evenire ſolet, irrepſiſſe comperit, quæ ob neglectam legum cuſtodiam, & contemtum, variis damnis, & injuriis occaſionem præbuerant. His itaque in communem deliberationem adductis, poſtquam Ordinum ſententias audiviſſet, quatuor & viginti ſanctionum capita vulgavit. Præcipua hæc erant: neminem deinceps in Judicum numero futurum, niſi regi, vel quem is ſui loco conſtituerit, jurejurando promittat, ſe in ferenda ſententia, nec favoris, nec odii rationem habiturum, forma item præſcripta, qua juramentum poſthac ederent; conſtituti etiam jurisdictionis limites, intra quos ſi lis decerni non poſſet, ſententiam Curia regia ferret: bona per vim ablata, poſſeſſoribus ſuis in ſolidum reſtituantur: modus captivandi limitatus, mulctæ pecuniariæ, & precium pro litteris, quæ in Tribunalibus obtinere ſolent, redimendis, defixum, ultra quod nefas eſſet egredi, exactiones tributorum, & vectigalium ita temperatæ, ut nec ærario regis damno, nec populo oneri eſſent. Eccleſiarum res, & bona nemini, injuſſu regio, liceat occupare. Si de bonis eorum, qui ſine mare hærede decedunt, utrum ad regem, an ad conſanguineos pertineant, controverſia fuerit, hæc curæ Nobilis, fortunæ mediocris, non 1435.

au-

autem ex Baronum numero, vel potentiori
1435. ex equeſtri ordine, ob interverſionis periculum, eousque credantur, donec, ad quem pertineant, de jure conſtet, alioquin ad fiſcum regium devolvantur, defunctorum tamen uxoribus de dote, & jure paraphernalium caveatur, filiæ autem, ſecundum leges ex quadrante hæredes ſint. Infideles regi, & regno, latrones quoque, ac fures publice proſcriptos, nemo auſit hoſpitio accipere, & retinere, iſtis tamen in caſtris finitimis regni liceat morari, dum veniam delictorum obtineant. *a*)

Soluto conventu, Budam profectus, cum muneris ſui, ex inſtituto regiæ dignitatis, eſſet, ut ſibi ſubjectos non minus contra externos, quam inteſtinos, hoſtes tueretur, & ab horum injuriis defenderet, id autem, niſi vires in promtu ſint, nec commode, nec tempori poſſet fieri, militiam, quæ hactenus nullis certis legibus, ſed generatim ſolum, definita fuerit, condito, ad eum modum, quo in Imperio *matriculam* inſtituerat, *regeſto militari*, *b*) ita

a) Exſtat in Cod. jur. patr. Tom. I. pag. 191 & dicitur ordine quintum, cum ex ratione dati, in feſto *B. Gregorii Papæ*, id eſt 12. Martii ſextum dici, & ſextum, dici quintum debuerit, alterique præponi.

b) Ab hoc tempore videntur *Banderia* certo militum munero definita eſſe, quod ex *Regeſto*, nam

ita coordinari voluit, ut, hoſte ingruente, cuivis conſtaret, quot quisque milites, 1435.
ratione ex colonorum numero & amplitudine fundorum, deſumta, ſub ſignis habere debeat. Secundum hanc igitur normam, Prælatis, & Baronibus regni mandatum, ut ex triginta tribus colonis, unum probe armis inſtructum equitem ſtatuant, qui his pauciores colonos haberent, ceteris ita adnumerari juſsi ſunt, ut ex centum, tres militiæ adſcribantur, ne autem fraus ſubrepat, Judex Nobilium cujusvis Comitatus colonos univerſe in numerato habeat, eorumque elenchum, ut juſtus delectus fieri poſsit, ad Comitem Parochianum deferet. Nobiles, qui poſſeſsionibus carent, viritim in bellum proficiſcentur: ſi bona inter fratres nondum eſſent diviſa, unus dumtaxat ex his nomen militiæ dabit. Ex his, & caſtrenſibus *jobagionibus*, a) exercitus conflatus, quocunque regni periculum vocabat, ſub vexillo regio proficiſci debuit, in ipſa autem profectione, rerum precia, ſecundum provinciæ, per quam eundum erat, ubertatem conſtituta, nihil gratuito, præter pabulationem, & ligna, præbitum, a quocunque incolis damnum fuiſſet illatum, id judicio Comitis provinciæ compen-

nam id alicubi exſtare audio, facile cognoſci poſſet. Conf. Notit. præv. §. 23.

a) Conf. Notit. præv. cit. §. 23.

pensandum erat: qui militiam subterfugeret,
1435. aut non adesset condicto tempore, vel clam se ex castris subduceret, non habita conditionis ratione bona amisit. *a*)

Interea, dum Sigismundus in coordinanda domi re militari, iisque, quæ vitium, se absente, in re publica acceperant, consanandis, operam impendit, Legati Bohemiæ, qui illum Ratisbonæ salutaverant, ad suos reversi, Magnates Catholicos, qui ceteroquin regiæ dignitatis semper studiosi erant, pronos ad conciliationem reperere. Nec Calixtini alieni fuere, modo sacerdotes utriusque partis, inter se primum concordes fierent. E re igitur omnibus visum, ut habito conventu, cui & illi interessent, de conditionibus, quas Sigismundo vellent proponere, communiter deliberaretur. Opportune ab hoc Legati advenere, quos postquam ipse cum Alberto genero, paulo post Brunam consequutus fuisset, oratores a conventu missos, obviam habuit. Ex quibus Meinhardus de Novadomo, Optimatum, & equestris ordinis, Joannes Rochyzana vero, sacerdotum, nomine, conciliationis capita ei offerebant, quibus si assensum præberet, regem ab omnibus agnitum iri, pollicebantur. Sigismundus, re diligenter perpensa, etsi quædam ex his duriuscula viderentur, non abnuit quidem, sed

a) Cod. jur. patr. Tom. I. pag. 89.

fed, cum lis de bonis Ecclesiasticis, quæ dissensionis tempore direpta erant, disceptatioque esset orta, rem ad Concilium, indeque accepto responso, rursus conventum haberi, &, quæ statuissent, ad se referri, jussit. Dilata in hunc modum potius, quam sublata difficultate, oratores, quibus Casparum Schlickium, ipsum quoque Bohemum, ob insignem animos versandi peritiam, adjunxerat, Pragam, & Imperator Posonium, ac hinc, religionis, qua in divum regem Ladislaum ferebatur, contestandæ causa, Varadinum, discessere. Hic commorantem Schlickius, re cum Bohemis feliciter transacta, mense Septembri convenerat, & legatos, eo, quem designaturus esset, loco Praga affuturos, nunciavit. *a*) 1435.

Lætus hac denunciatione, Albam regalem delegit, quo in principio sequentis anni præter Tvartkum Bosniæ regem, *b*) & præcipuos regni optimates, Legati quoque Bohemiæ, & Moraviæ, cum Joanne Polemario, a Patribus concilii misso, advenerant, qui de stabilienda cum rege concordia, quod Brunæ coeptum erat, transigerent. 1436.

Fa-

a) Windeck c. 208.

b) Ejus litt. dat. Albæ d. 25. Jan. an. 1436. apud Katona Tom. XII. pag. 735. ex quibus patet, Bosniam Sigismundo subjectam fuisse.

S.

1436. Facilem se illis præbuit, & præter quatuor *Pragenses articulos*, per Legatos Concilii jam ante confirmatos, qui rationes *communionis sub utraque specie* complectuntur, promiserat quoque se facturum, ne exteris beneficia in Bohemia, & Moravia deinceps conferret, nemo item ad dicendam causam extra regnum ire cogatur; jura Archiepiscoporum Pragensium illibata manerent, quos, uti ejus quoque suffraganeos, eligendi arbitrium, penes regni Ordines, Clerum Pragensem, ceterasque urbes Episcopales esset, se præterea conaturum, ut quisque in sua dignitate sine impensis, judicio Romano confirmetur. Hæc VIII. Idus Januarii in tabulas relata, quæ biduo post novis rursum editis litteris, si Concilium rata habuerit, se servaturum, utque alii observent, curaturum, pollicitus est. *a*)

Hac voluntatis significatione, &, qua usus est familiari in omnes benevolentia, tum distributis inter Bohemos LX. aureorum milbus, ita sibi omnium animos devinxit, ut acceleratis Pragam itineribus, re cum suis communicata, Iglaviam conventum indicerent, in quo pactiones solemni ritu utrinque firmarentur. Nec Sigismundus constitutis domi rebus, diu moratus, Posonium mense Majo, in-

a) Leibnitz mantiss. Cod. jur. gentium Par. II. item Ludevig reliqu. Mss. Tom. IV. pag. 306. & Pray Part. II. pag. 317. & 319.

inde Viennam ad Albertum, & cum hoc VII. Idus Junii Iglaviam, quo frequentes Bohemi jam confluxerant, advenit. Nec diu Legati a Concilio misſi cum Conſtantienſi Epiſcopo abfuere. Atque hic rurſum auditis Bohemorum poſtulatis, concordiaque ſtipulationibus firmata, Imperator miro omnium plauſu Pragam deductus, & in ejus verba, denuo juratum fuit. *a*) 1436.

Ne quid autem ad communem ex conciliatione ortam lætitiam deeſſet, Barbara quoque Imperatoris conjux ſequente anno ineunte, coronata eſt, maleficium pro beneficio paulum poſt marito redditura. Sigismundo, Bohemia poſtliminio recepta, ea imprimis cura fuit, ut inſtauratis judiciis, ærario regio coordinato, religioni quoque Catholicæ priſtinum ſplendorem, & cultum redderet. Itaque Sacerdotes ſuis Eccleſiis, & monachos ab exilio revocatos clauſtris reſtituit, omnibusque, quod Sacerdotiorum bona, tot annorum feditione, diſsipata eſſent, ut munere ſuo fungi liberius poſſent, ſumtus interea de ſuo præberi juſsit, donec Huſsitæ ipſo tempore mitigati, quæ rapta erant, ſponte, vel jure conventi reddant. Convocato dein ad ſe Clero, & Academiæ magi- 1437.

S 2 ſtris,

a) Windeck c. 205. — 208. Æn. Sylv. l. cit. c. 52. Chron. Bartoſsii apud Dobner monum. Tom. I. Hagecius annal. Boh. ad an. 1436.

ſtris, Latino ſermone ad concordiam illos adhortatus eſt, per illos ſtare, ut compoſitis, & ſuppreſsis religionum diſsidiis, regno firma quies reddatur, tum Mainhardo de nova domo, regni Gubernatore conſtituto, Egram, quo Imperialibus comitia indixerat, profectus, non multo poſt, quod Electores Eccleſiaſtici omnes abeſſent, rebus fere infectis Pragam rediit. *a*) Hic lætiſsimum ex Hungaria nuncium accepit, Hungaros, conſerto cum Turcis prælio, cæſis fere quadraginta illorum millibus, & quatuor præcipuis Ducibus, qui poſtea Pragam adducti ſunt, interceptis, inſignem victoriam retuliſſe. *b*) Hic primum Joannis *Hunyadi*, qui Belgrado viriliter defenſo, Amurathem hac clade affecerat, virtus bellica inclaruit. *c*)

1437. Inter hæc Rochyzana, ſpe obtinendi Archiepiſcopatus Pragenſis dejectus, novis molitionibus priora religionis diſsidia, vix ſopita, reſuſcitare coepit. Sigismundus, qui vafri, & turbulenti hominis ingenium, malo ſuo expertus erat, periculum quidem, eo Praga exacto, mature prævenit, ſed mox alio graviore, eoque domeſtico, nulla ſua culpa, involutus eſt. Barbara, non minus ambitioſa, quam

a) Windeck c. 213. & 215.

b) Chron. Bartoſsii l. cit. pag. 198.

c) Hiſt. Turc. la Croix apud Schulcz Par. I. pag. 199.

quam amoribus *a*) dedita femina, cum videret maritum ob crebros morbos non diu 1437.
ſuperſtitem futurum, generum cum filia a ſucceſsione utriusque regni excludere cogitabat. Rem ut clanculum, ita ſubdole etiam aggreſſa, Calixtinos, quos ſciebat, marito præcipue infenſos eſſe, variis ſuſpicionibus contra Albertum impleverat: hunc linguæ Bohemicæ ignarum eſſe, nimio etiam religionis Catholicæ ſtudio duci, qui, ſi ſemel rerum potitus fuerit, pacta conventa vix quidem ſit ſervaturus, præterea non eos latere, quam infenſi ſemper Germani Bohemis fuerint, recentiorem horum eſſe memoriam, quam ut admoneri debeant, vicinum eſſe Principem Wladislaum, ætate florentem, qui & linguæ Bohemorum peritus, & genti imperet, quæ origine eisdem conjuncta ſit, cui ſi ipſa in manus conveniret, futurum, ut tria regna conjuncta, Imperio Germanico & amplitudine, & viribus præſtent. *b*) Hæc mulier jam propemodum vetula. *c*)

 Non

a) Hanc quidem Joan. Boemius Diſſer. Lipſ. 1759. edit. defendere nititur, coævi tamen, ut Æneas Sylvius, aliique contra ſentiunt.

b) Æn. Sylv. hiſt. Boh. c. 53.

c) Agebat tunc Wladislaus, cujus nuptias ambiebat, an. ætatis 14. Vid. Jodoc. Decium de Jagellorum familia, apud Piſtorium Tom. II. ſcript Polon. pag. 288.

1437. Non latebant Sigismundum nefaria conjugis consilia, ad quæ intervertenda, etsi vitæ finem non longe abesse, in dies magis persentisceret, Znoimam tamen, quasi filiam postremum visurus, re ipsa autem, ut ei utrumque regnum contra iniquos matris conatus stabiliret, profectionem edixit, quo ut venit, accersito celeriter cum filia Alberto, utrumque adstantibus Hungariæ, & Bohemiæ Proceribus, successores renunciavit, graviter commonitos, ut, si se felices, & regnorum quietem cuperent, in fide utriusque constantes maneant, nec sinant se consiliis suæ conjugis in transversum agi, hanc se jussisse captivam teneri, neque prius illam ut dimitterent, orabat, quam filiæ, ejusque conjugi regnorum possessio stabiliretur. Nemo erat adstantium, qui non fidem dedisset, se omnia secundum ejus mandata facturum. Ad Pragenses autem, quorum auctoritas ad ceteras urbes valebat, auctore Schlickio, qui consiliorum ejus arbiter erat, legationem decrevit; qui hanc obibant, ut ad conventum propterea coactum venere; quæ postrema Imperatoris de filia, & genero Alberto voluntas esset, declararunt: Alberto, cum ob virtutes ejus, tum ob vetera pacta, quæ olim inter Bohemiæ reges, & Austriæ Duces, si alterutri sine legitimo mare hærede obirent, de mutua successione intercesserant,

rant,

rant, *a)* alioquin jus aquifitum patrocinari, nec poffe Elifabetham fine injuria hæreditate 1437.
privari, quæ cum eidem jam dudum matrimonio juncta fit, utroque jure Bohemiam cum Moravia, ceterisque ad illam ditionibus fpectantibus, ad eos pertinere, oftendebant. Catholici nihil adverfum obmovere, verum acriter principio Calixtini obftabant, poftea tamen, quam intellexiffent, reginam, juffu Sigismundi, captivam teneri, paululum de contentione remittentes, non aliter in Albertum fe confenfuros affirmabant, quam conditiones, quas ei effent propofituri, prius ratas haberet. *b)*

De his dum illi in conventu deliberant, Sigismundus deficientibus fenfim viribus, die IX. Decembris *c)* vitæ finem fecit, *d)* anno regnorum, Romani vicefimo octavo, Hungariæ quinquagefimo primo, & Bohemiæ decimo feptimo. Corpus amictu Imperatorio indutum, triduo id fpectare volentibus expofitum,

a) Vide, quæ ad an. 1364. N. X. de his pactis memorata funt.

b) Windeck, c. 213. & 219. Æn. Sylv. l. cit. c. 53.

c) Hunc diem Jac. Reichwein apud Linck Tom. II. pag. 128. Æn. Sylv. l. cit. & Windeck cit. c. 218. perhibent.

d) Poftremus addit c. 217. ex porrecto veneno obiiffe.

situm, tum currui cum vidua Barbara, quo
1437. spectaculo pluribus lacrimae obortae sunt, impositum, & Posonium devectum est. Hic Proceres Hungariae, XVII. ejusdem mensis magno numero confluentes, ultimam Sigismundi declarationem, quam dudum publicis litteris, subscriptione nominum, & sigillorum appensione firmatis, de Alberto successore cooptando, ratam habuere, *a*) denuo confirmarunt, id unum obtestati, ut, si Imperii dignitas ei offerretur, jure jurando promitteret, hanc inconsultis Hungaris se non accepturum, *b*) quod spe firma tenerentur, quidquid sub decessore, Veneti, & Turcae ex ditionibus Hungariae decerpserant, solis Hungariae, Bohemiae, & Austriacarum provinciarum viribus, recuperari posse, quo praestito, funus Varadinum, ut testamento constituerat, devectum, & in principe Ecclesia, quam vivens magnis opibus auxerat, *c*) non longe ab eo, quo Maria, prima conjux,

a) Conf. quae ad an. 1402. & 1421. dicta sunt.
b) Aen. Sylvius hist. Europ. c. 1.
c) Id quidem ex variis Sigismundi litteris certum est, & meminit etiam Olahus in sua Hung. c. 16. & ex hoc verisimiliter Cuspinianus in Caesaribus, sub Sigismundo. *Ita autem*, inquit, *auxit opibus hoc templum, ut continuatis diebus, ac noctibus semper laudes Deo immortali personent Clerici, & Sacerdotes.*

ſux, ſepulta fuit, tumulo conditum eſt. a) Juſtis funebribus perſolutis, Bohemorum quoque pars melior, Hungarorum exemplo, Albertum XXVII. ejusdem menſis, regem Bohemiæ renunciarunt. b) Hunc in modum Domus Auſtriaca, a Sigismundi obitu, potentiſsima duo regna adepta eſt. 1437.

Erat Sigismundus liberali forma, procero corpore, barba more illius temporis a mento prolixa, inceſſu gravis, aſpectu majeſtatis pleno, ut regendis populis natus videretur, eloquio comis & facetus, quo animos in quam vellet partem, facile trahebat; iræ, cum juvenis erat, præcipitis, ſed cito placabilis, dum autem ſenuit, inimicis etiam beneficus. Rogatus aliquando, cur homini, a quo ſæpe, & graviter offenſus erat, ignoſceret? ut uno hoſte, reſpondit, pauciores habeam. c) Linguarum plurium peritus, ut communi cum iis, quibus præerat, ſermone poſſet agere, ita Hungaricam, Germanicam, & Bohemicam ex æquo callebat, Latinam ſcite loquebatur, Gallice, & Italice, quantum tractandis cum utraque gente negotiis, ſatis eſſet, ut adeo inter Principes ſui temporis eruditus haberetur. Quare doctos viros, etſi inferiore loco, & tenui fortuna natos, ceteris

a) Thurocz Chron. Part. IV. c. 24.

b) Reichwein l. cit.

c) Auctor vitæ Ms. Cod. Vaticani alias jam cit.

teris præferre solebat. *a*) In delectu eorum,
1437. quos in consiliorum partem adscifcebat, non tam vetustatem generis, & splendorem, quam capacitatem mentis, idustriam, & fidelitatem præ oculis habuit, *b*) assentatorum, quos regum pestem appellabat, osor. Religioni apprime deditum fuisse, exstinctum diuturnum Ecclesiæ schisma documento est. In tractatione pacis felicior, quam bellis, in quibus gerendis etsi intrepido animo esset, Ducum tamen errore, inferior sæpe excessit. Has dotes, Principe dignas, non pauci nævi obscurabant, in quibus exaggerandis etiam coævi, studio partium ducti, modum videntur

---

a) Æn. Sylvius de dictis, & factis Alphonsi regis l. 4. n. 19. refert, *Fiscello* Doctori, quem in cœtum Nobilium cooptaverat, cum is dubitaret, utrum cum Doctoribus, an Nobilibus in Constantiensi Concilio consideret, & se re ipsa Nobilibus adjunxisset, Sigismundum respondisse: *Stulte agis, qui litteris militiam præfers; nam ego milites mille una die fecerim, Doctorem mille annis non fecerim.*

b) Tales teste Thuroczio Chron. Par. 4. c. 19. fuerunt, Casparus Schlick, Orszagii, Palocii, & Rozgonii, quos humili loco natos, ad dignitates evexit. De his auctor vitæ Ms. cit. in hæc verba: *Charissimi ei fuere Schlick, Orszagius Michael, Matico Banus, atque horum consilio ducebatur, sed magis primo.*

tur excedere. *a)* Præter vagos mulierum amores, *b)* qui imperantium exemplo facile in vulgus quoque manant, illud ei vitio datum, quod in plerisque ſuis actis, lentus eſſet, quo fiebat, ut occaſio rei feliciter gerendæ ei plerumque elaberetur. Multa ſæpe, & eodem tempore, animo complexus eſt, quæ cum inter ſe diverſa jungi non poſſent, neque vires ſemper ad ea perficienda ſuppeterent, plerumque infecta manſere. Hoc modo Dalmatiam pene omnem amiſerat. Pecuniæ, quam ex mulcta Principibus impoſita, *c)* non raro grandem collegerat, vel 1437.

a) Inter hos præcipuus eſt, Joan. Monſterolius, Præpoſitus Inſulanus, apud Durand, & Martene Collect. ſcript. & monument. Tom. II. epiſt. 71. pag. 1444.

b) Æn. Sylv. in rebus Friderici III. Imp. inter Kulpiſii ſcript. vol. rer. Germ, pag. 1450. qui Sigismundum norat, & in ejus aula crebro fuit, ita de illo: *Sæpe in adulterio Sigismundus comprehendit,* (Barbaram) *ſed adulter ignovit adulteræ: nam & ſibi nihil levius, quam violare matrimonia, fuit.*

c) Autor vitæ Ms. Cod. Vatic. cit. *Sigismundus Ludovicum Bavariæ Ducem in magna pecunia mulctavit. Similiter Henricum Bavariæ, qui apud Conſtantiam vulneravit Ludovicum, Fridericum quoque Auſtriæ Ducem ſolvere*

vel quæ ex ſuis ditionibus peregre agenti,
1437. allata fuit, in ſuos uſus retinendæ, adeo parum cupidus, ut ſibi nihil relictum vellet, idque ſibi commune cum magnis viris eſſe diceret, *a*) quin ſæpe tam intempeſtive liberalis, ut hanc profunderet magis, quam expenderet. *b*) Ex qua prodigalitate factum, ut Marchiam Brandenburgicam, avitam hæreditatis ſuæ partem, vendere, & ampliſsima la-

---

re pecunias coegit. Ob quam rem, cum is ex Italia reverteretur, veſtibus ſuorum Nobilium hunc verſum Fridericus inſcribi mandavit: Ludovice, Henrice, Friderice! ad pulpitum, quia magiſter venit.

a) Id. ibid. *Hic cum Romæ apud Eugenium eſſet, tria ſunt, inquit, beatiſsime pater, in quibus diſcordamus, & rurſus, in quibus concordamus, tria: tu mane dormis, ego ante diem ſurgo, tu aquam bibis, ego vinum, tu mulieres fugis, ego ſequor, ſed concordamus in his, tu large diſtribuis theſauros Eccleſiæ, ego nihil mihi reſervo, tu malas manus habes, ego malos pedes &c.*

b) Narrat Aen. Sylv. cit. l. n. 2. allata fuiſſe Sigismundo 40000. aureorum, cumque noctem inſomnem propterea cogeretur agere, vocatis ad ſe palatinalibus ea diſtribuit, dicens: *ite, ſecure, tranquilleque nobis dormire liceat, nam quod mihi ſomnum ademerat, vobiscum exit.*

latifundia, in Hungaria, & Bohemia oppignorare cogeretur, nisi forte id aliquem ex- 1437.
cusationi locum det, quod immensam auri summam in palatium Budense erogarit, quod omnium sui temporis Europae regum aulas, elegantia, arte, magnificentia, & amplitudine, superasse memoriae est proditum. a)

---

a) Windeck c. 70. & epist. 353. inter Aen. Sylv. epist. apud Pray Par. II. pag. 267.

ALBERTUS.

Ab anno 1437. — 1439.

I. A condito Sigismundi funere, non diu
1437. Varadini moratus, cum conjuge Elisabetha, ad quam regnum jure principali pertinebat, *a*) Budam, & hinc Albam, ut prisco more coronaretur, contendit. Verum solemnitati, disceptatio inter Strigoniensem Archiepiscopum, & Veszprimiensem antistitem, exorta, moram injecerat. Litis occasio a dubitatione, ad utrum jus reginam coronandi spectaret, petebatur. Opportune Legati ex Bohemia intervenere, qui Albertum Pragam invitabant, *b*) quorum adventu litigantes, ne, morosa disceptatione, graviora regni negotia impedirentur, pactum hac conditione inierunt; Veszprimiensis nunc quidem reginam coronaret, post tamen, si Strigoniensis pro Jure suo documenta produxerit, Veszprimiensis

a) Regni OO. in epilogo Decr. Alberti, qui in Corp. jur. deest, ita: *promittimus, & bona fide efficacissime spondemus, præfato D. nostro Alberto regi, & D. reginæ, suæ conthorali, quam principaliter hoc regnum jure geniture concernere dignoscitur, fidelitatem illibatam &c.* Conf. Notit. præv. §. 3.

b) Windeck, c. 219.

ſis ſuo in perpetuum decedat. a) Litei compoſita, Albertus cum conjuge, ipſis Calendis 1438. Januarii, b) corona incinctus eſt. Uſus hac occaſione, egit cum regni Ordinibus, ut, ſi ſe prius, quam conjugem, mori contingeret, prolibus ſuis jus ſucceſsionis in regno ſtabiliretur. Nemo erat, qui, collatis inter ſe conſiliis, refragatus fuerit, quin, ut aſſenſus ſui teſtes ad poſterorum memoriam exſtarent, litteras etiam ſigillis ſuis firmatas edidere. c) Conſtitutis deinde rebus, & ſocru, ut facilius ob-

a) Pactionis Tabulas vid. apud Pray Hierarch. Hung. Par. I. pag. 286.

b) Windeck l. cit. memorat. feſt. epiphan. alii contra, circumciſion.

c) Litt. reginæ Eliſabethæ ad Fridericum III. Imp. an. 1441. Tom. II. analector. biblioth. Vindobon. pag. 915. *Nachmalen als unſer lieber Herr und gemahl, Kunig Alberecht — und ich zu dem reich Hungern erwelt, und gekrönt ware, da gab mir derſelb mein Herr, und gehmahl ſolich brief, und urchund, mit wiſſen und willen, auch nach rate der Prelaten, und Landherrn zu Hungern, und mit iren inſigln, ob das wurde, das er abging mit Tod ee dann ich, das die Hungriſchen Herren geiſtlich und weltlich, mich, und mein erben, als rechte erbliche herſchaft, zu Herrn und erben des Kunigreichs zu Hungern aufnemen und halten ſolten.*

observari possit, decreta annua pensione XII.
1438. millium *a*) aureorum, Posonium relegata aliquamdiu in Hungaria moratus, se XVIII. Martii Romanorum regem ab Electoribus renunciatum intellexit. *b*) Ut inexspectatum ei hoc nuncium erat, ita memor, qua religione, si hæc dignitas ei offerretur, se Hungaris obstrinxisset, diu anceps hærebat. Hæsitantem Bartholomæus de Vicecomitibus, Novariensis Episcopus, datis Vienna XXVII. Aprilis ad eum litteris, hortabatur, ne se Legatis Imperii, cum venerint, difficilem præbeat, *c*) idem Fridericus patruelis, qui ei dein in Imperio successerat, aliique Duces Austriæ hortabantur, sed cum parum his videretur moveri, tandem ipsi Basileensis Concilii Patres Hungaros permoverunt, ut regem juramenti religione, qua se illis adstrinxerat, solutum pronunciarent. *d)* Itaque nihil jam in mora erat, quin Electorum votis subscriberet, Viennamque profectus, Comitia in diem XIII. Julii Norimbergam indixit, *e)* qui-

a) Dlugos. l. 12. pag. 700.

b) Reichwein l. cit. pag. 133. & Windeck c. 220. & 222.

c) Pez thes. anecdot. noviss. Tom. III. Par. III. Nr. 109. pag. 235.

d) Windeck. c. cit. Aen. Sylv. l. cit. c. 55.

e) Pez l. cit. Tom. VI. Par. III. pag 236.

quibus ipſe tamen, ob concitatos in Bohemia motus, intereſſe non poterat. a) 1438.

II. Quamvis enim jam anno priore a Proceribus Catholicis electus, & hoc quoque anno die VI. Maji ab iisdem confirmatus, ipſeque abhinc etiam titulo electi Bohemiæ regis uſus fuerit, Calixtini tamen, inter quos Georgius *Podiebradius* primas tenebat, ſeceſsione facta, Caſimirum, Wladislai Poloniæ regis fratrem, pene puerum, Alberto oppoſuere. Utraque pars ut contrariis ſtudiis agebatur, ita diverſa etiam ex cauſa, Legatos in Poloniam miſerat. Calixtini fratrem Wladislai regem ſibi dari poſtulabant; Catholici, depromtis Alberti in Bohemiam juribus, ne illis morem gereret, petebant. Sed, ut ſpes regni obtinendi magnum illicium eſt, Wladislaus, auditis Calixtinis, Catholicos parum li-

a) Scriptores Germani, qui Trithemii Chron. Hirſaug. ſequuntur, non recte memorant, Albertum die 30. Maji hoc an. Aquisgrani coronatum fuiſſe. Windeck enim affirmat, duorum annor. inducias illi datas eſſe, intra quos ad Imperium veniret: *do gaben In die Furſten friſt zwey Jahre heraus in das Lant zukomen.* c. 222. Et magnum Chron. Belg. apud Piſtor. nov. edit. Tom. III. pag. 409. hæc diſerte: *ſolum per annum regnavit, non tamen coronatus, ſed tantum per Eugenium IV. confirmatus.*

liberaliter habitos, re infecta, ab se dimisit.
1438. Inde bello data occasio. Albertus, qui tum Viennæ agebat, eadem de causa Legatum ad Wladislaum misit, &, non expectato responso, jus suum armis persequi statuit. Scripsit propterea in Hungariam pro supplementis, ipse autem, collectis celeriter ex Austria, & Stiria copiis, Iglaviam profectus, collato cum Maynhardo de Novadomo, Rosenbergio, ceterisque Proceribus, consilio, Cuttenbergam occupat, & hoste, qui se in urbem *Tabor* receperat, per suos observari jusso, Pragam recta contendit, ubi magna civium lætitia XXIX. Junii, regium diade ma cum conjuge suscepit. *a)*

Interea Calixtini, ne suppetiæ ex Hungaria Bohemiam ingredi possent, aditus omnes occuparunt, & Casimirus cum XX. millibus, per Silesiam Calixtinis auxilio venerat, cui Albertus, obtentis ex Bavaria, Saxonia, & Misnia subsidiis, exercitum XXIV. millium, Alberto Bavarorum Duce, opposuit, qui secunda fortuna usus, Polonos pedetentim ex Bohemia expulit, Calixtini autem, ubi se ab illis desertos, & partem suorum ad regias co-

a) Windeck, c. 221. Reichwein l. cit. pag. 129. Aen. Sylvius cit. l. c. 55. Dlugoss. l. 12. Balbinus epit. rer. Bohem. l. 5. c. 2. Pessina Mars Morav. l. 5. c. 6. Gerardus de Roo annal. Austr. l. 5. Cochlæus Hist. Hussit. l. 9. pag. 314.

copias fenfim deficere viderunt, non aufi rem prælio experiri, intra munitas urbes fe continebant. Rex hofte repreffo, cupiens litem amica potius tractatione, quam armis, cum Polono componere, Wratislaviam concefsit, indeque conjugem in Hungariam, ex qua non optima nuncia afferebantur, remifit. Turcæ enim per regis abfentiam tempore ufi, ex Valachia in Tranfsilvaniam irrumpentes fpreta induciarum fide, vaftitatem late circumferebant, jamque actis fpoliis reditum parabant, cum Lofonczius, provinciæ Vajvoda, in receptu illos aggreffus, excuffa omni præda, infigni clade affecit. Victoria potitus, in eos, qui ex legum fcito ad propulfandum hoftem non comparuiffent, inter quos Ladislaus & Stephanus quoque Bathorii erant, prifcæ feveritatis exemplum edens, bona illorum Fifco addixit, quos tamen regina, cum pateret, illos tempore exclufos fuiffe, irritata Vajvodæ fententia, in priftinam poffefsionem reponi jufsit. *a)* 1438.

Albertus, pacis negotium cum Polonis, quod prius ambiguo iftorum agendi modo interruptum erat, refumendi cupidus, ex Lufatia, quo, ut eam in fidem reciperet, profectus erat, Wratislaviam redux, præter

T 2 ex-

a) Chron. Mellicen. apud Pez, Tom. I. col. 257. Dlugoff. l. 12. Siglerus Tom. I. fcript. rer. Hung. pag. 880. Litt. reginæ dat. in Harsány, apud Pray Part. II. pag. 329.

exſpectationem Legatos anno primum ſe-
1438. quente affuturos intellexit. Moleſtum id ei erat, qui, compoſita cum Polonis lite, curas, & vires omnes in Turcas, qui ditiones juribus Hungariæ obnoxias, in dies magis magisque carpebant, convertere cupiebat. Acceſsit mox alia non minor moleſtia, quod Ulricus Cilejenſis, quem Bohemiæ vicaria poteſtate præfecerat, inito cum Calixtinis conſilio, regnum ſibi uſurpare cogitaret. Re tamen certis indiciis mature comperta, homini ingrato primum curam regiorum proventuum, ne his ad tyrannidem arripiendam uteretur, ademit, poſtea penitus exauctorato Roſenbergium, & Maynhardum de Novadomo, quorum fides ei cognita erat, ſubrogavit. Ulrico in ordinem redacto, coeptam cum Wladislao pacis tractationem, quam Pontifex, ſcriptis ad utrumque regem litteris accelerari cupiebat, ipſe etiam ad finem volens adducere, præter aliquot Imperii Principes, Optimates quoque ex Hungaria, ut adeſſent, Wratislaviam accerſivit. *a)*

III. Aderant ſub ipſum anni ſequentis
1439. principium, ſed vix tractationi factum initium eſt, cum ſpes felicis exitus fere evanuit. Gnesnenſis enim Archiepiſcopus, qui principem inter Legatos locum tenuit, id præcipue agebat, ut prius, quam ad rem ipſam veni-

a) Aen. Sylv. l. cit. c. 55.

veniretur, tam Albertus, quam Casimirus, juri in Bohemiam renuncient, locumque dent novæ electioni, & is, in quem Nationis vota conspirarent, regno potiretur. Albertus, qui jus suum soceri voluntate, Nationis electione, & veteribus pactis firmatum sciret, conditionem respuit, aliamque conciliationis viam proponens, filias suas, Annam, & Elisabetham, Wladislao, & Casimiro, se velle matrimonio jungere, eique, quæ Casimiro nuberet, Bohemiam cum adnexis ei provinciis, dotalitio nomine, daturum pollicitus est. Non abhorrebant Poloni, spe ducti, Silesiam hac ratione rursus Poloniæ conjungi posse, sed cum mandata de conciliandis matrimoniis nulla a rege haberent, nihil ausi decernere, inducias solum pacti sunt ad diem XXIV. Junii, intra quod tempus captivi utrinque liberi dimitterentur, & reges ipsi in finibus Hungariæ, & Poloniæ, ad paciscendum convenirent. *a)* 1439.

Firmatis induciis, rex Posonium profectus, instaurato inter Saxonicam, & Hassiacam familiam vetere hæreditatis pacto, & Anna filia, si maturuerit, Wilhelmo Saxoniæ Duci despons, Viennam, a qua diu abfuerat, re-

a) Aen. Sylvius l. cit. c. 55. Litt. Joan. episc. Segniens. Pontificis Nuncii, dat. in Namyslov. die 10. Febr. 1439 apud Sommersberg, Tom. II. mantiss. diplom. pag. 82.

revisit. Barbara, non ignara eorum, quae
1439. Wratislaviae transacta erant, Posonio elapsa, in Poloniam effugiens, jus arcium, quas ei gener ademerat, Wladislao consignavit, nuptias forte illius, ut erat mulier viri appetens, hac ratione sperans, vel certe, ut novam utrinque liti occasionem daret. Fuga inquietis mulieris regem Posonium revocavit, unde datis ad finitimarum arcium Praefectos litteris, eos admonuit, ut, si quod ab illa immineret periculum, diligenter excubent, gravem poenam comminatus, si quid negligentia peccaretur, simul, quoniam ipse, ut constitutum erat, ad XXIV. Junii diem conventui adesse non poterat, Legatos suo nomine misit, quibus quinto Nonas Maji exaratis litteris, plenam potestatem fecit, sive perpetuam pacem conficiendi, sive prorogandi inducias, &, si difficultas interveniret, id saltem agerent, ut conventus in aliud tempus differatur. Instabat enim praesens a Turcis periculum, qui vastata pene tota Servia, Belgrado obsidionem minabantur. Georgius Despota, discrimini proximus, missis crebro in Hungariam nunciis, opem implorabat. Joannes Hunyadi, qui incredibili desiderio, manus cum Turcis conferendi, tenebatur, foederato socio, ne, si is succubuerit, hostes in regni viscera sensim penetrent, mature succurrendum, alii contra, nihil, injussu regio, tentandum censebant. Despota igitur, cum

sibi

ſibi nec ſpem ſubſidii datam videret, relicto ad defenſionem Szenderoviæ, Stephano filio, ipſe cum uxore, & altero filio Lazaro, in Hungariam venit. Albertus de adventu illius, & periculi magnitudine admonitus, Budam menſe Majo properavit, ut cum regni Ordinibus ad propulſandum hoſtem conſilia conferret, neceſſariique ad id apparatus fierent. *a)* 1439.

Hic ab Optimatibus, & præcipua Nobilium ex regno paſsim concurrentium parte, ſalutatus rogatusque eſt, ut decreta, conſtitutiones, & conſuetudines regni, ad præſentis temporis rationes moderari vellet, quorum petitioni ut gratificaretur, habito conventu, decretum, novem & triginta ſanctionum capita complexum, promulgari juſſit.

a) Repertor. Mſ. Ant. Steyrer ex Tabul. Cæſar. Lunig Cod. Dipl. German. Tom. XXIII. pag. 1189. Du Mont corps diplom. Tom. III. Par. II. Nro. 51. Litt. regis dat. Poſonii die 3. Maji, an. 1439. item aliæ ejusd. litt. dat. Strigonii poſt feſtum S. Pauli Sabbatho, an. eod. apud Sommersberg l. cit. pag. 83. Errant, qui cenſent, Belgradum eo tempore in poteſtate Georgii fuiſſe, id enim Sigismundus cum reliquis caſtris ſibi ſervavit. Conf. quæ ad an. 1426. memorata ſunt.

ſit. *a)* Non eſt hujus loci omnia ſingilatim
1439. perſequi, præcipua ſolum delibabo. Ante omnia flagitatum eſt, ut Rex ſedem in regno figeret; lex primum, ut reor, haotenus lata: huic occaſionem diuturna Sigismundi abſentia dedit, per quam provinciæ regno adnexæ, non leve detrimentum accepere. Actum quoque de regis filiabus, ſi matrimonium inirent. Cum enim regni Ordines ante Comitia, editis XXIV. Maji litteris, juramento firmatis, quod jam alias, ſi regem ante reginam mori contingeret, polliciti erant, nunc rurſus confirmarint, & jus præterea ſucceſsionis ad utrumque etiam ſexum extenderint, *a)*

a) Præfatio Ordinum, quæ in Corp. juris deeſt, ita habet: *Tandem nobis, veluti ſuæ ſerenitatis adventum, & regreſſum, magno cum deſiderio præſtolantibus, ad ſuam Majeſtatem undique ex omnibus ejusdem regni ſui partibus iſtuo confluentibus, & convenientibus, inter alia, quæ cum ſua Celſitudine diſponere habebamus, conſiderata temporis nunc currentis qualitate, Decreta, & conſtitutiones priorum regum Hung. ſuarum prædeceſſorum, ac hujus regni conſuetudinem in certis punctis, modo infra ſcripto moderari, atque articulos infra, in tenore litterarum ipſius domini regis limpide contentos, a ſua nobis concedi uanimiter poſtulavimus Majeſtate.*

a) orabant, ut Rex cum Hungariæ, aliorumque regnorum Prælatis, Baronibus, & Nobilibus, ante in medium consuleret, quam de earum nuptiis quidquam decernat. Palatinus deinceps Ordinum consensu eligatur, b) alias autem regni dignitates, integrum sit regi, cui vellet, non consultis aliis, conferre, modo ne extranei sint: Cautum etiam, ne Ecclesiastici duas obtineant. In hostem regno ingruentem, primum stipendiarii regii educantur, sin isti resistendo impares sint, Nobiles ad arma concurrant, inviti tamen ultra regni limites in hosticum proficisci ne co- 1439.

a) Litt. Elisabethæ regin. an. c. 1441. ad Frideri. III. Imp. alias jam cit. *Darnach aber zu Pfingsten yetz zway Jar vergangen, habent dieselbe Herren geistlich, und weltlich zu Hungern dieselb verschreibung zum andernmal vernewt mit iren aiden, briefen, und sigeln, also begrifen, das sie mich und mein erben, Sun und Töchter, was ich der gewinne, zu rechten erbherren, und erben des Kunigreichs zu Hungern haben, und halten sullen.*

b) Prius enim reges ipsi Palatinos eligebant, ut est in Decret. Andreæ II. an. 1231. quod in Corp. jur. itidem deest: *Si Palatinus interim male amministraverit negotia regis & regni, supplicabunt nobis, ut utiliorem loco ejus constituamus, quem volemus & nos eorum precibus annuemus.*

cogantur. *a*) Manubiæ, & captivi militi-
1439. bus cedant, nisi majoris dignitatis, & ordinis fuerint, quos Rex aliis donis, si sibi servatos velit, redimet; ceteros quisque sibi retinere, aut in servitutem redactos, Ecclesiis donare, vel denique, si visum fuerit, vendere posit. *b*) Reliquis recensendis, partim quod a priorum regum decretis parum discrepent, partim res fere judiciarias contineant, supersedeo. Seorsim etiam actum, ut Barbaræ reginæ, quod ad hostem secessisset, nec desineret consilia contra regem, & regnum cudere, bona adimantur, & reginæ conferrentur. *c*)

IV. Sub ipsis Comitiis jam rumor, sed dubius, percrebuit, ingentes apparatus ab Amurathe fieri, incertum tamen esse, in quam partem bellum statuisset convertere, his autem solutis nuncii a Savo aderant, qui Szen- de-

a) Mutata igitur est lex ejusdem Decret. *Si vero exercitus super regnum venerit, universi & singuli ad defensionem patriæ contra inimicos se opponere teneantur, regresso supervenienti exercitu, pro vindicta ipsos teneantur persequi.*

b) Autogr. exstat in Tabular. sacratiore aulæ Viennen. Sigillis 56. munitum, ex quibus 6. avulsa sunt. In quibusdam minoris momenti, id, quod in Cod. jur. patr. editum est, ab illo differt.

c) Repertorium Ms ex Tabular. Cæs. apud Ant. Steyrer.

deroviam designari afferebant. Ad periculum igitur antevertendum, copiæ, qua fieri poterat, celeritate, sed non eo, quo oportebat, numero, ad signa concitæ, nec enim, licet Georgius Serviæ Despota non exiguo numero suos in subsidum pollicitus esset, viginti quatur millia excedebant, quæ centum, & triginta Turcarum millibus opponerentur. Albertus tamen, pro militari, qua præditus erat, indole, & virtuti suorum non minus, quam promissis, in Conventu factis, confisus, in hostem movere constituit. Profectionem igitur secundum leges indixerat, abeuntem Elisabetha Varadinum usque comitata, inde Budam rediit, copiæ autem ultra promotæ, & castra inter Tibiscum, & Danubium, ex opposito Belgradi locata. Hic mensis Augustus, & pars sequentis, ut pluribus confluendi in castra spacium daretur, exactus. Interea Amurathes expugnata Szenderovia, aliquoties Danubium transmittere tentaverat, sed ab Alberto semper cum clade rejectus, quin tamen pugnæ decretoriæ copiam faceret, malebat enim prius hostem mora, & velitationibus delassare, quam rem universe prælio committere, cumque id postea constituisset, proditum se videns, sex enim magnates cum copiis suis pridie castris excesserant, & mox dysenteriæ contagio non minus inter suos, quam Turcas, grassari inciperet, signis convulsis, postquam Amurathes copias in Græciam

1439.

ciam reduxiſſet, ipſe eodem quoque malo cor-
1439. reptus, dimiſſo in ſtativa exercitu, Budam rediit. Hic Legati Poloniæ adventum illius præſtolati, ut cum eo Bohemiæ cauſa litem transigerent, ſed, cum illi præterea patrocinium Barbaræ reginæ ſuſciperent, peterentque, ut eidem bona ablata reſtituantur, re infecta diſceſſere. *a*)

His dimiſsis, dum Viennam parat, Strigonii, languore fere oppreſſus, ſubſiſtere coactus, Ladislaum de Palocz, & Stephanum Berzevicium, Legatos Wladislai in Poloniam conſequi juſsit, qui, ſi cum rege pax perpetua conciliari non poſſet, de prorogandis induciis agerent. *b*) Strigonio relicto, cum morbum, quem ex veneno, ut aliqui, ſed incerta fide perhibent, a ſocru Barbara, alii a Venetis porrecto, ortum putant, ingraveſcere ſentiret, condito teſtamento, quo, ſi uxor, quam gravidam reliquerat, filium ederet, octoviros, duos ex Hungaris, ac duos ex Bohemis, totidemque ex Auſtralibus, & Moravis, qui pupilli curam gererent,

a) Litt. regis dat. Zegedini an. 1439. in feſt. ad vincula S. Petri, autogr. Exhibet has etiam Lunig, Reichs Archiv. Tom XVII. pag. 461. Reichwein l. cit. pag. 138. Windeck c. 222.

b) Dogiel dipl. Pol. Tom. I. pag. 154. Car. Wagner annal. Scepuſii Tom. I. pag. 142. Katona Tom. XII. pag. 920.

tent, tutores constituit, *a*) non diu abhinc superstes, in pago *Neszmél*, Germanis *Langendorf*, XXVI. Octobris, diem extremum clausit, *b*) filias duas relinquens, *Annam*, & *Elisabetham*, quarum illa Wilhelmo Saxoniae Duci, haec Casimiro, Poloniae regi, serius postea nupsere. Corpus Albam regiam delatum, intestina autem in *Neszmél*, prope templum, in sacello condita sunt. *c*) 1439.

In pupillari aetate procul a cognitione rei publicae, regnaturo olim necessaria, amotus

a) Aen. Sylvius in rebus Friderici III. Imper. Tom. II. analect. biblioth. Vindob. item hist. Boh. c. 56. & in Europa, c. 1.

b) Windeck c. 222. *Da* (Langendorf) *muste er sterben, und starb, das war am montag nach Crispini und Crispiniani, und war auch auff den montag vor Symon und Jude der zwelff poten in dem Jare* 1439. Festum Simonis & Judae hoc anno inciderat in diem Mercurii, proin dies Lunae in 26. Octobr. sed Aen Sylv. hist. Boh. c. 56. habet, VI. Kal. Novemb.

c) Cur *Langendorf* in *Neszmél* latere suspicer, facit tabula aerea, quam prope templum in sacello lateri affixam vidi, cum inscriptione, intestina Alberti regis ibi condita esse, cujus indicium cum olim Augustae Theresiae fecissem, Viennam translata & in crypta Archiducum Austr. ad D. Stephani reposita sunt. Credibile

tus, fere venatu, & percursatione provin-
1439. ciarum occupabatur, a tutoribus, Leopoldo, & Ernesto patruelibus, de industria his oblectamentis, ut diutius rerum potirentur, irretitus. Verum semen præclaræ indolis, quam nactus erat, cum e tutela exiit, se se ubertim explicabat. Spretis enim omnibus, quæ prius sectari coactus erat, totum se, non intermisso studio, felicitati populorum suorum impendit, qui, si porro vitam produxisset, optimi Principis exemplar futurus erat. Fuit enim, ut Aneæ Sylvii, postea Pontificis Maximi, scriptoris coævi, qui illum norat, verbis utar: „ Princeps religiosus, & qui „ liberalitate simul, justitiaque præstaret. „ Fuit quoque in bellis audax, & manu promtus. Moravos, ac Bohemos armis subegit, „ Polonos late vagantes, intra regnum suum „ coercuit. Magna de se Christianæ rei publicæ promittere videbatur; nec minora „ populi de sua virtute conceperunt. Pulcherrimæ spei satis fieri brevitas vitæ non „ sivit. Statura ejus procera fuit, nervosum „ & validum corpus, facies terrifica, more „ gentis erasa barba, superius labium intensum; vestem haud splendidam balteus auro gravis cinxit, nec unquam lateri defuit „ ensis. " a)

ELI-

bile autem est, non alibi, quam ubi mortuus est, corpus quoque exenteratum fuisse.

a) Aen. Sylvius in Europa c. 1.

ELISABETHA.

Ab anno 1439. — 1440.

I. Quamquam a mariti obitu, ſanctionem de ſucceſsione prolium ſuarum, quam regni Ordines jam antea ratam habuerunt, plerique rurſum inſtauraſſent, *a*) varias nihilominus 1439.

a) Litt. reginæ ad Fridericum III. alias cit. *Des gleichen aber die maiſten, und peſten Herren in dem Land zu Hungeren dieſelb verſchreibung vernewt, und beſtett haben, da ich wittib ward, und ee ich meins Suns geneſen war.* Hæc, & Sigismundi teſtamentum, ut ad an. 1421. memoratum eſt, tum promiſsio de ſucceſsione ad utrumque ſexum extenſa, juramento etiam ab regni Ordinibus firmata, faciunt, ut Eliſabetham in regum ſerie collocandam, non item, *regem* appellandam, cenſuerim, ut videtur R R. D. Katona Tom. 13. pag. 9—12. indicare. Nunquam id mihi in mentem venit, jus ſucceſsionis, non nomen, intellectum volebam, illud ad utrumque ſexum pertinere poteſt, hoc natura ſolet indere. Proin, quæ idem iſthic, de Hedwige Jagelloni, & Maria Stephani V. filia, Carolo Claudo Siciliæ regi nuptis addit, ſuopte evaneſcunt, cum quæſtio, non de nomine regis, ſed de jure ſucceſsionis ſit, quod Eliſabethæ, ejusque prolibus regni Ordines tribuerunt, parum

nus rerum converſiones, donec partu levare-
1439. tur, ſubverita, id imprimis ſatagebat, ut regni coronam in poteſtate haberet, qua obtenta, ſperabat, eos, qui forte res novas moliri vellent, in obſequio contineri poſſe. Hanc autem cum a Georgio Comite de Bozyn, cujus curæ Albertus illam crediderat, aliter obtinere non poſſet, niſi plures Optimatum eſſent præſentes, idque ratum haberent, ac ipſa præterea teſtimonium de hac tradita, ſuo, illorumque nominibus, & ſigillis firmatum, ſibi redderet, annuit libenter, a) obtentaque corona, ſuæ, & prolium ſecuritati ſatis conſultum exiſtimans, litteras ad Bohemos, & Moravos, Schlickii conſilio uſa, de-

rum ſua intereſſe rati, utrum regina, an Rex, appellanda eſſet. Denique omnis res huc redit, an ii Magnates, nec enim omnes ejusdem ſententiæ erant, qui toties Eliſabethæ, hujusque prolibus ſucceſsionis jus confirmarunt, jure potuerint Wladislaum, nondum poſito reginæ utero, eligere? &, ſi idem R R. autor, Wladislao nec ab omnibus electo, nec corona legitima coronato, locum in regum ſerie tribuit, cur ego Eliſabetham, quam regni Ordines in Comitiis an. 1439. art. 12. hæredem regni declararunt, non potuerim in ſerie eadem collocare, non intelligo, cum jus hæreditarium ceteroqui electionem excludat.

a) Pray Hierarch. Par. I. pag 321.

dedit, utrosque admonens, ne quid, dum partu soluta fuerit, novarent, constantesque 1439.
in fide manerent. *a*) Verum Calixtini, conventu Melnikii habito, Casimirum, regis Poloniæ fratrem, eligendum censuerunt, Catholici contra Pragæ collecti, partum reginæ expectandum decreverant. *b*) Austriaci quoque, cum se Fridericus ingereret, habita ad S. Bertholdi vicum deliberatione, statuerant, ut, si regina filium ederet, is in tutela Ducis, aliquot tamen in societatem adhibitis provinciæ dynastis, tamdiu esset, donec per ætatem Nationi regendæ idoneus fieret, sin contra filiam eniteretur, Austria ad Fridericum, consanguinitate Alberto regi proximum, secundum pacta familiæ devolveretur. *c*)

II. Hæc cum undique ad reginam afferrentur, curis, quæ etiam virum consilii in- 1440.
certum redderent, fere oppressa, spem omnem in Hungaris collocabat, concitisque Budam *d*) regni Ordinibus, in quo statu regnum, & ipsa sit, aperit, in memoriam Sigismundi patris beneficia revocat, meminissent præterea, quid sibi post coronationem, semel, ite-

a) Kaprinai Part. I. pag. 225.

b) Æn. Sylv. hist Boh. c. 57.

c) Gerardus de Roo, l. 5.

d) Liquet id ex dipl. hujus an. d. 1. Jan. quod Schlickio concessum erat, apud Lunig Cod. Dipl. 23. pag. 1190.

iterumque promiserint, nondum etiam annum
1440. abiisse, quod in conventu Budensi, se hæredem regni publico decreto renunciassent; proin sperare se, nequaquam contra promissi fidem commissuros, ut prius, quam, quid enixura sit, constaret, de eligendo rege externo consilia inter se conferant. Anceps erat deliberatio, &, ut cuivis rei publicæ ratio videbatur poscere, etiam in partes distracta. Erant, qui promissis standum omnino censebant, alii, considerato, quod a Turcis imminebat, periculo, Wladislaum e Polonia accersendum, ita futurum, ut, junctis utriusque regni viribus, nihil deinceps a barbaro hoste metuendum esset, rursus alii, ut & fidem, reginæ toties addictam, servarent, & regno simul consulerent, nuptias inter reginam & Wladislaum conciliandas proposuere, adjecta conditione, si filium pareret, is Bohemiam, cum adnexis ei provinciis, & Austriam, proles autem ex novo conjugio tollendæ, Hungariam obtinerent. Elisabetha, cum & matri suæ esset dissimillima, & Wladislaum, qui annum decimum sextum agebat, ætate totidem fere annis excederet, a nuptiis abhorrebat, consilio tandem Dionysii Strigoniensis Archiepiscopi persuasa, annuit quidem, sed conditionem adjecit, si filium pareret, ut Legati a) ad Wladis-

a) In litt. Wladislai an. 1440. d. 8. Mart. censentur, Joan. Seguiensis Episc. Matthæ. de Pa-

dislaum mittendi, si nativitate filii sui comperta, Poloniam nondum essent ingressi, vel cum rege jam agerent, confestim, abrupta tractatione, in Hungariam revertantur. 1440.

Dum Legati, acceptis XVIII. Januarii ad transigendum mandatis, iter, quantum hyems sinebat, in Poloniam accelerant, regina die XXII. Februarii, *a)* in arce Comaromiensi, aperta, ne dolus intervenisse putaretur, cubiculi janua, & adstantibus, quantum decori ratio patiebatur, Proceribus, filium enixa est, a suscepto baptismo, Ladislai nomine appellatum. Nativitas infantis, rationes eorum, qui regem ex Polonia accersebant, magnopere conturbavit, & fuere ex his non pauci, quos suscepti consilii jam pœniteret, reliqui autem, qui reginæ studebant, Legatos ut ex itinere revocaret, suadebant. *b)* Missus igitur celerrime nuncius, qui illos conse-

 que-

Palocz Dalm. cet. Banus, Joan. de Perén, Mag. Tavernicor. Ladisl. de Palocz Mag. Curiæ reg. Emeric. de Marczaly, Mag. Dapifer. & Comes Simeghien.

a) Hunc diem Inscriptio templi parochialis Cassovien. exhibet.

b) Callimachus de rebus Wladislai I. Gerard. de Roo, l. 5. & Dlugoss. l. 12. qui aliqua pro suo ingenio addit. Sommersberg mantiss. diplom. Par. II. pag. 83. dat. Budæ in festo S. Priscæ V. ann. 1440.

1440. queretur, & reginæ juſſu illis referret, regem Hungaris jam natum eſſe, ne quid proinde, cujus cauſa miſsi erant, porro cum Polonis tractarent, alioquin, quid quid hactenus egiſſent, irritum a regina declarandum eſſe. *a)* Serum id tamen jam erat, quod Wladislaus, etſi graviores ex Optimatibus ei auctores fuiſſent, ne ſe in jus alienum temere ingereret, conditiones Legatorum, ſuo, & Procerum ſuorum nominibus, jam VIII. Martii ratas habuerit. *b)*

Præ-

a) Gerardus de Roo l. cit. Litt. Ladislai poſthumi, an. 1453. & regin. ad Fridericum III. Imper. jam cit. *Nachmals, als der allmechtig Gott meinen Sun lebenden auf die Erd beſchuf, und ſein geburd laut kundig war, und da ich es den Herren die gen Polen geſand waren, verkund hett, darauf ward der von Polen, von etlichen Landherren, die nicht die namhaſtigſten, und die peſten ſind, zu Kunig erwelt in Hungern.*

b) Autogr. exſtat in Tabular Aul. Viennen. *Actum & datum in civitate noſtra Cracovienſi, VIII. die menſis Martii, anno domini* 1440. *per manus Magnificorum, Johan. de Coneczpole Cancellarii, & Petrlwoda Szekoczini, vice Cancell. regni Pol. &c.* Sigillis, præter regium, ſupra 50. munitum, quorum veſtigia ſolum exſtant. Regina enim omnia avulſit.

Præcipuæ ex his, in quas utrinque conventum erat, fuere: Wladislaus promittat, 1440.
tempore coronationis, se jura, immunitates, & consuetudines regni hactenus usitatas, juramento, editisque litteris, confirmaturum, statuta quoque decessorum regum, jura Ecclesiarum inviolate servaturum, earumque bona adversus omnem vim, & injuriam defensurum, & donationes reginæ viduæ, si jure niterentur, ratas habiturum. Præterea, utrumque regnum contra quosvis hostes, præcipue Turcas, & Tartaros, vicissim auxilio erit: Russia, & Podolia, sine præjudicio tamen Hungariæ, Polonis interea cedet, donec arbitri utrinque deligendi, litem ex æquo cognoscant; Moldaviæ partitio eadem sit, quæ a Sigismundo, & Wladislai patre, olim constituta fuit, a) Rex tamen pollicebitur, ut de illius jure secundum vetera, & genuina litterarum documenta, decernatur: arcem quoque Lubloviensem, cum reliquis Scepusii oppidis, sub Sigismundo oppignoratis, post coronationem gratuito Hungaris restituet; nemini infidelium, & rebellium, qui regno exacti sunt, veniam redeundi, absque Prælatorum, & Baronum consilio tribuet, nec Barbaram Imperatricem, quietis publicæ causa, in Hungaria patietur, possit tamen illa jus suum, si quod se habere putet, per-

 se-

a) Conf. quæ ad an. 1412. Nr. 9. dicta sunt.

ſequi, & Rex eidem ad ſuſtinendam dignita-
1440. tem, extra fines tamen regni, providebit. Hæc fere ſunt conventionis capita. De nuptiis, inter Eliſabetham, & Wladislaum, conflandis, nulla iſthic mentio, ut adeo credibile ſit, vel ſeorſim de his actum, vel ne cogitatum quidem fuiſſe.

III. Utcunque autem id fuerit, cum primum, quæ Cracoviæ acta erant, in Hungariam ad factionem Polonicam perlata ſunt, mira conſenſione IV. Idus Martias confirmata fuere, *a*) & Wladislaus rogatus, ut iter acceleret, *b*) priusque adeſſe conetur, quam oppoſita factio viribus increſcat. Jam enim Bohemi Eliſabetham rogaverant, ut Legatos ſuos Pragam ad conventum mitteret, qui filii cauſam agant, Fridericus quoque, qui priori menſe Rex Romanorum electus erat, pupillum, ob ſanguinis nexum, tuiturus videbatur. Wladislaus, ab hoc maximum ſibi obſtaculum obmoveri poſſe, non ignorans, litteras ad eum dedit, quibus illi obtentam Romani Imperii dignitatem gratulatus, ſe quoque Optimatum conſenſu regnum Hungariæ adeptum fuiſſe, ſignificavit, eoque ſe magnopere lætari, quod, ut ditionibus vicini eſſent futuri, ita conjunctis etiam viribus, com-

a) Sommersberg I. & p. cit. dat. Budæ in feſto S. Gregorii Papæ.

b) Id. ibid.

communem Christianorum hostem, latius in dies grassantem, facilius coercere posint. *a)* 1440.
Nec regina filii sui causa segnior, dum majore sensim afluente ex Hungaris clientum numero, partem suam augeri videt, ut curam omnem retinendæ Hungariæ impenderet, Austriam Alberto Duci curandam credidit, eumque filio tutorem his conditionibus, VIII Aprilis constituit: provinciæ, pupilli nomine, tamdiu præesset, donec is sextum & decimum annum attigerit, tum provincia sibi credita decedat; nihil interea Ordinum immunitatibus deroget, & proventus, quos dotis nomine habebat, quotannis rite sibi administret. *b)*

Sub idem fere tempus Legati ex Polonia reversi, litteras conventionis reginæ exhibuerunt, quos illa, quod mandatorum limites egresi fuissent, in carcerem jussit conjici, *c)* & plena indignationis, ut robur litteris adimeret, sigilla ex iis avulsit. Factum insolens, & a femina patratum, ut factionem adversam perculit, ita iis, qui reginæ partes sectabantur, addidit stimulos, ut, de qua jam prius inter se agitabant, coronationem

a) Æn. Sylvius l. c. c. 57. Tom. II. analect. biblioth. Viennen. pag. 830. apud Pray Par. II. pag. 340.

b) Exstant in Tabul. Cæs. Vienn. & apud Kollár, Tom. II. analect. cit.

c) Gerardus de Roo l. 5. Alii contra reginæ jussu in itinere cum litteris interceptos memorant.

infantis accelerarent. Ipsa regina id unum
1440. ad avertendum ab Hungaria Wladislaum, non modo opportunum, sed necessarium quoque existimabat. Itaque, cum Wladislaus ob novos Lithuanorum motus, domi cogeretur morari, tempus occupandum rati, Albam contendunt, ubi Dionysius Strigoniensis Archiepiscopus, adstantibus Vesprimiensi, & Jaurinensi Episcopis, tum Nicolao Ujlakio, Emerico Kanisaio, Rozgonio, & frequentissimo Nobilium ordine, Infantem sacro oleo delibutum, corona, ipso die Pentecostes, incinxit, jusjurandum vero, de servandis regni immunitatibus, Ulricus Comes Cilejensis, pro infante præstitit. *a*) Regina non ignara, quæ Nationis animo de sacra corona opinio insedisset, hanc, post coronationem filii alia dexterrime substituta, apud se retinuit, *b*) ut hac ratione spem adipiscendi regni, Wladislao penitus adimeret, mox Jaurinum præsidio munitum, Ulrico tutandum commisit, ipsa Posonium, unde facilis, si usus ferret, in Austriam receptus erat, cum filio profecta, rei eventum præstolabatur.

Adversa factio, ut animum recepit, nec enim infantem coronandum suspicabatur, indi-

a) Inscriptio templi Cassovien. diem Pentecostes diserte coronationi constituit. Gerardus de Roo l. cit. Æn. Sylvius Tom. II. analect. biblioth. Viennen. & epist. 402.

b) Idem l. cit. & cum hoc alii.

dicto Budam ad XXIX. Junii diem conventu, Wladislaum, qui Agriam interea pervenerat, ut iter maturaret, admonuit, qui, licet adventu ſuo non paucos ab Eliſabethæ partibus abſtraxerit, coronationem tamen, quod Archiepiſcopus Strigonienſis, ad quem vetere inſtituto, jus coronandi regis pertinebat, cum regina eſſet, differri oportuit. Itaque, publica fide data, cum reliquis, qui reginæ addicti erant, Budam vocatus eſt, qua perſuaſus cum Ladislao de Gara, ceteteris enim pollicitatio ſuſpecta erat, non multo poſt adfuit, verum contra fidem datam uterque capti, nec prius dimiſsi, quam Archiepiſcopus Wladislaum ſe coronaturum, & Gara futuro regi fidelitatem, polliciti fuiſſent. *a)* Hoc obſtaculo ſublato, aliud ſupererat. Coronam, qua hactenus coronati reges, legitimum regni caput habebantur, a regina extorquere ſpes nulla fuit. Sed & huic difficultati conſultum, dum Corona aurea, capiti reliquiarum ſancti Stephani regis impoſita, novum regem XVII. Julii coronarunt, & hanc edito eadem die decreto, quo coronationem infantis irritam declararunt, perinde, ut ſacram, ſi hæc recuperari non poſſet, haberi deinceps voluere. *b)* 1440.

WLA-

a) Idem epiſt. 81.

b) Id Dlugoſs. l. 12. exhibet, & ex hoc Pray Par. II. pag. 346.

WLADISLAUS. I.

Ab anno 1440. — 1444.

I. Turcæ interea Hungarorum dissidio in
1440. rem suam usi, capta priore anno Szenderovia, copias Belgrado admoverant, locumque arcta obsidione premebant, & cum nec vi, nec fraude, qua *Zovanum* arci præfectum ad defectionem solicitabant, quidquam proficerent, amissis XVII. suorum millibus, obsidionem solvere coacti sunt. *a*) Depulso externo periculo, domesticum ob contrarias factiones, quarum utraque jus suum tuebatur, ortum. Elisabetha, accersitis e Bohemia auxiliariis, Georgium, & Joannem Giscram, montanis urbibus, ex quibus belli gerendi nervus peti poterat, Aximithum vero, & Telesum, Scepusiensi, & Abaujvariensi provinciis præfecit. *b*) Ad Transsilvanos, quorum Vajvoda, incertum quam ob causam offensus, ad Wladislaum inclinare videbatur, litteras dederat, quibus illos, revocatis in memoriam beneficiis, quæ a patre Sigismundo, & Alberto conjuge suo olim percepissent, ut in

a) Thurocz Part. IV. Chron. c. 35. Dlugoss. l. 12.

b) Æn. Sylv. l. c. c. 57. Balbinus epit l. 5. c. 3.

in fide recens coronati filii sui persistant, adhortata est. *a)* 1440.

Nec Wladislao minor retinendæ dignitatis cura erat, qui cum militem, pecuniam, & reliqua bello necessaria, jam ante diligenter comparata haberet, ut reginam Hungaria penitus exigeret, Jaurinum, quod Ulricus Cilejensis cum præsidio Bohemico tenebat, occupandum censuit. Id Joanni Hunyadio man-

a) Litt. regin. Poson. d. 1. Aug. 1440. *Certum namque est, ipsum filium nostrum, tamquam hæredem, & dominum naturalem ad hujus regni gubernaculum successisse, sed pensate, quæsumus, — si hæres iste & dominus naturalis regni hujus debita successione exhæredari debeat, & privari, quid de filiis, & hæredibus vestris evenire possit? cum per hoc quasi pro lege introduci valeat, ut filii, & hæredes paternis eorum rebus, & possessionibus, & bonis frustrentur, & priventur. Præterea, cum sacrosancta regni Hung. corona, cum qua reges Hung. a tempore S. regis Stephani coronari consueverunt, cum qua etiam ipse noster filius coronatus est, in prædicti filii nostri, nostraque potestate existat, nescimus, quali corona Rex Polon. qui ad suppressionem jurium ipsius filii nostri, nostrorumque se ingessit, per quosdam æmulos nostros sit coronatus, &c.* Similes Kesmarkinum, & ad civitates superioris Hung. dederat.

mandatum, qui dum urbi obſidionem admo-
1440. vet, Cilejenſis, præfectura urbis alteri credita, clam Poſonium ad reginam volens evadere, e fuga retractus, & Budam ad Wladislaum miſſus eſt. Captivitas Cilejenſis, quem Wladislaus liberaliter habuit, ſpem ei fecerat, poſſe illius opera pacem ſine armis cum regina conciliari, niſi illa æquitati cauſæ filii ſui, ſanguinis cum Ducibus Auſtriæ necesſitudini, & Bohemorum auxilio innixa, bellum præ pace maluiſſet, ſed, cum ad id gerendum pecunia mutuo nuper accepta non ſufficeret, rurſus ad pignoris ejusdem rationes quinque, paulumque poſt novem, & XXIV. Novembris duo aureorum millia, a Friderico numerata accepit, eumque, ut filio magis conciliaret, tutorem huic, his conditionibus conſtituit: Auſtriaci juramento fidelitatis ſoluti, id deinceps Friderico præſtent, hic vicisſim reginæ, cum neceſſe fuerit, conſilio, reque auxilio erit, proventus dotis in Auſtria rite eidem adminiſtrabit, & filio quinque aureorum millia quotannis præbebit, *a)*

II. Cum autem hæc quoque gerendo bel-
1441. lo non videretur ſuffectura, rurſum octo aureorum millia, oppignorato Sopronio, ſibi a Friderico dari petiit, quæ ille quidem libenter præbuit, ſi, poſtquam ipſe, vel ejus hæredes,

a) Ex Tabular. Aulico Vienn. Tom. II. analect. bibl. Vindobon. pag. 845. — 851.

des, de redimenda corona admoniti fuerint, editis litteris profiteretur, hanc trium mensium ſpacio adhuc in pignore retineri poſſe. *a)* Hac ſumma miles conſcriptus, & inter Duces diribitus eſt. Giscra, acceptis e Bohemia ſupplementis, ad Caſſoviam, Ladislaus Gara in Croatia, rem pupilli, ancipiti magis, quam alterna fortuna agebant. Gara enim a Joanne Hunyadio profligatus, & Banfius ab Ulrico Cilejenſi, interceptus erat, damno utrinque fere æquali. *b)* Wladislaus, qui Cilejenſem haud ita pridem, acceptis obſidibus, liberum ea conditione dimiſerat, ne adverſum ſe arma ſumeret, graviter offenſus, caſtra ad Sabariam poſuit, Ulrici perfidiam ulturus, cum ei *Vitovecʒius* Cilejenſium Dux obviam factus, ultra progredi vetuit, quin tamen pugnæ copiam faceret. Quare velitationibus fere res acta, poſtremo, quod Turcæ in Tranſsilvaniam irrupiſſe ferebantur, concordia his pactis inita: Wladislaus utrumque Cilejenſem, Fridericum, & Ulricum, condonatis injuriis, in fidem, & amicitiam recipiet, 1441.

&

a) Ex Tabul. Cæſ. Tom. II. analect. cit. col. 870. Dat. an. 1441. die 25. Febr. Neoſtadii. ſubſcriptus eſt, *Auguſtinus de Szálánk.*

b) Callimachus l. cit. l. 2. & Chron. Cilejen. apud Hanium Tom. II.

1441. & feuda, quæ dono regum in Hungaria possident, confirmabit. *a*)

Felicius Hunyadius rem contra Turcas in Transsilvania gessit. Ducebat hos *Mutzubegus*, cum quo ad villam S. Emerici congressus, cæsis XV. millibus, ceteris captis, aut fugatis, omni apparatu belli potitus est. *b*) Hoc felici progressu Wladislaus quoque, ut se Hungaris probaret, incitatus, in Giscram movit, & Cassoviam obsedit. Giscra, qui prælium in principio detrectare videbatur, repente in Perenium, copiarum ductorem invectus, urbem ab obsidione solvit. Fusi, fugatique regii, ne nihil egisse viderentur, cum parte copiarum in montanas urbes effusi, illatis per iter damnis, porroque grassati Tirnaviam occuparunt. *c*) Regina, quæ Posonii sedem fixerat, vicino hoste, & alienato Bohemorum a se animo, qui Albertum Bavariæ Ducem, interea sibi regem designaverant, territa, Fridericum orabat, ut secundum pacta sibi auxilio veniret, ad

a) Ex archivo Cæs. Græcen. Forul. 39. Fasc. 6. Nro. 51.

b) Bartosii Chron. apud Dobner monument Tom. I. Litt. Capituli Orodiensis an. 1444. hanc victoriam Hunyiadis, & quas postea ex Turcis retulit, prolixa narratione complectuntur.

c) Callimachus l. cit. & Acta civitatis Viennen. Tom. II. analect. cit. col. 1026.

ad magiſtratnm quoque Viennenſem pro ſubſidiis ſcripſerat, qui defendendo, ſi obſideretur, Poſonio, præter mille pedites, præbito iis etiam ſtipendio, & belli apparatu, cuivis civium liberam facultatem profitendæ militiæ dedit. *a*) Fridericus contra, curis Imperii ceteroquin occupatus, malebat, conciliatis utrinque animis, litem inita concordia finiri, ſcripſitque hac de cauſa ad Eugenium IV. Sigismundi, infantis avi, merita de Eccleſia eidem in memoriam revocans, jus præterea illius in Hungariam, & Bohemiam ex pactis eſſe liquidum, itaque inhumanum videri, ſi eo innocens privetur, malignæ de ſe famæ, quam aliqui, ad conflandam ſibi invidiam, ſparſerant, quaſi puer inter vivos jam non agat, ne fidem haberet, educari illum ſua cura Neoſtadii, viderique illum poſſe, ſi qui ejus videndi eſſent cupidi, creſcereque in ſpes utriusque regni amplisſimas. *b*) Pontifex conditionem infantis miſeratus, Julianum Cæſarinum, Cardinalem, in Hungariam proficiſci, omnemque operam juſsit impendere, ut quibus poſſet conditionibus, reginam cum Wladislao, jure tamen pupilli inviolato, conciliaret. 1441.

Ipſe

a) Eadem ibid.

b) Apud Goldaſtum append. document. pag. 151. & ex hoc Pray Par. II. pag. 354. Æn. Sylvius epiſt. 118.

1441. Ipſe etiam Wladislaus, videns, ſciſsos in partes Hungarorum animos, nec ignorans, quam apud exteros Principes, præſertim infanti cognatione junctos, quaſi hunc per injuriam regno privarit, invidiam incurriſſet, cum ſuis, quos a conſiliis habebat, deliberans, animum ad ineundam cum regina concordiam adjecit. Miſsi igitur VII. Septembris Oratores iis mandatis inſtructi, quibus ſibi reginam conciliari poſſe, non dubitabat Verum illa, intellecto, filium ſuum conſtitutis eidem Gubernatoribus, regem a Bohemis agnitum eſſe, nec refragari penitus, nec conſentire viſa, Legatos rei, cujus cauſa venerant, incertos ab ſe dimiſit, in ſpem adducta, plures ex Hungaris partes ſuas amplexuros, ſi filium reciperet, eumque conſtitutis, ſecundum Alberti teſtamentum, tutoribus, in Hungaria educaret, utroque enim hactenus neglecto, magnopere offenſos fuiſſe conſtabat. Scripſit igitur ad Fridericum, rogabatque, ut, cum ipſe in Germaniam iter paret, ne quid, illo abſente, incommodi filio accidat, illum cum corona ſibi remitteret, hanc ſolam eſſe rationem, qua Hungaros pupillo conciliare, eique regnum ſtabilire, ſe poſſe ſperet. *a*) Ille utrumque negavit, quod & tutor prius infanti ab ea conſtitutus fuiſſet, & coronam,

a) Ex Tabul. Cæſ. Tom. II. analect. blioth. Viennen. col. 988.

nam, nisi recepta, quam mutuo dederat, auri summa, reddere, rationibus suis minime expedire putaret. Hac repulsa, nec enim, unde tantam summam restitueret, habebat, offensa, eo se redactam vidit, ut, quam Wladislaus ante offerebat, concordiam, hanc filii causa jam ipsa sibi ambiendam existimaret. 1441.

III. Commodum Julianus Cardinalis ab Eugenio in Hungariam missus, Jaurinum advenerat, qui, pertentato reginæ animo, cum illam a pace concilianda non alienam repe- 1442. risset, Budam profectus, cum Wladislao de conditionibus, quibus utramque partem, sine honoris dispendio, consentire posse existimabat, diligenter egit, sæpeque Buda Jaurinum, & hinc vicissim illo commeans, tandem conditiones, in quas Wladislaus consenserat, reginæ attulit, quæ, cum se a Friderico fere neglectam videret, & suos præterea ad Agriam, capto etiam ductore Telepho, profligatos comperisset, faciles Cardinali, tuta, & honesta suadenti, aures præbuit. Illud quoque ad accelerandam concordiam non parum conferre visum, quod Hunyiades novam ex Turcis victoriam consequutus ferebatur. Amurathes, etsi posito Imperio, filioque Mahomete, constitutis tutoribus, sibi subrogato, se a re publica abstinuisset, cladis tamen anni prioris memor, *Abedino* in mandatis dedit, ut acceptam jacturam, ex Transalpina

provincia rursus in Transsilvaniam irrum-
1442. pens, repararet, verum ab Hunyiade, concitato itinere, occupatus, interque fauces alpium Valachiæ conclusus, pene internecione deletus est, pauci, qui cladis nuncii essent, trans Danubium evasere. *a*)

Hæc dum secunda fama toto regno percrebrescerent, regina conditionibus, a Cardinale propositis, annuit, & Strigonium, quo utrinque condictum erat, acceptis publicæ fidei litteris, profecta est, ibique reconciliatio his pactis confecta: Wladislaus Annam natu majorem reginæ filiam, cum CC. millibus aureorum, dotis nomine, & Casimirus regis frater, Elisabetham natu minorem, cum CXX. millibus, conjuges acciperent, & Silesia juris Polonici esset: interea Wladislaus Hungariam, quin titulo regis Hungariæ uti ausit, tam diu pro infante gubernabit, donec is, pupillarem ætatem egressus, regimini aptus redderetur, qui si postea sine legitimo hærede obiret, Wladislaus pleno jure succedat; donationes tamen, quas hactenus fecisset, robur etiam deinceps obtineant, Scepusium Polonis perpetuum cedat, Hungari præterea juri, & actioni in Podoliam, & Valachiam, renuncient. *b*). Ceterum, has conditio-

a) Ducas, & Laonic. Chalcondyl. pag. 107. litt. Capituli Orodien. cit. an. 1444.

b) Callimach. l. cit. l. 2. Dlugoss. l. 12.

ditiones, etsi utriusque partis consensu firmatæ fuissent, regni tamen Ordines, quod grave illis videretur, tot provincias a regno perpetuum avelli, postquam regina XXIV. Decembris ex torminibus, familiari sibi morbo, obiisset, irritas declararunt. *a)* 1442.

Mors reginæ variis animorum motibus occasionem præbuit. Giscra, & Bohemi, qui superiorem Hungariam tenebant, ut fidem in pupillum testarentur, ad Cæsarem Fridericum defecere, multi quoque ex Hungaris nutabant, Pragenses puerum regem repetebant, Turcæ, missis Legatis, pacem non tam petere, quam propositis fastu plenis conditionibus, præscribere ausi, Belgradum sibi dedi, & annuum tributum pendi postulabant. Rejecti sunt, & bellum in illos decretum, utque illius gerendi rationes cum regni Ordinibus conferrentur, Conventus Budam indictus est, ad quem Giscra quoque, cui, suasu Wladislai, ut a pupillo abstraheretur, cognata Rozgonii, Agriensis Episco- 1443.

a) Chron. Bartoss. apud Dobner Tom. I. monum. pag. 206. Dlugoss. l. 12. Vit. Arnpeck apud Hieron. Pez Tom. I. Script. rer. Austr. pag. 1254. Gerard de Roo affirmat Albæ regiæ penes maritum conditam esse. l. 5. Æn. Sylv. epist. 81. additque fuisse aliquos, qui veneno sublatam fuisse, suspicati fuerint.

ctis his non ſteterint, in eos pœna, utriusque partis judicio ſtatuetur. *a)* 1443.

Cum Giscra etiam, ne in bellum profecturis quidquam intutum relinqueretur, actum, & in has conditiones, opera Simonis Rozgonii, Agrienſis Epiſcopi, conventum: induciæ a calendis Septembris, ad feſtum beati Michaelis futuri anni, ſerventur, quibus durantibus, ut pax facilius coaleſcat, Wladislaus cum ſuis Budæ, vel loco prope Strigonium opportuno, Giscra autem, cum Strigonienſi Archiepiſcopo, & iis, qui pupillum ſectantur, Baronibus Strigonii, futuro anno ad IV. Nonas Februarii convenirent, interea vero utraque pars ab hoſtilitate abſtineat, neutra novas arces in ſuo ſolo exſtruere, vel in alieno furtim, ut hactenus, occupare auſit; bona poſſeſſoribus reſtituantur, Giscra denique, in ditionibus, quas pupilli nomine tenet, Caſſovienſi, Leutſchovienſi, ceterisque montanis urbibus, ac Scepuſio, cenſum regium, & lucrum Cameræ, ſalvis Eccleſiarum decimis, percipiat. *b)*

His prope Igloviam ipſis calendis Septembris utrinque firmatis, neceſſarii in bel-

a) Callimachus l. 2. cit. Æn. Sylvius epiſt 62, & 81. item in reb. Friderici III. Tom. II. analect. cit.

b) Litt. an. 1443. dat. prope oppidum Iglov vocatum, d. 1. Sept.

lum apparatus facti. Huic ipſe Wladislaus
1443. intereſſe voluit, Dux copiarum Joannes Hunyiades, quarum partem ipſe ſuo ære conſcripſerat, conſtitutus, & profectio in Serviam ſuſcepta. Hic Hunyiades cum XII. equitum millibus exploratum prævolans, Niſſam primo impetu cepit, & urbs, exportata præda, incendio abſumta eſt: inde ultra progreſſus, *Ezebegum* obviam habuit, hoc profligato, alterum, qui ei venerat ſubſidio, cæſis plurimis, in fugam egit, &, cum poſt paucos dies in *Thurambegum* incidiſſet, hunc quoque eodem victoriæ curſu profligavit. Relatis tot victoriis, ne Wladislaum periculo exponeret, compererat enim ex ſpeculatoribus, ingentem Turcarum vim regiis caſtris appropinquare, reverſus, hos quoque in ipſo itinere aggreſſus, magnam cædem, Duce eorum intercepto, paucisque fuga elapſis, edidit. Amurathes, qui tridui itinere a caſtris regiis aberat, cum videret, ſuos tot cladibus dejecto animo eſſe, hyemsque inſtaret, nihil auſus, receptui cecinit, & Wladislaus copias per Serviam, quam, Turcis repurgatam, Georgio Deſpotæ reſtituerat, Belgradum, ac ſenſim Budam reduxit. *a)*

IV.

a) Æn. Sylv. epiſt. 81. Callimachus l. cit. Litt. Capituli Orodien. an. 1444. ſupra cit. Thurocz Chron. Par. IV. c. 40. epiſt. Hunyiadis ad Nicol. de Wjlak, dat. in deſcenſu regali Scaronienſi, 8. d. OO. SS. item Æn. Sylv. epiſt. 44.

IV. Fama multiplicis victoriæ per Europam didita, plures ex Principibus Christianis in belli communionem incitaverat. Eugenius IV. qui hujus communiter gerendi auctor erat, missis quaquaversum Legatis, regum aulas ad idem solicitabat. Palæologus se partibus suis non defuturum nunciavit, Georgius Castriotus, cum XXX. Epirotarum millibus se subsidio venturum pollicitus est, Pontifex, Philippus Burgundiæ Dux, Veneti, & Genuenses, classem septuaginta triremium, se mari immissuros promisere, Julianus Cardinalis cruce signatos ex aliis ditionibus, non temnendo numero adfuturos, spem fecerat, & ne rei gerendæ nervus deesset, æs ex sacerdotum decimis, quod antea in Concilio Basileensi decretum erat, a Pontifice in hunc finem conflari jussum. a) 1444.

Wladislaus de hoc apparatu, & ne, cum illius res præcipue agatur, in communi Christianorum studio, sibi deesset, admonitus, indicto conventu, rem omnem deliberationi Procerum permisit. Sententiæ variabant. Poloni, nam & hi ad consultationem vocati sunt, magnopere refragabantur, quod Tartari non ita pridem Russiæ, & Podoliæ partem depopulati fuissent, consulendum igitur do-

a) Raynald. ad an. 1444. Barletus de gest. Scanderbegi l. 2. Callimach. l. 3. Æn. Sylv. Europ. c. 5. Phranzes l. 2. c. 18. Chalcondyl. l. 6.

domestico prius periculo, quam de bello ho-
1444. sti inferendo cogitetur: Hungari contra, priorum annorum victoriis confisi, arma corripienda esse, contendebant, nec pulchrum videri, si Principum Christianorum exspectationem de se conceptam fallerent. Dubitanti Wladislao, utri parti adhærendum esset, Legati ex Turcia intervenere. Amurathes enim, comperto Christianorum Principum apparatu, cum nec in Asia, Caramaniæ enim Præfectus Pontum, & Bythiniam, arrepta tyrannide infestabat, res satis tutas videret, ne utrinque eodem tempore premeretur, pacem per Legatos suos offerebat. Erant conditiones Hungariæ cumprimis utiles: nam præter Bulgariam, quam sibi Amurathes relinqui cupiebat, quæcumque occupasset, ad diem, quem Wladislaus statueret, se redditurum pollicitus est. Tam splendidis promissis illecti, pene omnes pacem bello præferebant, ipse etiam Hunyiades, belli alias in Turcas appetens, cum sponte ea reddi audiret, quæ bello, cujus incertus esset exitus, nec sine damno, vel periculo recuperari possunt, eorum sententiæ accessit, cui Despota quoque Serviæ suffragatus est. Pax igitur in eas, quas Legati proposuerant, conditiones confecta, & juramento ab Wladislao firmata est. *a*) Fue-

a) Callimachus l. 3. Dlugofs. l. 12. Barletus de reb. gest. Scanderbegi. Chron. Turc. l. 1.

Fuere tamen, ut ex eventu patuit, qui non diuturnam fore, putabant, cum enim ea, 1444.
quæ Amurathis Legati ſe reddituros pollicebantur, Wladislaus ad præſtitutum diem repeteret, fucoſas cauſas, aliam ex alia, quod Amurathes abſens eſſet, prætexebant. Sero perfidia cognita eſt. Itaque omnium animi a pace ad bellum converſi, præſertim, quod Amurathem bello in Aſia occupatum eſſe conſtaret. Re proinde cum Pontifice, ceterisque, qui prius communis belli auctores erant, Principibus, cummunicata, gerendi illius ratio hæc utrinque inſtituta: Cardinalis terreſtres copias quidem duceret, conferendi tamen prælii poteſtas, & arbitrium penes Hunyiadem eſſet, navalibus autem Franciſcus Cardinalis Venetus præeſſet, Caſtriotus, ut res, & tempus, locusque monuerit, cum ſuis præſto ſit, Fridericus in ſocietatem quoque vocatus, cum ob Imperii negotia adeſſe non poſſet, induciarum, quæ cum Giscra initæ erant, vadimonium in ſe recepit. His conſtitutis, profectio terra, marique ſuſcepta eſt. Wladislaus cum Hunyiade, quin hoſtis ſe aſpectabilem præberet, acceptisque per iter ſupplementis, Vidinum attigit, inde victis ſemel, iterumque Turcis, qui illum ab ulteriori progreſsione prohibere volebant, prope Pontum caſtra ad Varnam defixit eo propoſito, ut ſpacium Palæologo ex una, Caſtrioto autem ex altera parte, ut condictum erat, rem agendi

di præberet, & ex eventu consilium caperet.
1444. Verum & ille moras traxit, & huic Despota Serviæ, promissi, & beneficii immemor, clanculum cum Turcis paciscens, viam arborum concæde obsepsit. Hic erat rerum situs, cum Amurathes, intellecto suorum in Europa periculo, ex Asia accelerans, copias per Hellespontum, quem classis Itala intercludere neglexerat, traduxit, rectaque nostris sua castra opposuit; qui cum de ratione prælii ineundi, quod vitari jam non poterat, consultant, Hunyiade, ut confestim pugnaretur, suadente, aliis autem contra nitentibus, Amurathes nostros adoritur, sed semel, iterumque cum clade rejectus, ubi tertium vires instaurat, etiam in fugam actus est, quem cum nostri incautius, quam par erat, insequuntur, Wladislaus alia parte ab hoste circumventus, fortiterque dimicans, vitæ, & regno finem fecit. *a)* Caput a cervice rescissum, hastæque affixum ut nostri aspexerant, in apertam fugam conjecti, multisque erroribus acti, qua cui commodum erat, evasere. Julianus Cardinalis *b)* in fuga cæsus, Hunyia-

a) Inscriptio templi Coronen. apud Schvandtner Tom. II. pag. 18. cladis, & cædis Wladislai, diem 10. Novembr. notat.

b) Hunc posteriores scriptores, belli hujus. & cladis auctorem, invita veritate, faciunt, cum bel-

Hunyiades, cui infaustum pugnæ exitum, quasi regem volens destituerit, quidam, sed falso, tribuunt, trajecto Danubio in Valachiam evadens, a Vajvoda provinciæ retentus, mox tamen liber dimissus est. Amurathes, victo, quam victori similior, LXXX. enim suorum millia amisisse fertur, collectis vasis, & spoliis, domum rediit. *a*) 1444.

LA-

bellum hoc communi Principum consensu susceptum fuisse constet. Nec opus erat, ut regem a præstito juramento solveret, quo alioquin, ob non servatas ab Amurathe conditiones, ex natura contractus non tenebatur.

a) Æn. Sylvius Europ. c. 5. &. epist. 81. Callimachus l. 3. Dlugoss. l. 12. Michovii Chron. l. 4. c. 56. Chalcondylas de rebus Turc. l. 7.

LADISLAUS POSTHUMUS.

Ab anno 1445. — 1457.

I. Fama Varnensis cladis, magna animorum
1445. consternatione accepta est, & necessariam rerum conversionem post se traxit. Polonia verisimiliter ab Hungaria deinceps sejungenda, & inde non levis virium diminutio domi consequutura erat. Bohemi, duce Giscra, superiorem regni partem pro pupillo, a reliquo corpore velut avulsam, tenebant, nec Turcæ diu quieturi videbantur, domi quoque Laurentius de Hedervara, regni Palatinus, vir inquieto ingenio, res novas moliri cœpit, cum, seu de industria, seu a Polonis, qui ex prælio evaserant, persuasus, in vulgus spargeret, Wladislaum nequaquam cæsum, sed incolumem in Poloniam evasisse. *a*) Hunyiades, qui quid illo factum esset, &, qua parte res publica laboraret, optime gnarus, ante omnia Proceribus suasit, comitia Albam

a) Rumor hic etiam ad exteras regiones perlatus est, ut Æn. Sylvius epist. 95. ad Campesium scripsit: *Polonus adhuc spem sui reditus facit, quamvis mortuus est* & epist. 105. ad Sbigneum Cardinal. *nec de Wladislao curarent, qui vel mortuus est, vel, si vivit, satis habet in Polonia, ubi regnare possit.*

Albam convocanda esse, ut collapsis rebus mature consulatur. Ad quæ cum pridie Nonas Februarii frequentes confluxissent, nihil fere decerni potuit, quod Palatinus, priorem de Wladislao fabulam recoquens, intercederet; hunc prius exspectandum esse, quam aliquid decernatur, aut, si vere occubuisset, in eam satis aperte sententiam inclinabat, ut defuncto successor vel ex ipsa natione legeretur, vel antiquata pristina regiminis forma, certe ea inducatur, quæ Reipublicæ similis esset, non obscure Oligarchiam designans. Primum, quod se ipsum, tamquam aliud agens, designare videretur, cum indignatione explosum, alterum, quod nihil in Majorum consuetudine innovandum reliqui censerent, itidem rejectum, & rem omnem, quoniam de communi omnium salute agatur, ad communem quoque consultationem in proximo Conventu referri oportere, decreverant. *a*) 1445.

Interea Hunyiades, cum non levem sibi apud exteros invidiam, ob nupernam cladem, conflari, intelligeret, Pontificem ceterosque Principes Christianos, imprimis Galliarum regem, de illius causis edocuit, infelicem pugnæ exitum non tam virtuti hostium, quos

a) Æn. Sylvius epist. 81. & 93. Joan. de Zredna comment. ad epist. Hunyiadis Tom. II. Script. rer. Hung. pag. 17. & 18.

quos ſæpe profligaſſet, quam non miſsis ma-
1445. ture, ut conventum erat, Principum auxiliis, tribuens; hæc ſibi non ſolum a Valachiæ, & Moldaviæ Vajvodis, ſed Albanis quoque, Bulgaris, & Palæologo promiſſa, quorum ſpe Hungari bellum in Turcas gerendum ſuſceperint, cum vero tempus moneret, nihil præſtitum fuiſſe, & pleroſque, rebus tantum ſuis, alieno periculo, conſultum voluiſſe. Neque tamen ſe propterea animum deſpondere, quin ita eſſe comparatum, ut illatam cladem facile ſe reparaturum ſperet, ſi Principes pollicitis ſtarent, & Pontifex Hungariæ ſubſidiis non deeſſet. *a*) Hæc ille cum ad tuendam nominis ſui famam, tum ad imploranda auxilia per Europam vulgavit, nihil tamen ſuppetiarum ad communem Chriſtianorum cauſam, præter pollicitationes, allatum. Spem igitur omnem in Conventu, qui proxime habendus erat, repoſuit.

Hic, quod Palatinus Budam occludi juſſerit, Peſtini coactus erat. Hunyiades duo præcipue capita in conſultationem adduxit: primum, viderent Proceres, ut de cogendis militiæ ſupplementis rationes mature inirent, ne, ſi Turcæ anni prioris ſucceſſu elati, aliquid rurſus tentarent, periculum priore majus evaderet: tum, quoniam conſtaret, Wladislaum in prælio occubuiſſe, neceſſarium omni-

a) Id. ibid.

omnino videri, ut pupillus, legitimus ceteroquin hæres, quamprimum in regnum inducatur, Hungariam enim capite destitutam, diu salvam esse non posse. Huic sententiæ cum Dionysius Strigoniensis Archiepiscopus ante alios accessisset, unanimi omnium voluntate decretum, ut Legati ad Cæsarem mitterentur, qui regem suum, & hæredem regni repeterent. Delecti sunt Strigoniensis Archiepiscopus, & Ladislaus de Gara, quos plures ex Nobilium ordine, videndi pueri regis cupidi, & quingenti equites, cum XXIV. quadrigis, pro reducendo rege consequuti sunt. His Nicolaus Ujlak, Vajvoda Transsilvanus, quatuor ex suis adjunxit, quem Palatinus, ne se itineri daret, variis technis usus, retinuerat, post tamen serius, aliorum hortatu persuasus, ipse quoque adfuit. a)

1445.

Hunyiades legationi interesse non poterat, quod Turcæ, Vajvoda instigante, ex Valachia in Transsilvaniam irrupturi ferebantur. Hac ille occasione, ut ex perfido, qui se a clade Varnensi captivum detinuerat, ultionem sumeret, copiarum partem in Valachiam, quo Cardinalis Venetus cum Pontica classe, adverso Danubio, prope Nicopolim venerat, deduxit. Hac celeritate Vajvodam in montana fugere coegit, & Turcæ hoc quidem anno, præsente classe, nihil hostile

a) Æn. Sylvii epist. 81.

ftile aufi funt. Collatis dein cum Cardinali
1445. confiliis, egit de ratione futuri belli, & promifforum, quæ is, & Ducis Burgundiæ claffis Præfectus, fibi fecerant, plenus, in Hungariam rediit, ut, fi legatio ad Fridericum miffa, non eum, quem fperabat, exitum haberet, confilia cum Proceribus, pro re, & tempore opportuna caperet. *a)*

Legati per id fere tempus iter ingrefsi funt, quo Fridericus expugnato Ginfio in Auftriam redierat. Accepit illos liberaliter, nihil tamen eorum, quæ petebantur, quod modum viderentur excedere, concefsit. Pupillum enim, coronam, & urbes, quas mater illius oppignoraverat, fibi reddi flagitabant, coronam quidem, quod hanc, ut puer rurfum coronetur, neceffariam exiftimarent. Fridericus ad hæc, nec puerum, quod multi adhuc in Hungaria ab eo averfi effent, tuto ab fe dimitti poffe, refpondit, nec, ut corona, & pignora, non redhibito, quod illorum caufa, Elifabethæ reginæ olim datum erat, precio, reddantur, æquum videri; fupervacaneum præterea effe, ut puer coronatus iterum coronetur. Poftremum Legatis durum videbatur, facile enim intelligebant, eos, qui Wladislaum fectabantur, nota infidelitatis perftringi, & in pervicacia, ne puer in regnum

b) Ivanichii comment. in epift. Hunyiadis Tom. II. Script. cit.

gnum induceretur, corroborari posse. Quo intellecto, Fridericus non nihil de sua sententia decedens, se puerum quidem, ut is, omissa tamen unctione, coronetur, in Hungariam missurum promisit, si regni Ordines primam coronationem vigore non destitui, & coronam post inagurationem se remissuros publicis litteris fidem facerent, Posonium praeterea sibi traderent, ubi pupillus sub sua cura etiam deinceps educaretur, dum legitimam aetatem attingat, ad quae cum Legati mandata non haberent, Pestinum reversi, quem exitum legatio habuisset, ad Ordines retulere. *a*) 1445.

II. Visum plerisque est, rem, quod matura deliberatione egeret, ad proxima Comitia differendam esse, ad quae Fridericus suos quoque Legatos missurum se promiserat, interea autem Hunyiades rei publicae curam vicaria potestate gereret. *b*) His constitutis, videbatur Hungaria, velut posita tempestate, tantisper malacia quadam frui, cum Comes Cilejensis, ab obitu Tallocii, Croatiae Bani, castra, & ditionem Episcopatus Zagrabiensis invadens, pleraque vi sibi asseruit, indeque arma ad Auranam promovens, hanc quoque vastato circum agro in potestatem redegit. Sed 1446.

a) Æn. Sylvius. epist. 95.

b) Kaprinai hist. Hung. diplom. Par. II. pag. 121.

1446. Sed temeritatem hominis, Hunyiades pro ratione officii sibi ab Ordinibus crediti, brevi armis ita repressit, ut non modo amissa recuperarit, sed ademta etiam Cilejensis agri parte, illum ad petendam pacem cogeret. *a*)

Redacto in ordinem Cilejensi, Comitiis datum initium est: in his ante omnia constitutum, ut Gubernator, qui pro pupillo regnum administraret, communibus suffragiis eligatur; idcirco omnibus mandatum, ut officiis suis interea decederent; tum, ut bona, per quoscunque vi occupata essent, suis dominis restituantur; qui arces nuper erexissent, quod non tam publicæ securitati, quam inferendis injuriis deservirent, has rursum funditus convellant, privatæ confœderationes, ex quibus res publica non levia detrimenta hactenus acceperat, graviter interdictæ, decretumque, ut, quæ nunc constituta fuissent, ac deinceps statuerentur, ab omnibus, nullo habito conditionis, ordinisve discrimine, edito juramento, observentur. *b*) Rogatis deinde ad eligendum Gubernatorem sententiis, omnes miro consensu in Hunyiadem conspirarunt, cui, si illum bello extra regnum occupari contingeret, Nicolaus ab Ujlak

a) Æn. Sylv. epist. cit. & 93.

b) Ex autogr. Quod in Cod. jur. patr. exstat, mancum est. Integrum exhibet Katona Tom. XIII. pag. 408.

Ujlak vicarius adjunctus eſt. *a*) Ne autem poteſtate Gubernator abuti poſſet, hi eidem limites circumſcripti ſunt: primum, ut eadem, qua reges, poteſtate quidem utatur, neminem tamen nota infidelitatis perſtringere, vel ab hac ſolvere poſsit, nec dignitates, & beneficia eccleſiaſtica majoris ordinis, cenſusque, ac regales Abbatias, ſine eorum, quos in partem conſiliorum accepturus eſſet, aſſenſu conferre; integrum tamen ei erit, bona, quæ ſecundum veterem conſuetudinem, ad Fiſcum devolvi ſolent, *b*) ſi numerum XXXII. *Seſsionum* non excedunt, bene meritis de re publica donare, modo ne eidem, cui ſemel donaſſet, ſæpius conferret: proventus regios, ut res, & tempus monebunt, in utilitatem publicam, Conſiliariis adhibitis convertet: hic, ſi in judiciis ſententia ferenda fuerit, præter Palatinum, & Judicem Curiæ, duos ex Prælatis, totidem ex regni Baronibus, & ſex ex ordine equeſtri deliget, alias vero unum ex Prælatis, & Baronibus, duosque Nobiles in conſortium adſciſcet, ſi plures volet, in ejus arbitratu erit, quemadmodum & domicilium, ubi libuerit, fige- 1446.

Y 2 re,

a) Litt. Capituli Orodien. an. 1448. hæc diſerte: *quod magnificus dominus Nicolaus de Wjlak inter ceteros honores, regni Hung. Vicarius generalis &c.*

b) Conf. Notit. præv. §. 19.

re, denique exercitum, si periculi magnitu-
1446. do, ac necessitas postulaverit, ipse ducet. a) Hos limites sibi præscriptos, juramento sigilloque suo firmatos, b) publicis tabulis testatus est, & ut initia suæ gubernationis insigni facto commendaret, Laurentium de Hedervara, etsi illum sibi maxime adversari non ignoraret, in Palatini dignitate confirmavit.

Nondum Ordines conventum solverant, cum litteræ a Friderico allatæ sunt, quibus de injuriis, quas Hunyiades, dum Cilejensem armis represserat, Stiriæ intulerit, graviter questus est, peneque ei apud illos, qui illi infensi erant, & erant hi non pauci, invidiam conflasset, nisi

a) Ex autogr. cit.

b) Sigillum exhibet corvum gentilitium cum Luna decussata, & hac perigraphe: *S. Joannis de Huniad. Gubernatoris. Regni Hungarie* Litteris donationum solebat Sigillum etiam Ordinum adjungi, hac verborum, quæ in litt. an. 1446. fer. 2. ante fest. BB. Petri & Pauli Apost. exstat, forma: *quibus Sigillum nostrum, quo nunc ceu Gubernator hujus regni utimur, sed & Sigillum universitatis ejusd. regni Hung. penes Sigillum nostrum, de nostro beneplacito ac dictorum DD. Prælator. & Baron. assensu sunt appensa.* Sigillum autem Ordinum refert crucem patriarchalem tricolli insistentem, cum hac epigraphe: *S. Prælatorum. Baronum. & Nobilium. Regni Hungarie.*

nisi is prolixa epistola, ab hac criminatione se purgasset. a) Nec Fridericus ultra querelas progressus est, & Hunyiadem periculum Transsilvaniæ, Pestino avocavit. Wladus, alias, quod suis ob crudelitatem exosus esset, *Dracula* dictus, b) copias suas Turcis conjungens, vastata Transsilvaniæ parte, quatuor fere millia captivorum abacta, servituti Turcarum subjecit. Barbarum facinus, Hunyiadi stimulus erat accelerandi. Ut in Valachiam venit, facile nefarium hominem, a suis desertum, in fugam conjecit, eique *Danum*, qui Draculam e fuga retractum, cum filio interimi jusserat, fiduciario jure Hungariæ obnoxium subrogavit, cujus exemplum Vajvoda Moldaviæ sequutus, se quoque in clientela Hungariæ futurum professus est. c) 1446.

a) Joan. de Zredna epist. 21. apud Pray Part. III. pag. 46.

b) Valachi diabolum etiam hodie vocant *draculam*.

c) Joan. de Zredna epist. 25. l. cit. Hoc illi tamen post mortem, inimicis instigantibus, vitio datum est, ut habent litt. autogr. Ladislai an. 1457. XII. cal. Apr. *Vajvodas nostros Transalpinensem, & Moldaviensem, nobis, & regno nostro fideles, alios occidi, alios expelli fecit, & eorum loco alios, quos sibi obligatos fieri debere putavit, superinduxit.*

1446. Reduci ex Valachia, res cum Friderico fuit. Cum enim is nec pupillum, nec coronam, ut nuper polliceri videbatur, redderet, & Hunyiadis, ad reprimendos adverfariorum conatus, magnopere referret, ut Rex in Hungaria effet, hunc armis repetendum ex Ordinum voluntate conftituit. Caufis, cur id faceret, ad Pontificem, & Ducem Venetorum, ad vitandam invidiam, perfcriptis, caftrisque ad *Sarvarum* pofitis Viennenfes, ut in communi caufa fe Hungaris fociarent, invitavit, quos cum dubios, in quam partem fe darent, videret, vaftato Neoftadienfi agro, Viennamque propius movens, rurfus in communionem armorum vocavit. Tam vicino hofte territi, Legatos proxime a Friderico mittendos refponderant, qui cum eo transacturi effent. Nec multo poft adfuere Comes Cilejenfis, & Schlickius, qui olim Sigismundo, & Alberto a confiliis, infigni rerum tractandarum peritia pollebat. Cum hoc igitur ita conventum, Cilejenfis Caftrum Jaurinenfe ad futuras IV. Nonas Februarii, Hungaris reftituet, nifi faxit, impune his erit, fi ditiones illius hoftiliter invaferint. Fridericus, ne Stiria hac occafione incurfionibus pateret, conditionem rejecit, & Hunyiades arma refumfit. *a*)

III.

a) Acta publ. civit. Viennen. apud Pray Part. III. pag. 47. 48.

III. Quo minus autem res in apertum bellum eruperit, induſtria Juliani Cardinalis S. Angeli, qui Viennam per id tempus venerat, factum, qui crebra nunciorum ad Fridericum miſsitatione, inducias biennales utrinque conciliavit, quarum hæc erat ſententia: Fridericus Ginſium, & vicina oppida, quæ in pignore tenebat, Albertus vero, frater illius, *Kismartonium*, cum vicis adjacentibus, donec pignoris rationes illuſtreutur, poſsideant, Jaurinum contra Hungaris reddatur, poſsint tamen Auſtriaci ſupellectilem ſuam bellicam inde prius efferre: Ladislaus de Gara, ſubſtituto ſuo fratre obſide, ex Græcenſi captivitate, dimittatur, intra anni tamen ſpacium ſe ibidem rurſus ſiſtat, niſi forte interea pactis conventis in libertatem vindicetur: vetitum præterea, ne Hungari ea, quæ Fridericus in Hungaria poſsidet, Auſtriamve, nec Auſtriaci Hungariam infeſtent, qui contra facerent, in hos utrique pœnis animadvertant: poſtremum; octo ex Hungaris menſe Novembri Viennæ adeſſent, ut, Nicolao V. Pontifice arbitro, pax ſtabilis poſsit coaleſcere. a) Hunyiades, qui interea, ſi legatio non eum, quem ſperabat, exitum haberet, Polonos ſibi conciliare ſtudebat, conditiones, ut primum allatæ ſunt, ne quid 1447.

a) Acta publ. urbis Vienn. apud Pray Par. III. pag. 47. — 60.

ſuo arbitrio gerere videretur, conventu Bu-
1447. dæ habito, Ordinibus proponi juſsit, quas cum hi quoque ratas haberent, actum eſt de Palatino, Laurentius enim de Hedervara ſub idem tempus obierat, eligendo. Electus eſt Ladislaus de Gara, ſuccisa tamen poteſtate in Budam, ceterasque urbes regias, quas deceſſor ſibi uſurpaverat, & Ordines jam anno ſuperiore decreverant, ut in arbitrio Gubernatoris eſſent. *a*)

Induciis cum Friderico conciliatis, bel-
1448. lum in Turcas, quorum apparatus Hungariam deſignare videbantur, decretum. Hunyiades quidem Moldavum, qui datæ fidei immemor, in Polonorum clientelam recens conceſſerat *b*) in ordinem prius redigere cogitabat, niſi præſentius periculum ab Amurathe incubuiſſet. Significaverat id Pontifici, regi Arragonum, & Venetorum Duci, a quibus ſubſidium ſperabat. Laudarunt omnes propoſitum, ſed ultra laudes nihil præſtitum. Collecto igitur viginti duorum millium exercitu, ultra Belgradum progreſſus, ad Sophiam conſtitit. Amurathes non longe aberat cum octoginta millibus. Cum ſe numero inferiorem videret, facto in tutiora loca receptu, aptum pugnæ ſitum in campo Merularum delegit, pau-

a) Dogiel Tom. I. pag. 58. ſequ. Math. Bel. Tom. III. Notit. Hung. nov. pag. 207.

b) Joan. de Zredna l. cit. epiſt. 29. 31. 35. 39.

pauloque post prælium consertum, & in alterum diem extractum est: primo victor, altero, 1448.
proditus a Despota Serviæ, victus, reliquias ad Istrum reduxit, sed, cum itinere a suis paulum diverteret, a duobus Serviis interceptus, mox tamen, uno eorum cæso, & fugato altero, liber, a Despota rursum captus, nec ante dimissus est, quam, Ladislao filio natu majore dato obside, Mathiam natu minorem, filiæ Ulrici Cilejensis se desponsurum promisisset, & *Marnavicsius*, admotis Szenderoviæ copiis suam quoque operam ad eum liberandum contulisset. *a)*

IV. Ex captivitate reversus, ne maligno de se per Europam spargendo rumori occasi- 1449.
onem daret, seriem pugnæ, ut gesta erat, ad utrumque oratorem suum, Romam perscripsit, illud præcipue illis commendans, ut inde quoque subsidia corrogarent, ipse autem nihil a rei publicæ studio remittens, in eam curam animum maxime intendit, ut regnum ab externis, & domesticis hostibus, magnam enim ab accepta clade invidiam apud Optimatum præcipuos incurrerat, tutum præstaret. Misit hac de causa ad Fridericum Legatos, & constabilita cum Cilejensibus ami-

a) Idem, & Chalcondyl. l. 7. Erasm. Fröhlich specimen 2. genealog. chronolog. Comitum Goritiæ. Kercselics Notit. prælimin. Dalm. &c. pag. 272.

amicitia, inducias, interprete Despota Ser-
1449. viæ, cum Turcis inire constituerat. Verum homo suspicionum plenus, bellum sibi parari ratus, negotium dolis suis infectum reddidit. Itaque ut versipellem, & in utramvis partem varium castigaret, ademtis ditionibus, quas in Hungaria habebat, coegit, ut Ladislaum filium, quem obsidem tenebat, liberum dimitteret. Cum Bohemis quoque, quod Frideri-
1450. cus iter Romam pararet, secumque pupillum ducturus ferebatur, inducias confecit, & Comitia Posonium indixit, ut ex loci propinquitate, si quid rumori subesset, facilius consilium pro re nata, depromi posset. Una omnium vox fuit, pupillum repeti oportere, idem Bohemos desiderare, Austrios quoque ipsos dominationis Friderici jam tædere, nec permittendum, ut puer teneræ ætatis, & tanto itineri sustinendo impar, extra suas ditiones educatur. Hunyiades ante omnia Pontificem per litteras, ut is auctoritatem suam interponeret, orandum duxit, tum rursus missi ad Fridericum Legati, qui pupillum cum corona repeterent, agerentque, ut Ladislaum de Gara, Palatinum a data Græcium redeundi fide, liberum pronunciaret. Postremum non difficulter impetratum, cetera non item; de quibus tamen postea in has conditiones utrinque conventum: Fridericus pupillum cum corona tam diu in tutela teneret, donec is decimum octavum ætatis an-

num

num compleverit, interea autem nec Hungari Auſtriam, nec Auſtrii Hungariam armis infeſtabunt, & Fridericus Gubernatori nullum in adminiſtrando regno impedimentum afferet, nec ab aliis afferri patietur, quin contra tales, ſi neceſſe fuerit, eidem auxilio erit. *a*) 1450.

Fridericus, conciliatis ſibi hac ratione Hungaris, pacatis quoque ſtudio Æneæ Sylvii Bohemis, itineri Romano ſe parans, 1451. ducto ſecum pupillo Græcium, & hinc Villacum conceſsit. Abſentia illius occaſionem Auſtralibus res novas moliendi præbuit. Concitator erat Ulricus *Einczingerus*, qui inita cum plerisque Proceribus conſpiratione, pupillum ex itinere remitti poſtulabant, cœlum Italicum puero grave futurum cauſati, re ipſa autem, ut eo in poteſtate habito, provinciam ſuo arbitrio adminiſtrarent. Friderico id crimini datum, quod provinciales exauctis vectigalibus premeret, & Alberti teſtamentum, quo duos ex Auſtriæ optimatibus, infanti tutores conſtituerat, irritarit, ejusque theſaurum, hæredi relictum, intervertiſſet, ſimul Magiſtratum a Friderico renunciatum loco decedere

a) Thurocz Chron. Par. IV. c. 39. & 47. Joan. de Zredna l. cit. epiſt. 49. 67. Dlugoſs. l. 13. Cod. Ms. biblioth. Mellicen. apud Pray Part. III. pag. 70. Haſelbach apud Pez Tom. II. col. 368. Æn. Sylvius hiſt. Boh. c. 58. & 59. Gerard. de Roo l. 5.

dere cogunt, aliumque constituunt, qui cu-
1451. ram pupilli, & provinciæ deinceps gereret, idque misſis ad Fridericum nunciis, quibus Vienna, ceteræque urbes, ſuos adjunxerant, ſignificarunt, neve ſoli invidiam ſibi apud exteros conficerent, Bohemos, & Hungaros quoque in fœderis communionem vocarunt. *a)*

Ac hi quidem rebus domi iterum turbatis, ſocietati illorum tunc quidem accedere non poterant. Bohemi enim, qui Giscram ſequebantur, vicinas ditiones, contra pacta conventa, incurſare, prædasque agere identidem ſolebant, quos ut ab inferendis deinceps maleficiis cohiberet, latibula illorum demoliri ſtatuerat. Egit rem primum alterna fortuna, poſtea militiam meliori uſui ſervans, pacem cum Giscra, depenſis decem millibus, & ſexcentis auri florenis pactus eſt, Giscra vicisſim ſe in Hungarorum arbitrio futurum ſpopondit, ſed, ut turpi nundinationi fucum honeſtatis allineret, tam diu ſe pactis ſtaturum profeſſus eſt, donec Ladislaus regni poſſeſsionem adiret, quaſi non tam prædarum, & lucri cupidine, quam ſtudio, quo in pupillum ferebatur, arma corripuiſſe videretur. *b)* Gu-

a) Æn. Sylvius in rebus Friderici, analect biblioth. Cæſar. Tom. II. apud Pray Par. III. pag. 80.

b) Idem ibid. apud eund. pag. 82. — 84. & diplom. familiæ Rozgoniorum an. 1453. apud eund. pag. 130.

Gubernator, cum ex depactæ pecuniæ vadimonio, quod Ordines in ſe receperant, 1451.
& alias quoque uſu ipſo comperiſſet; multos ex Proceribus clanculum ſibi infenſos eſſe, ne malo inteſtino externum quoque accederet, inducias cum Mahumete, qui Amurathi interea ſucceſſerat, in tres annos pepigit. *a*) Eadem opera, agente imprimis Joanne *Vitezio*, Varadinenſi Epiſcopo, amicitiam cum Georgio Serviæ Deſpota, & affinitatem, his conditionibus iniit: Eliſabetha Ulrici Cilejenſium Comitis filia, quam ex Catharina Deſpotæ filia natu maxima ſuſtulit, altero ab hinc anno, ad feſtum Divi Nicolai, Mathiæ Hunyiadis filio, peracta prius ſponſione, in manus conveniret, ſponſam, ut eam domum deduxerit, religionem Græco ritu profiteri, ejusdem religionis quoque famulos habere permittet: ſi illa ad condictum tempus ſponſo jungi nollet, vel Deſpota promiſsis non ſtaret, tum bona illius, quæ beneficio regum Hungariæ, in Bereghienſi, Szathmarienſi, Biharienſi, Sirmienſi, Torontalenſi, Craſſovienſi, & Zarandienſi, provinciis poſsidet, ad Gubernatorem, & ejus filios, horumque hæredes devolverentur: ſin vero utrumque ſponſum ante initum matrimonium obire contingat, amicitia nihilominus inter utrumque paci-

a) Chalcondylas l. 8. & Ducas pag. 131.

pacifcentem firma perfifteret. *a*) Hæc De-
1451. fpota edito juramento confirmavit, fponforibus, quod mirum videri poteft, fere iis, qui, ab Hunyiadis obitu, familiæ illius præcipui hoftes erant. *b*)

V. Nondum Fridericus fequentis anni
1452. VIII. Martii Romam attigerat, cum Auftrales, confentientibus Bohemis, Moravis, & Stiris, pupilli caufam communiter tuendam fufcepere, Hungaris quoque, in quorum viribus plurimum fpei reponebant, in focietatem adfcitis. Congreffus Viennæ habitus eft, & fœdus III. Nonas Martii, concordi omnium fuffragatione, his conditionibus percuffum: ad liberandum pupillum omnes mutuo fibi auxilium ferent, fi lis illius caufa inter pacifcentes oriretur, ea communi judicio fopienda, & pupillus libertati reftitutus, Pofonii ea ratione, quam pater teftamento conftituerat, educandus erit; quem fi prius mori contingeret, quam hæreditatem paternam adeat, & propterea damnum aliquod fœderatis inferretur, ad id ulcifcendum omnes, non habito

a) Dat. in Zenderew fabbat. prox. ante feft. B. Laurentii M. 1451. Primus id vulgavit D. Spiefs archiv Nachrichten Part. I. pag 173. integrum autem exhibet Katona Tom. XIII. pag. 778.

b) Inter hos fuere Laurentius de Gara Palatinus, & Nicolaus ab Ujlak.

bito Nationum discrimine vires suas conjungent. *a)* Firmatis pactis oratores, inter quos Jaurinensis Episcopus erat, ad Pontificem, & Cardinalium collegium missi, qui, ut pupillus e Cæsaris potestate eximeretur, flagitarent; sed, cum Fridericus omnium animos jam occupasset, illiberaliter accepti, & Australes præterea sacris interdicti, Hungari vero, ut se ab iis sejungerent, admoniti sunt. *b)* Australes nihil hac denunciatione territi, primum scripto publico Concilium generale appellabant, tum, ubi pædagogum Ladislai, quod huic auctor fugæ fuerit, in carcerem a Cæsare conjectum audierant, magis irritati, reducem a Romana coronatione, Neostadii sub finem mensis Augusti, obsidione cinctum, ad ineunda pacta adegerunt. Conciliatores Dux Bavariæ & Marchio Brandenburgensis fuere, qui adscitis in consortium Marchione Badensi, Salisburgensi Primate, & Frisingano Episcopo, in hanc sententiam cum Australibus coaluere: Cæsar pupillum curæ Comitis Cilejensis, cui alioquin consanguinitate junctus esset, committat, & in villa Bertholdi servet 1452.

a) Ex Cod. Ms. biblioth. Mellicen. apud Pray Part. III. pag. 89. exstat quoque in hist. Ms. Austriæ L. B. a Greyssen, Tom. II. l. 7. f. 705. seq.

b) Aen. Sylvius in rebus Friderici III. apud Pray Par. III. pag. 92. — 111.

vet, nec prius admoveat regimini, quam cognati Duces cum Hungariæ, & Bohemiæ
1452. Proceribus, in futuro Viennensi conventu, qui ad XI. Novembris indictus erat, quod reliquum esset, constituerent. Ita Ladislaus Comiti traditus, primum in villam Bertholdi, ubi, ne quid Stiriacum ei adhæreret, thermis usus, postea Viennam contra datam fidem deductus est. *a*) Cominus Urbi appropinquantem soror Elisabetha velut ab exilio reducem complexa, & matronæ Viennenses serto ex unionibus contexto ornatum, cum urbico magistratu, ad Divi Stephani deduxerant, & gratiæ, ob liberatum Principem Deo habitæ.

Abhinc rem publicam, aliorum magis, quam suo, arbitrio capessens, Hunyiadem in dignitate confirmans, Austriam Comiti Cilejensi, & Bohemiam Georgio Podiebradio gubernandam credidit. Primo honor præ reliquis habitus, quem, erecto ad id, in foro Carmelitarum, suggestu, Comitem Biztricensem, regio amictu ornatus, renunciavit, eique haud aliter, quam Principibus solet fieri, insignia contulit, *b*) edito serius diplomate, quo præclare facta illius, a juventute ad hoc tempus bono publico utiliter præstita, insigni

a) Aen. Sylvius in rebus Friderici Tom. II. analect. alias cit. & hist. Bohem. c. 60. & 62.

b) Idem ibid. & in Europa c. 22.

gni laudum encomio complexus eſt. *a*) Sed id illi apud non paucos Optimates magnam invidiam conflavit, qui, cum tot honores, &, qui his conjuncti erant, amplifsimos fundos, in hominem, cujus vel ipſa incunabula non ſatis certa ferebantur, *b*) conferri ægre paterentur, innocuum adolescentis animum variis ſuſpicionibus impleverant, qua de re Hunyiades a familiaribus admonitus, ipſe ſecuritati ſuæ etiam conſulens, amicitiam, qua alter alterum contra invidorum conatus ſe defenſuros receperant, cum Giscra iniit, quod illi deinceps in fraudem vertit. *c*) 1452.

Dies interea Conventui præſtitutus, & Legati a Friderico Viennam advenerant, inter quos licet etiam Æneas Sylvius, rerum tractandarum peritiſsimus, eſſet, nihil tamen, quod utraque pars mediocritatem in poſtulando excederet, confici potuit: Hungari coro-

a) Vide Pray Par. III. pag. 25. — 28.

b) Sunt, qui illum Sigismundi regis, ex illegitimo thoro, filium fuiſſe perhibent, alii, inter quos Bonfinius, ex Romana Corvinorum familia originem ducere autumant, alii denique, & vero ſimilius, ex patricia Valachorum ſtirpe, quæ deinde per conjugia Hungarico ſanguini innexa fuerit, ortum cenſent. Conf. Pray Par. III. 185. & ſeq.

c) Aen. Sylv. in rebus Friderici III. l. cit.

ronam, & urbes, quas Cæſar in pignore ha-
1452. bebat, ſibi gratuito reddi flagitabant, Fridericus contra, niſi pignus numerata pecunia dilueretur, id ſe facturum negavit, & ſumtus, quos educando pupillo hactenus impenderat, ſibi præterea compenſari voluit, ita conventus, rebus infectis, ſolutus fuit. Mox inter ipſos confœderatos lis exorta; Bohemi regem Pragæ, Hungari apud ſe morari optabant, utrique, ſi diutius abeſſet, rem publicam periculo non vacare contendebant: altercationi Ladislaus, paululum mentem in ſe reflectens, finem fecit, & ad Hungaros converſus, *mihi*, inquiebat, *quia ſum Hungarus, apud vos eſt manendum,* quæ vox mira lætitia illorum excepta, & epiſtolis per regnum vulgata fuit, Bohemi vero, & Auſtrales in ſententia regis conquievere. *a*)

VI. Poſonium igitur ſequente anno veni-
1453. ens, quo regni Ordines frequentiſsimi confluxerant, regni poſſeſsionem auſpicatur eſt a Comitiis. *b)* In his primum ipſe de ſervandis regni immunitatibus, juramentum pro more dixit, idem vicisſim Ordines de fidelitate eidem præſtanda edidere, tum ut in ipſo regiminis aditu nomen ſibi a clementia conciliaret, delictorum omnium, quæ ab Alberti

a) Aen. Sylvius in reb. Friderici III.

b) Annos tamen regiminis a coronatione numerabat.

berti obitu, in ſe commiſſa fuiſſent, veniam fecit, idque, ſi qui vellent, litteris ſe teſtaturum pollicitus eſt. Donationes matris ſuæ, forte eorum, qui indonati abierant, conſilio irritas declaravit, iis ſolum exceptis, quas Ordinum conſenſu feciſſet, eas vero, quas Gubernator hactenus fecerat, ratas habuit. Caſtella reliquaque munimenta, quæ nec regum, nec Ordinum indultu exſtructa erant, ſolo æquari juſſa, qui imperata non facerent, in eos ut ſententia in proximo Albenſi conventu ferretur, decretum: poſtremo cautum, ut, qui bona aliis per vim eripuiſſent, ea dominis ſuis reſtituant, qui renuerent, notam infidelitatis incurriſſe cenſeantur. *a*) Hæ quaſi primitiæ novi regis erant, Gubernatori propemodum exitioſæ. Sub ipſis enim Comitiis fama didita erat, illum, ut in priſtina dignitate a rege confirmaretur, Comiti Cilejenſi quotannis XII. aureorum millia promiſiſſe, atque ita, ſi alia XXIV. regi quovis anno ſtipulata, in cenſum veniant, poſſeſsionem regni, XXXVI. aureorum millibus emtam fuiſſe. *b*) Etſi quidem conſtaret, hæc ad conciliandam Hunyiadi invidiam, ab inimicis ſparſa eſſe, Ladislai tamen animum, qui per ætatem primæ fere admiſsionis erat, ſenſim ab Hunyiade alienum reddidere, &

1453.

Z 2 odii

a) Exſtat in Cod. jur. patrii Tom. I. pag. 207.

b) Aen. Sylvius l. cit.

odii inter hunc, & Cilejenſem, ſemen erant,
1453. quod poſt illius mortem in apertum erupit.

Cilejenſis, ſoluto Conventu, regem non diu Poſonii paſſus morari, Viennam reduxit, &, ut illius nomine rerum poteſtas penes ſe eſſet, educationem illius ad omne voluptatum genus ita informare decreverat, ut, niſi adoleſcens in Cæſaris aula parſimoniæ conſuefactus, illo melioris indolis fuiſſet, omni fere vitio inquinandus fuerit. *a*) Sed rationes corruptiſsimi hominis commode Bohemi interturbarunt, qui regem a Poſonienſi reditu, ut ad ſe veniret, orabant, qui iter Beohemicum alioqui apud ſe jam conſtituerat, pecuniæ tamen defectu hactenus diſtulit, quod hanc Auſtrales, niſi Ordinum conventus haberetur, ſe daturos negarent. Corneuburgum igitur delectum; id Cilejenſi, qui hunc locum, ne quid Viennæ in ſe ſtatueretur, delegerat, exitio fuit. Einczingerus enim, qui ſe illius technis aula ſubmotum ſciebat, hominis ſceleſtam vitam, ſummæ arrogantiæ conjunctam, convento clam rege, ita tetre depinxit, ut illum Viennam redux, confeſtim aula exeſſe juſſerit. *b*) Præbito deinde ſumtu a provincialibus, iter Bohemicum ingreſſus, dictoque in limitibus conſueto alias

a) Aen Sylvius in reb. Friderici III. l. c. apud Pray Par. III. pag. 121.

b) Idem ibid.

alias juramento; Pragam veniens, coronatus est. Peracta inauguratione, Podiebradio regni gubernationem in sexennium credidit, ignarus, hac ratione ei viam sensim ad solium sterni. 1453.

Sub hæc res haud satis pacatæ ex Hungaria afferebantur; qui invidia in Gubernatorem flagrabant, suo arbitratu ei sex Prælatos, totidem ex Baronum, & Nobilium Ordine adjunxerant, qui cum illi difficilem, & impeditam administrationem redderent, litteras querelarum plenas ad regem dedit, sed responsum in utramvis partem tam ambiguum accepit, ut facile appareret, aut non imprudente rege id factum, aut certe criminationes, quas aliqui Magnatum Viennæ, & Posonii in illum conjecerant, eas jam radices in animo regis fixisse, ut non invitus id factum ferre videretur. *a*)

Pragæ magna anni parte exacta, Wratislaviam digressus, constitutis magistratibus, fidelitatis sacramentum a provinciæ Ordinibus accepit, ubi, cum Poloniæ Legati illum convenissent, sororem Elisabetham Casimiro regi ea conditione despondit, ut sequente anno

 con-

a) Litt. regis ex Cod. Ms. biblioth. Mellicens. apud Pray Par. III. pag. 152. sed an. 1453. rescribendus, Pragæ enim an. seq. non fuit, nec ante, quam 1456. illo reversus.

conjugem acciperet, a) tum, increbrescen-
1453 te b) in dies fama de capta a Turcis Constantinopoli, Viennam reversus, comitem Ciljensem, eorum, quos inter familiares, sed precio facile mercabiles, habuit, consilio usus, in pristinum honoris, & gratiæ locum reposuit. Subinde Legati ex Hungaria adfuere, qui, Procerum nomine, regem, ut ad se inviseret, orabant. Erant hi fere ex eorum numero, qui in Hunyiadem jam pridem infenso animo fuere. Cilejensis locum illius etiam in Hungaria captans, sæpeque cum his congressus, cum primum regem seorsim nactus est, maximorum criminum Hunyiadem reum agebat, illum, non vero Ladislaum, regem esse, deferri ad illum census regios, & vectigalia, quibus in rem magis suam, quam regni utatur, Turcis quidem infensum videri, re ipsa amicum esse, his semel, iterumque exercitum prodidisse, unum quoque regem ab

a) Documenta vide apud Dogiel Tom. I. pag. 155. — 160. & Aen. Sylvii epist. 140. *nunc apud Wratislaviam inter regem Pol. & Alberti filiam matrimonium tractatur. Ex Græcio d. 11. Aug.* 1453.

b) De expugnatione hujus urbis qui plura volet, consulat Aen. Sylvii epist. 141. & 159. Relationes varior. apud Bzovium ad an. 1453. item Martene thesaur. anecdotor. Tom. I. col. 1819. & seq.

ab eo jam perditum, facile futurum, ut idem alteri contingat, nec dubium videri, quin tyrannidem affectet, proinde Viennam esse arcessendum, &, si in ordinem cogi non posset, e medio tollendum. Fidem fraudulento homini habuit, Gubernator Viennam vocatus, cum bis mille equitibus in regni limine ad *Köpcsinium* substitit, ab amicis Vienna admonitus, ne ultra progrederetur. Hic ei Cilejensis obviam factus, a rege illum exspectari, iter proinde acceleraret, hortatur, renuit primum, mox amicorum, Lambergeri imprimis hortatu, si sibi Rex publicæ fidei litteras mitteret, se venturum pollicitus est. Promissæ sunt, sensimque urbi ad quatuor millia passuum appropinquans, cum sibi litteræ non redderentur, dolum subesse suspicatus, in Hungariam rediit. *a*) 1453.

VII. Cum Cilejensis hanc machinam frustra ab se admotam videret, quod alias dissuadebat, nunc regi auctor erat, ut in Hungariam profectus, Comitia indiceret, ratus, se dolum isthic facilius adornaturum, quod non ignoraret, non paucos ex Hungaris, præcipue Palatinum, qui suam auctoritatem a Gubernatore accisam existimabat, eidem perinfensos esse. *b*) Prius tamen regis animum, 1454.

 quem

a) Æn. Sylvius in reb. Friderici III. l. cit.
b) Idem epist. 127. *In Ungaria Prælati, & Barones infensi sunt Joanni Hunyiadi Wajvodæ &c.*

quem jam ante ſuſpicionibus impleverat, ab
1454. eo penitus avertere cupiens, aliquos ex Prælatis, & Baronibus ſubornavit, regi id conſilium darent, ut civitates, & proventus regios, miſsis nunciis, ab eo repeteret. Hunyiades veritus, ne illi adoleſcentia regis abuſi, proventus in ſuum lucrum convertant, primum morari viſus, mox tamen, cum mandata iterarentur, imperata confeſtim fecit. Verum hæc ipſa mora novam æmulis occaſionem præbuit, augendæ in illum apud regem invidiæ, quo ille certis indiciis cognito, Buda diſceſsit, nec Comitiis, niſi redditis ſibi publicæ fidei litteris, adeſſe voluit, rurſumque rege ſalutato receſsit, *a)* non ignarus, Comitia quidem belli Turcici cauſa eſſe indicta, re ipſa autem id agi, ut loco, & dignitate moveatur, ut ex eventu patuit.

Ante omnia enim in Comitiis, antiquato Gubernatoris nomine, & poteſtate, ſola armorum præfectura Hunyiadi relicta eſt, credo, neceſsitate magis, quam concordi voluntate, cum nemo per id tempus ad reprimendos Turcas, ſi quid, occupata Conſtantinopoli, in Hungariam tentarent, magis illo idoneus reperiretur. Gubernatore exauctorato, delecti certo numero ex Prælatis, & Baronibus, qui in proventus regios diligenter

a) Hæc Ladislaus in litt. autogr. an. 1457. XII. Cal. Apr. ab aliis incitatus, prolixe memorat.

ter inquirerent, ritene, an contra erogati fuerint, quove convertantur, satisne etiam sint, 1454.
ad præbenda iis stipendia, qui sub signis regiis merentur? dein ad propulsandum, quod vix jam vitari potuit, bellum Turcicum, rationes initæ: Archiepiscopi, Episcopi, Præpositi, Capitula, & Abbates, secundum proventus, ut olim sub Sigismundo, militem in numerato habeant, & bello intersint, Magnatibus quoque, & Proceribus imperatum, ut suos in bellum ducant, idem Nobiles unius sessionis per se præstabunt: nemini stipendia ex regio ærario præbebuntur, sed quisque suo sumtu militiam profitebitur: census capitum, quæ armis gerendis apta sunt, fideliter iniri jussus, quo inito, defectus equitis, quindecim, peditis autem, decem aureis, pensandus erit: nemini fas sit, clam, injussuve Ducis, ab exercitu recedere, qui fecerint, Nobiles bona sua amittent, ignobiles vero, capite plectentur; omnes denique, ubi tempus monuerit, & ab Hunyiade, exercitus ductore litteras acceperint, cum copiis suis eidem præsto sint. Hæc belli, si ingrueret, contra Turcas gerendi constituta ratio est, quæ cum videretur prisco mori contraria esse, petitum a rege est, ne suos deinceps simili onere gravatos vellet. a)

Fini-

a) Decretum exstat in Cod. jur. patr. Tom. I. pag. 209. estque ordine secundum.

Finitis Comitiis, Rex Viennam rediit,
1454. ut ex Bohemis, & Auftralibus quoque fupplementa legeret. Capta enim Conftantinopolis folicitudinem toti Europæ, imprimis Germaniæ ingefsit, cum fama in dies magis, magisque increbrefceret, Mahometem ingentes rurfum apparatus facere, & bellum in Hungariam meditari, quin, violata induciarum fide, jam in Serviam irrupiffe, ejectoque Georgio Defpota, & capta Szenderovia urbe, ipfam arcem obfidere. Nec fama, re minor erat. Hunyiades, illatas fibi ab æmulis injurias, rei publicæ bono pofiponens, ut de periculo edoctus eft, collectis fumma celeritate copiis, in Serviam contendit, & adventu fuo Mahomet Begum ab obfidione arcis removit. Mox Fritzbegum cum XXX. millibus in Bulgaria, ad arcem *Krufolicium* excubantem, aggreffus fudit, captoque, cum reliquis Præfectis, Bego, vaftitatem latifsime circumtulit, exuftoque Vidino, cum fuis Belgradi fubftitit. Inde rei geftæ feriem ad Fridericum Cæfarem perfcripfit, orabatque, ut, cum totius Chriftianitatis caput effet, in communi etiam Chriftianorum caufa, cum reliquis Principibus, periclitanti Hungariæ fuccurreret, alioqui hac fubjugata, Imperium Germaniæ periculo proximum fore. *a)* Dum Bel-

a) Epiftolam vide apud Pray Par. III. pag. 145. ex Cod. Ms. biblioth. Mellicen. & apud Katona Tom. XIII. pag. 963.

Belgradi, remotus ab æmulis, ſuique ſecurus moratur, rurſum his nova illum criminandi 1454.
cauſa oblata eſt. Michael *Szildgyi*, quem Belgrado præfecerat, oborta cum Deſpota Georgio altercatione, huic dexteræ manus digitos amputavit, captumque non ante, quam numerata pecunia, dimiſit. Crimen ab æmulis in Hunyiadem detortum, additumque, Turcas ſtudioſe ab eo in Serviam fuiſſe immiſſos, & a rege creditum eſt. *a*) Ita homines invidi, cum illum virtute non poſſent æquare, calumniis oppreſſum ibant.

Nec Cæſar interim communi Chriſtianorum cauſæ defuit. Scripſerat ad Pontificem, eumque, ut expeditionem cruciatam promulgaret, hortatus eſt, ſimul conventum Imperialibus Ratisbonam indixit, ad quem Reges, & Principes Itali, ut adeſſent, rogati ſunt, cui cum ipſe intereſſe non poſſet, miſit Æneam Sylvium, cum Gurcenſi & Brixinenſi

a) Litt. regis an. 1457. cit. *Inductis Turcis, regnum noſtrum Raſciæ, fere totum per eosdem depopulari, deprædari, & comburi, & illuſtrem Principem Georgium, Deſpotum Raſciæ majeſtati noſtræ fidelisſimum, per Michaelem Zylaghy, quem caſtellanum in caſtro noſtro Nandoralbenſi deputaverat, amputatis digitis dextræ manus, captivari fecit, & tamdiu tenuit, quousque magnam ab eo pecuniæ ſummam, per eundem Michaelem extorqueret.*

nensi Episcopis, quibus suos quoque Com-
1454. missarios adjunxit. Comitia erant frequentissima, & disceptationibus, a causa, cur conventum fuerat, longe diversis protracta. Philippus Dux Burgundiæ, ut reliquis animum adderet, si Imperator, & Rex Hungariæ in bellum proficisci nollent, vel non possent, se Ducem offerebat, nihil tamen, quod Germania in partes scissa esset, confici potuit, induciæ solum quinquennes inter Principes Imperii sancitæ sunt, tractatio autem de bello Turcico ad conventum, qui Francofurtum in XXIX Septembris præstitutus erat, prorogata. In hoc res aliquanto felicius, quam Ratisbonæ, acta. Æneas Sylvius, dicta ad Ordines gravi oratione, omnium animos in bellum Turcis communiter inferendum commoverat, promissa sunt X. equitum, & XXXII. peditum millia, vicissim autem ab Hungaris postulatum, ut Rex vires omnes ex suis ditionibus congerat, de reliquis usui necessariis, futuro anno in conventu Neostadiensi visum iri, interea Pontificem rogandum, ut cum rege Arragonum, Venetis, & Genuensibus, de classe, ad distrahendum hostem, mari Ægæo immittenda agat, & Legatum suum, mandatis instructum conventui interesse velit, e re item videri, ut reliqui etiam Reges, & Principes in communionem armo-

armorum vocentur. *a*) Hæc Francofurti designata, cum Joannes Capiftranus interea, Germaniam juffu Pontificis oberrans, cruce fignatos ingenti numero in bellum Turcicum concitaret. 1454.

VIII. Neoftadienfis conventus, qui ad IV. Nonas Februarii indictus erat, & ad XI. Calendas Aprilis tenuit, non eum, qui fperabatur, finem habuit. Multum temporis in altercatione, inter Legatum Pontificis, & Trevirenfem Electorem, de priore fedendi loco, infumtum, tum difsidia inter Cæfarem, & Regem Hungariæ, aliosque Principes orta, mors denique Nicolai V. Pontificis, quo defuncto fpes clafsis in Turcas cogendæ evanuiffe videbatur, conventum, nullo operæ relato precio, diffolverunt. Hungaros quidem fibi pene folis relictos Calixtus III. mifsis per Europam, & in Orientem nunciis, in fpem erigebat, cum Turcas interea rurfus in Serviam irrupiffe, & Chium infulam obfidere, allatum effet, noftrique primum Jaurini, & dein Budæ de rationibus avertendi periculi confultarent, fuitque conftans exterorum, etiam litteris vulgata, opinio, ad id propulfandum, neminem Hunyiade aptiorem videri. Quod ubi Cilejenfis comperit, ne hac quoque parte ei fama accrefcat, viresque deeffent, regem 1455.

a) Hæc ex Cod. Ms. biblioth. Mellicens latius memerata, vid. apud Pray Par. III. pag. 147—150.

gem cum Sigismundo, Austriæ Duce, & Co-
1455. mite Tyrolis, fœderi contra Cæsarem involvit, &, ut de lite prius cum Saxoniæ Ducibus componenda, quam bello, cogitaret, auctor fuit. Ita fere alia omnia, quam Hungariæ necessitas postulabat, agebantur. Pontifex, videns, nisi compositis Principum dissidiis, parum ad coercendos Turcas effici posse, Joannem Carvajalium Legatum in Germaniam proficisci jussit, qui, postquam cum Cæsare colloquutus fuisset, ad Ladislaum Viennam profectus, cum hoc quoque de bello in Turcas accelerando egit, sed tam dubia ei nomine regis responsa ab Episcopo Varadiensi data sunt, ut, in quam partem accipienda essent, ambigeret. *a)*

Neque magis explicata responsa erant,
1456. quæ anno sequente Praga ad Pontificem miserat, pollicitus tamen est, uberius se responsurum, si primum in Hungaria, tum in Bohemia, ceterisque ditionibus hæreditariis conventum cum suis habuerit, ut rationes fu-

a) Ex archivo aul. Græcensi Nro. 62. Litt. Pontif. apud Raynaldum ad an. 1455. Litt. Joan. Capistrani, & Procer. Hung. ad Pontif. ex Wadingo apud Pray Part. III. pag. 157. Æn. Sylvius de Europa c. 58. & epist. 43. ad Cardinal. S. Angeli. ibid. Part. III. pag. 154. Cochlæus hist. Hussit. l. 11. Epist. Maonensium ad Pontif. apud Raynaldum Tom. X. ad hunc an.

futuri belli certius iniri poſsint, voluitque, ut id Legatus ad Pontificem perſcriberet. 1456.
Fecit, quod rogatus erat, & regem Viennam rediturum prævertens, datis ad Capiſtranum litteris, ſpem claſsis a rege Arragonum mittendæ fecit, modo ageret cum Hunyiade, cujus apud exteros magna eſſet exiſtimatio, ut, quoniam in Germaniæ Principibus parum ſpei eſſet, ad regem Arragoniæ, Ducem Burgundiæ, aliosque, pro ferendis ſubſidiis litteras daret. *a)*

Hi ex parte noſtra, ſed ſpebus ſolum nixi, apparatus erant, cum Mahometes, non ignarus, quam lente apud nos omnia ob diſtractos in partes animos fierent, cum centum & quinquaginta millibus, Belgrado ex continente, & claſſe adverſo Danubio ſubvecta, appropinquabat. Hunyiades, qui in Belgrado Hungariæ ſalutem reponebat, cum Capiſtrano, quem ingens cruce ſignatorum multitudo, ex diverſis nationibus conflata ſequebatur, celeriter accurrit, & impoſito, quantum ſatis videbatur præſidio, locum Michaeli Orſzagio, & Joanni Baſtidæ Hiſpano tuendum credidit, ipſe navibus undique in Danubium deduci juſsis, adverſam

Savi

a) Litt. regis ad Pontif. Praga 7. Janu. 1456. ex Cod. Ms. Mellic. apud Pray Part. III. pag. 166. epiſt. Legati Pontif. ad Capiſtranum apud eund. pag. 167. ex Wadingi Tom. XII.

Savi ripam, operibus communitam, ex qua
1456. laborantibus fubfidiarias copias poffet fubmittere, tenuit, jam multo ante Legatum Pontificis de hoftis progrefsionibus edocens, ut, quo loco res effent, ad regem referret. Cilejenfis, qui Hunyiadem implacabili odio perfequebatur, ut Legati conatus interturbaret, regem, propofito, quafi jam vicinum effet, periculo territum, venationis fpecie Buda eductum, Viennam reduxit. *a*)

Itaque Hunyiades fibi, fuæque virtuti relictus, confilia cum Capiftrano diligenter conferebat, quibus hoftium conatus retundi poffent. Jam is Belgradum ex continente, menfe Junio circumfederat, & flumentana urbe potitus, arci eductis operibus proximabat; femel, iterumque magna fuorum jactura rejectus, rem cuniculis egit, & dejecta murorum parte affultum parabat, cum Hunyiades, vifo periculo, mandata naviculariis dedit, ut, in claffem Turcicam invecti, hoftem in partes diftraherent. Succefsit res ex fententia, naves Turcicæ aut aquis merfæ, aut igni corruptæ, paucis fubductis, XXVI. interceptæ erant. Hic primus ad victoriam gradus fuit. Cum enim Turcæ, rurfus in fine Julii affultum tentarent, Hunyiades facta ino-

a) Epift. Legati Pontif. ad Capiftranum Buda. 5. Jun. *Serenifsimus 'dominus Rex ivit venatum, neque amplius eft reverfus.*

inopinata eruptione illos aggreſſus, memorabili prælio victos, in fugam egit. Mahometes, accepto vulnere, Adrianopolim evaſit, cæſa XXIV. millia, totidem in fuga ex vulneribus obiere, caſtra occupata, & præda ingens fuit, præter tentoria Aſiatico luxu ornata, CCC. majoris, & minoris formæ tormenta hoſtibus erepta. Pugnæ ſeriem, & victoriam Capiſtranus ad Pontificem, & Hunyiades ad regem perſcripſit, addiditque, Turcas, amiſſo ad Belgradum robore militiæ, tota Europa facile exturbari poſſe, ſi Principes Chriſtiani ſopitis, quibus diſtrahebantur, diſsidiis, communem operam ad id conferrent. *a*) 1456.

Didita victoriæ fama, Europam in eventum obſeſsi Belgradi ſuſpenſam, metu abſolvit. Pontifex, ad quem, Italiæ cauſa, lætitiæ pars maxima pertinuit, occaſione hac utendum ratus, Principes, inprimis Galliæ regem, cujus exemplum ad plures valiturum erat, ad bellum continuandum incitabat, ſpesque non in-

a) Litt. Joan. Taliacotii, apud Wadingum, annal. Minor. Tom. XII. ad hunc an. Raynald. Tom. X. Litt. Nic. de Fara ſocii Capiſtrani apud Wading. Tom. cit. Cod. Ms. biblioth. Mellicen. Nro. 78. Æn. Sylvius hiſt. Boh. c. 61. & epiſt. 226. Hæc fuſius ex coævis memorata vide apud Pray Par. III. pag. 171. — 183.

1456. inanis fuit, tali duce, qualis Hunyiades erat, Turcas in priſtina Aſiæ latibula retrudi poſſe, niſi is X. Auguſti, peſte ſublatus obiiſſet. Vir exterorum judicio magnus, ſed a domeſticis æmulis, quibus conditione generis quidem inferior, ſed virtute, & factis ſuperior erat, odiis, etiam poſt mortem exagitatus. a)

Ladislaus, Belgrado liberato, loci viſendi cupidus, Budam primum, dein *Fudakinum*, quo Ordines ad comitia venire juſſerat, cum Cilejenſi profectus eſt. Vocatus quoque fuit Ladislaus, Hunyiadis natu major filius, qui, niſi Rex proventus regni a patre rite adminiſtratos fuiſſe, judicio ſuo probaret, venire renuit. Imprudens adoleſcentis factum,

a) Wadingus Tom. XII. ad hunc an. Aeneas Sylvius epiſt. 239. & in reb. Friderici III. Anonym. ex cruciatorum numero, apud Bernard. Pez thes. anecdot. Tom. II. Par. III. *Dicam de homine illo armato, magnifico Joan. de Hunyad, Comite Biztricenſi, regni Hung. Gubernatore. Quantis, credis, ille ſuis diebus, fulſerit victoriis? quantis contra infideles concertaverit bellis? diſpoſitio enim, & campeſtria, contra Saracenos, & Aſianos, quomodo firmanda erant, ipſo melius nemo ſcivit. Terror erat infidelium, Italia & Aſia, plus in hoc tibi teſtimonium ſunt, quam ædes noſtræ. Rapuit etiam eum hoc anno ab humanis, noſtris obtutibus ipſa mors atrox.*

ctum, quo & patris famam, & se ipsum suspicioni peculatus objecerat, Cilejensi occasionem illius criminandi præbuit. Obtenta, quam volebat, declaratione, adfuit, a) & Belgradum, aliaque hosti finitima castra, quæ pater tenuerat, se regi consignaturum, juramento pollicitus est, simul Belgradum, ut ei hospitium pararet, præivit. Nec multo post Rex cum suo comitatu, in quo Oratores quoque Principum erant, & cruce signatis ex Austria deductis, illo venerat, cui Ladislaus ob- 1456.

Aa 2

a) Litt. regis, cit. an. 1457. *Dum nos ad vota, & instantiam Prælator. Baronum, &c. de Ducatu nostro Austriæ — movissemus, civitatemque nostram Budens. applicuissemus, indixeramus de consilio ipsorum Prælator. &c. congregationem in Futhak, in facto Turcorum celebrandam, vocavimusque inter alios præfatum Ladislaum adolescentiorem præfati Joan. Gubernatoris, — ut veniret, proponentes ipsum lateri nostro habere continuum, sed — ipse suum nobis denegabat accessum, nisi prius eum ac præfatum Mathiam germanum suum de suis, ac eundem quondam Joan. de Hunyad, genitorem suum, qui regni nostri Hung. Gubernator, collectorque generalis proventuum nostrorum regalium per plures annos extiterat, de hujusmodi proventibus —non data ratione, redderemus expeditos. Et quamquam in eo voluntati suæ satisfacere, graviter tulerimus &c.*

obviam factus, rege cum comitatu, in arcem
1456. recepto, ceteros aditu prohibuit. *a*) Id ei Cilejensis rursum crimini vertit, & regis animum suspicionibus implevit, qui dum, ut solebat, divinis aliquando assisteret, & reliqui de rebus Turcicis consilia inirent, vocatus quoque est Cilejensis, qui quasi præsagus futuri, thorace subtus vestem munitus adfuit. Hic altercatio inter hunc, & Ladislaum oborta fuit, sed dubium, uter prior huic occasionem dederit, illud certum, Cilejensem, arrepto vicini gladio, ictum in Ladislaum vibrasse, eique, cum manum ictui obtenderet, aliquot digitos resectos esse, mox, orto clamore, familiares Ladislai irrupisse, & ab his Cilejensem, nequidquam se defendentem obtruncatum fuisse. *b*) Rex, etsi tam atroci facinore

a) Ibid. *Dum cum præfato avunculo* (Cilejensi) *nostro, ceterisque aliis Baronibus Hung. & Boh. paucaque familia, nobis immediate a tergo hærente, castrum ipsum ingrederemur, portæ castri ad nutum suum impetuose post nos clausæ fuere &c.*

b) Æn. Sylvius in reb. Friderici III. *Venientem* (Cilejensem) *Ladislaus, filius Hunyiadis, proditorem compellat, qui patri sæpe necem paraverit, regemque sibi infensum reddiderit, nunc diem venisse, quo scelerum poenas luat. Sunt, qui Comitem prius arguisse Ladislaum dicant,*

nore commotus esset, compresso tamen dolore, cadaver, quinto post die, plaustro impositum, Cilejam jussit deferri, ipse Belgrado discedens, comitante Ladislao Temesvarinum pervenit. Hic ei vidua Hunyiadis, ob viri mortem moerens occurrit, quam paucis consolatus, veste aurea donaverat, & inter convivia, & saltatus utrique ejus filio impunitatem, litteris juramento firmatis, concessit. *a)* 1456.

IX. His promissis Ladislaus sui securus, nec quidquam maleficii ex patrata cæde veritus, cum fratre regem Budam comitatus, palatium officii causa sæpius adibat, cum Proceres Hungari, Cilejensis amici, regem suspicionibus implere non desinebant, revoca- 1457.

dicant, tamquam regi parum obedientem, qui ejus armatos intrare oppidum prohibuisset. Illud constat, Comitem arrepto ex puero gladio caput Ladislai petivisse, non nullosque manus interjectæ digitos amputasse, ad cujus clamorem irrupisse Hungaros, Ladislai familiares, defendentemque aliquamdiu se comitem, obtruncasse.

a) Litt. regis cit. an. 1457. *Postremo, nos — ad castrum Temesvar deductos, a nobis invitis promissiones juratas, etiam & litterales obligationes super eo, quod de cetero sibi, & — Mathiæ fratri suo hujusmodi eorum maleficia non imputaremus, ipse, & idem Mathias frater suus exegerunt.*

ta identidem in memoriam ſceleris immanitate,
1457. quod temerarius juvenis in regium conſanguineum commiſiſſet, majeſtatem regiam graviter per id læſam, auſurum majora, ſi id illi impune abeat, nec deeſſe indicia conſpirationis in necem regis, verendumque eſſe, ne, niſi conatus temerarii occupet, ſero vitæ ſuæ conſulat. a) His permotus, utrumque, arcem pro more ingreſſos, clauſis portis capi, & in carcerem conjici juſsit, capti cum illis ſunt, Joannes Varadienſis Epiſcopus, & aliquot Proceres, qui inſidiarum conſcii putabantur. Ladislaus, cauſa in quæſtionem vocata, capitis damnatus, & menſe Martio ad ſupplicium ductus, quarto carnificis ictu, nondum XXIV. annos natus, vitam in foro Sancti Georgii finiit. Mathias in vinculis retentus, poſtea Viennam abductus eſt, Varadienſis Epiſcopus, dum Rex Strigonium venit, liber

a) Ibid. *Et quamquam inviti illas fecerimus, nihilominus tamen, niſi ad ultimum cupiditate regni ductis, præfatis filiis dicti Joannis Gubernatoris, in necem, & periculum vitæ majeſtatis noſtræ, & Conſiliariorum noſtrorum conſpiratos fuiſſe, palam deprehendiſſemus, in tantum, ut, niſi providere potuiſſemus, infra triduum realiter ſcelus in ſanguine noſtro — compleviſſet.*

liber dimiſsus, reliqui, diſsimulatione cuſtodum, effractis carceribus evaſere. *a*) 1457.

Vix ſupplicii rumor per regnum vulgatus erat, cum Szilagius. Ladislai avunculus, cum hujus matre, ceterisque, qui familiæ Hunyiadianæ ſtudebant, inita ſocietate, ad ſumendam ex cædis auctoribus vindictam conſpirarunt, ſiebantque motus in variis regni partibus, qui majoris periculi, ſed latentis, indices erant, quibus mature ſopiendis, Rex Comitia, quæ in XXIV. Aprilis indixerat, occupare ſtatuit, ſed cum hæc quoque ob ingraveſcentes motus differenda viderentur, miſsis ad varias civitates litteris, ut vires ſuas contra publicæ tranquillitatis turbatores Joanni Giscræ conjungant, admonuit. Verum cum id etiam lente fieret, iidem, qui regi prius autores ſupplicii erant, pejore uſi conſilio, eidem nunc ſuaſere, ut vulgatis

a) Ibid. *Ipſos vitæ noſtræ inſidiatores, ut puta, præfatos Ladislaum, & Mathiam — captivari fecimus, & tandem ſervata juris forma, & poſt latam ſententiam, ipſum Ladislaum juxta ſua demerita, & ſuos exceſſus, in publico, capite plecti juſsimus, cunctis aliis, ſimilia machinantibus in terrorem, præfato Mathia, & aliis complicibus eorum, ex benignitate regia, in vita conſervatis.* Conf. Kaprinai hiſt. dipl. Par. I. pag. 134. — 162. & Pray Par. III. pag. 193.

per regnum litteris, facti sui causas redde-
1457. ret. Assensus est, vulgavit XII. Calendis Aprilis litteras, & in his commemorata, velut ob iter, Cilejensis nece, se a Ladislao captivum Belgradi detentum, inde invitum, Temesvarinum esse ductum, hic impunitatem patratæ cædis violente sibi extortam, Budæ autem vitæ suæ insidias fuisse structas prolixe recensuit, jure igitur capitis damnatum fuisse, &, ut causæ pondus adderetur, etiam Joannes Hunyiades variorum criminum, quæ illi ab æmulis per invidiam alias objecta erant, postulatus fuit. a) Sed illud improvide factum, quod in iisdem litteris, supplicii auctores, sibi, suisque hæredibus, a rege, hujusque successoribus, caveri flagitarint, ne unquam propterea ab aliis, injuriis lacesserentur, damnumque acciperent, &, si fieret, id reges de suo compensare, obstricti essent. b) Hæc satis, ut reor, pro-

a) Hæc ex iisdem litt. an. 1457. jam supra, ubi locus poscebat, memorata sunt. Conf. etiam Kaprinai l. cit. pag. 197. — 204.

b) Ex iisdem litt. ad fin. *Ne igitur, erga præfatos, Ladislaum Palatinum, Nicolaum Vajvodum, Paulum de Lindva Janitor. Ladislaum de Buzla Pincernar. Hennyng Czernin, agazonum nostrorum magistros, Conradum Holzler, magistrum Hubarum, Wolfg. Pukendar, Jodocum*

produnt, cauſas ſupplicii, præter cædem Ci-
lejenſis, quæ excuſari non poterat, ab his 1457.
excogitatas potius, quam veras, & regem,
qui illorum arbitrio regebatur, ut ſententiæ
ſubſcriberet, coactum fuiſſe. *a*)

Tan-

---

cum Capitaneum de Vegles, de tanta fidelitate ingrati videamur, promiſimus eis verbo noſtro regio, & ſub fide noſtra Chriſtiana promittimus per præſentes, noſtro, & ſucceſſorum noſtrorum regum nominibus, ut, ſi eos — ſive hæredes ipſorum, quiſpiam præmiſſorum ratione, qualitercunque, & quomodocunque inquietare, publicas inimicitias contra eos gerere, ſive eis adverſari, guerram movere, aut eos quovis modo gravare, & impedire, ſeu quomodocunque damnum inferre vellet, nos eis, & cuilibet eorum præſidio fore, eos manutenere, protegereque, & defenſare, damna quoque — eis generoſe recompenſare volumus, & tenebimur realiter, & cum effectu. Ad quæ omnia — nos, & — ſucceſſores noſtros reges, ſub præſcripta fide noſtra obligamus, & obligatos haberi volumus, præſentis ſcripti noſtri patrocinio mediante.

a) In Auſtriam rediturus, Epiſcopum Varadien. libertati reſtituens, his verbis uſus eſt: *Cum eſſem Budæ, quod voluere Barones, id facere me oportuit, quod te cepi, illorum eſt, quod te ſupplicio, culpaque libero, meum eſt.* Æn. Sylv. in reb. Friderici III.

Tantum autem abest, ut hac declaratione
1457. motus conquieverint, ut majora etiam in dies incrementa caperent. Recentior enim erat Hunyiadis, ejusque præclare factorum apud omnes memoria, quam ut hac criminatione, quæ plerisque per invidiam subornata videbatur, pacari possent. Itaque Rex præcipiti suorum consilio circumventus, cum intelligeret, famam suam periclitari, Viennam, ducto secum Mathia, rediit. Tentata quidem fuit, &, quod mirum videri potest, per Nicolaum de Vjlak, quem constabat Hunyiadianæ familiæ semper infensum fuisse, inter regem, & Szilagium concordia, irrito tamen conatu. Conditiones hujusmodi erant: Elisabetha Hunyiadis vidua consignabit regi omnia castra, quæ in Transsilvania, Servia, & in Hungaria juris regii fuere, iis solum exceptis, quæ hæreditate, vel donatione Alberti regis, aut ære comparata essent, interea autem Mathias apud Strigoniensem Archiepiscopum obses erit, nec ante, quam castra restituta fuerint, liber dimittetur. *a*) Res tamen, quod Szilagius Vjlakio non satis financial fideret, in solo conatu adhæsit.

Neç in Austria res satis pacatas reperit. Nondum enim dissidia inter Çæsarem, & Ladislaum ob Comitatum Cilejensem, quem Rex

a) Kaprinai Tom. I. cit. pag. 207. & Æn. Sylvius epist. 269.

Rex jure avitico ad ſe pertinere contendebat, licet Pontifex per Legatum ſuum omnem operam impenderet, componi potuere. Quod cum periculi plenum eſſet, ſi quid Turcæ in Hungariam occiperent, partes ſuaſu Ducis Bavariæ, Corneuburgum pro ineunda concordia vocatæ ſunt. Poſt longas conſultationes induciæ ſolum biennales conflatæ, tum Viennam diſceſſum, & de conjuge regi ducenda actum. Vota omnium in Margaretham Caroli VII. Galliæ regis filiam conſpirarunt, de nuptiarum tamen loco diu diſceptatum. Hungari Budam, Pragam Bohemi, & Auſtrales Viennam optabant deſignari. Cunctante rege, utris aſſentiretur, Podiebradius cum VIII. equitibus Viennam veniens, trans Danubium, quod urbem non ſatis tutam ſibi exiſtimaret, reſtitit, regique colloqui optabat. Miſsus eſt, qui illum in urbem deduceret, renuit, petiitque, quoniam arcani ratio id poſceret, ut Rex trans flumen ad ſe inviſat. Hæſitatum eſt, eundumne regi ad ſubjectum, an in urbe manendum eſſet? ivit tamen, licet invito ſenatu, euntem tria millia equitum, demtis gladiis, cetera inermium, ſequebantur. Triduum iſthic exactum: primo congreſſus erat publicus, altero arbitri duo adhibiti, tertio, his remotis, ſoli agebant. De quibus autem rebus inter ſe contulerint, nuſpiam

1457.

piam reperi. a) Illud conſtat, Podiebra-
1457. dium, ſoluto colloquio, minabundum in Moraviam receſsiſſe.

Atque id in cauſa fuiſſe videtur, ut ad hunc placandum, Pragam nuptiis ſuis deligeret. Nec diu Viennæ moratus, ingenti cum apparatu illuc profectus eſt. Inde Legati cum donis regina dignis in Galliam pro deducenda ſponſa, ad Cæſarem quoque, & ad Saxoniæ, Bavariæ, aliosque Principes miſsi, ut non ſolum nuptias ſuo adventu ornarent, ſed Cæſarem etiam cum rege conciliare niterentur, ac de bellò Turcis obmovendo in communi conſultarent. Sed has ſpes, & tantos apparatus inopina regis mors, b) cum vix triginta ſex horis ægrotaret, & deci-

a) Niſi forte id ſit, quod Dubravius hiſt. Boh. l. 29. in hæc verba memorat: *ferunt, inde ei* (Podiebradio) *ortam ſuſpicionem fuiſſe, quod clanculum inaudiverit, chirographa poſt interitum Ladislai Hunyiadis non pauca eorum fuiſſe reperta, qui coepta, conſiliaque adverſus regem ejusdem Ladislai approbant, inter quæ Georgii quoque chirographum exſtare ajebant. Veritus itaque, ne inauditus, indictaque cauſa, aut inimicorum ſuorum factione, quorum plerique tunc in aula regis erant, periculum aliquod adiret, ex tuto alloqui regem voluiſſe.*

b) In cauſa mortis ſcriptores illius etiam temporis variant. Sunt inter hos Æn. Sylvius hiſt. Boh.

decimum octavum ageret ætatis annum, in ipſo juventutis flore, XXIII. Novembris intercepit. a) Juvenis longiore vita dignus, qui præter caſtigatos mores, quos in aula Cæſaris combiberat, & conſtanter retinuit, jam in pueritia magnitudinem animi rege dignam præferebat, & munificentiæ, benignitatis, ceterarumque virtutum, quibus imperantes ornari ſolent, luculenta indicia dabat, ſe ix, ſi in pacatiora tempora, & meliores, bonique publici magis, quam ſui, ſtudioſos Conſiliarios incidiſſet. 1457.

X. Mortem regis nova regnorum viciſsitudo conſequuta eſt. Hungaria, quæ poſt cæſum ad Varnam Wladislaum, avulſa Polonia, virium parte privata fuit, nunc quoque, cum 1458.

Boh. c. 71. epiſt. 324. in reb. quoque Friderici III. item leſſus poetæ coævi apud Hier. Pez, Tom. II. pag. 679. Medici Viennenſes, qui corpus tractarunt, aliique, etiam poſterioris ævi, qui veneno exſtinctum perhibent, ſed corpus regis integrum & flexile, ſeculo poſt, & quod ſupra eſt, repertum, ſuſpicionem hanc ſatis convellit. Ceterum Burkhartus in comment. ad Mellini rem numariam Hung. affirmat, ſibi ad manum eſſe epiſtolam nondum editam, quæ mortis cauſam non obſcure in Podiebradium conjiciat.

a) Æn. Sylv. in reb. Friderici III. Conf. Kaprinai l. cit. pag. 109. 250. 259.

cum ad reprimendos Turcas sociis armorum
1458. opus esset, ob Bohemiam, & Austriam a se separandam, non minorem jacturam factura erat. Initium a Bohemia factum. Podiebradius, qui eadem, qua Rex obierat, die Hungaros de illius morte certiores reddidit, aliaque nuncio, quæ referret, commiserat, pridie, quam defuncti corpus conderetur, convocatis regni Ordinibus denunciavit, se Gubernatoris officio, quod sibi Rex ad Pentecosten sequentis anni confirmasset, non ante decessurum, quam concordi sententia Rex eligeretur. Hæc ille tranquillitatis publicæ causa prætexebat, re ipsa autem, quid Hungari, qui jam anno priore ipsis calendis Decembris Comitia ad Calendas Januarias Pestinum indixerant, acturi essent, intentus exspectabat, ut consilium pro re, & tempore opportunum caperet.

Ac hi quidem conventum præstituto tempore agebant, sed initia erant admodum turbulenta. Palatinus de Gara cum Vjlakio, & Paulo de Lindva, aliisque, qui præcipui auctores supplicii ex Ladislao sumti habebantur, Budæ; Szilagius, qui VII. peditum, & XIII. equitum millia adduxerat, cum factione sua Pestini consedere. Utrosque Danubius conferta glacie fluens, ut loco, ita opinionibus divulsit. Szilagius cum suis non obscure in Mathiam Ladislai fratrem inclinabat, contra autem Palatinus, Vjlakius, Paulus de Lind-

Lindva, eisque adhærentes, pœnam talionis ob Ladislai supplicium veriti, omnibus viribus nitebantur. Fortasse, si veteris instituti, & familiæ regiæ, ac promissorum suorum memores, Casimirum Poloniæ regem, aut Saxonem, sororum Ladislai regis maritos, vel Duces Austriæ, quibus olim pactum cum Ludovico de mutua succefsione intercesserat, in consultationem adduxissent, non modo Szilagii conatus elisuri erant, sed Poloniam, vel Bohemiam, aut Austriam cum Bohemia rursus Hungariæ conjunxissent. Sed, dum omnia non tam consilio ad statum regni accommodato agerentur, quam vi, & metu, Szilagius enim, præterquam quod militum numero parti oppositæ prævaleret, furcas, & mensam laniariam in ripa Danubii erigi jusserat, partes tandem, suasu Legati Pontificii, utcunque consentientes, Mathiam absentem, quinque & decem annos natum, XXIV. Januarii regem renunciarunt. a) 1458.

Hunc Ladislaus Rex in Bohemiam iturus, secum Pragam adduxerat, & post hujus mortem Podiebradius retinuit, honesteque habuit, in omnem eventum intentus, quæ illius in Hungaria sors futura esset, utque comperit, vota in eum conspirasse, quo sibi quoque

---

a) Æn Sylvius Europ. c. 1. Pefsina Mars Moraviæ, l. 6. c. 1. Kaprinai l. cit. pag. 384. Conf. Verinum comment. jurid. pag. 158. & Katona Tom. XIV. pag 45.

que ſenſim viam ad ſolium Bohemiæ ſterne-
1458. ret, generum filiæ ſuæ Catharinæ adſcivit, facilemque ſe dein Legatis, qui ad eum liberandum venere, præbuit. Caput legationis erat Joannes Varadienſis Epiſcopus, cui mater Eliſabetha, ſi filius precio redimendus eſſet, quadraginta aureorum millia, *a*) hortatu Szilagii, *b*) numeravit. Non multis igitur agendum erat, ut liber dimitteretur. Conventum utrinque eſt in diem V. Februarii, quo Podiebradius Mathiam, Straſnicii, urbe limiti Hungariæ finitima, ſiſteret, inde ab Hungaris Budam deducendum.

Interea Szilagius Gubernatoris officio functus, ſtatuta ab regni Ordinibus, ſuo nomine rata habuit, inter quæ illud ad Nobiles novo regi conciliandos videbatur pertinere, ut Rex ſuis ſumtibus regnum tueatur, nec prius reliqui, quorum id alias intereſſet, ſymbolam conferre obſtricti ſint, quam ſi Rex per ſe id præſtare non poſſet, tum vero Prælati, & Barones, quos ſuis vexillis adſcriptos habent, regi conjungant, ſi nec hi quidem hoſti reſiſtendo eſſent, Nobiles auxilio ſint.

a) Æn. Sylvius epiſt. 337. *Mathiam Vajvodæ filium, in regem electum Hungariæ — quinquaginta millibus aureis redemtum fuiſſe.*

b) Joan. Liſthius epiſc. Jaurinen. in ſuis Ms. animadverſionibus ad Bonfinii Dec. 3. l. 9. hæc adnotat: *cum precibus Szilagyi a ſorore pecunias habere non poſſet, baculo extorſit.*

sint. Præterea decretum, ut bona Ecclesiasticorum, & secularium, triennio abhinc vi 1458.
occupata, restituantur, & de damnis ab anno quinquagesimo sexto illatis, Comitatus quæstiones instituant, castra, ex quibus latrocinia hactenus fiebant, spacio XV. dierum funditus convellantur, civitates muro cinctæ, & castra regalia, Gubernatori consignentur; denique ut omnes Nobiles, qui bona posside nt, quotannis ad diem Pentecostes Pestinum ad comitia conveniant, absentes, si justam causam, cur non adfuerint, reddere non potuerint, bonis priventur. *a*) Id cum præter morem hactenus usitatum esset, *b*) plerique existimabant, a Szilagio ea de causa inventum, ut Palatino, & qui cum eo sentiebant, si eos electionis pœniteret, ad res novandas animum vel ipsa confluentium multitudo adimeret.

Dimisso conventu, Szilagius cum Sorore Elisabetha, magno Prælatorum, & Baronum, militumque comitatu, ad Mathiam in Hungariam deducendum, ad condictum tempus, Strasnicium profectus, Podiebradium cum rege in opposita Moravæ ripa reperit. Hic pacta nuptialia his conditionibus confirmata: Mathias Sponsam anno transacto in Hungariam tra-

a) Exstat in Cod. jur. patrii Tom. I. pag. 213.
b) Vid. Notit. prævias §. 18.

traducet, &, poſtquam coronatus fuerit, pro
1458. gentis more coronari quoque faciet, ubi vero duodecimum ætatis annum compleverit, matrimonio ſibi junget, &, ſi pactis non ſteterit, centum millia aureorum eidem perſolvet: idem Podiebradius, ſi illam condicto tempore Poſonii ſponſo non ſiſteret, ſe facturum ſpopondit. Conſcriptis deinde tabulis, & numeratis, quæ promiſſa erant, XL. aureorum millibus, aliisque XX. additis, utrinque diſceſſum, & Mathias Budam deductus eſt. a)

MA-

a) Peſsina Mars Morav. l. 6. c. 1. Balbinus epit. rer. Boh. l. 5. c. 4. Bonfinius Dec. 3. l. 9. Kaprinai l. cit. p. 428. 436. & 442.

MATHIAS I.

Ab anno 1458. — 1490.

I. Corvini, incertum, quam ob caufam, cognomen adeptus, *a)* vividam, & arduis rebus gerendis capacem a natura indolem, regiumque animum nactus, fed nec in hunc finem a teneris inftitutus *b)*, nec in ulla hac- 1458.

te-

a) Sunt, qui genus illius ex Servia, alii ex Polonia deducunt, Bonfinius, affentationis ftudio ductus, ad Corvinorum Romanam gentem refert, five a corvo, gentilio illius Infigni, five ex natali in Tranfilvania loco *Hollós*, quod nobis Corvinum notat, in eam opinionem adductus. Sunt quoque, qui patrem illius Joannem, illegitimo thoro ex Valacha, & Sigismundo Imp. natum fabulantur. Illud certius tefte Nic. Olaho, Strigonien. Archiep. qui ex *Marinæ* Joannis Hunyiadis fororis filio natus eft, Valachicæ originis fuiffe. Vid. Katona Tom. 14. pag. 5. — 13.

b) Galeotus quidem de dictis & fact. Mathiæ, Tom. 1. Script. Hung. pag. 528. hæc de eo: *parentes — fummam de hoc puero Mathia fpem conceperunt, maximaque cura, & diligentia, ad futuri regni adeptionem, litteris, & moribus, artibusque regiis educarunt.* Sed hoc enco-

tenus rei publicæ parte verſatus, regnum ſu-
1458. perioribus temporibus per inteſtinas factiones labefactatum adiit. Itaque in principio, aliorum fere conſilia, eorumque inprimis, quibus regnum debebat, ſequi coactus, poſtea autem, quam uſu rerum valuit, ſuo arbitratu rem publicam moderatus eſt. Eodem, quo is in Hungaria, Podiebradius in Bohemia, præpotente factionum ſtudio, regnum non multo poſt obtinuit. Fuere quidem multi, qui id ambiebant. Caſimirus rex Poloniæ, & Wilhelmus Saxo, quibus Ladislai regis ſorores nuptæ erant, jure uxorum nitebantur; Cæſar pacta olim inter Bohemiæ reges, & Duces Auſtriæ, de mutua ſucceſsione, inita obtendebat, Carolus quoque rex Galliæ nomen inter candidatos profeſſus, regnum alterutri ex ſuis filiis, vel ei, quem ſponſæ defuncti regis Ladislai maritum daret, deferri cupiebat, pollicitus inſuper, ſe Bohemiam ære alieno liberaturum, daturumque operam, ut, quæ ex ejus ditione avulsa erant, in jus priſtinum vindicentur. Verum Rochizana factio, quæ regem ſuæ religionis optabat, numero, & vi ſuperior, Podiebradium ceteris præ-

comio Joannem Hunyiadem, affectatæ tyrannidis, quam ei æmuli objecerant, manifeſte incuſat.

prætulit, *a*) & VII. Maji inaugurationis diem conſtituit. 1458.

Mathias, qui per idem tempus regni conventum agebat, deſignato Socero dignitatem gratulatus, poſtquam eidem Jaurinenſem, & Vacienſem, epiſcopos, qui, vacante Pragenſi ſede, ritum inaugurationis peragerent, miſiſſet, conſilia cum Ordinibus ad rem publicam inſtaurandam conferebat. Præcipua ſpectabant, ad rite inſtituendam judiciorum formam, ſarcienda damna, quæ hactenus, præſertim ultimo quinquennio, illata erant, ad coordinandam militiam, in officio continendos latrocinantium patronos, etiamſi ex Magnatum numero eſſent, proventus item regios in integrum reponendos, monetæ aureæ, & argenteæ valorem firmandum, quem nec regi, inſciis Ordinibus, mutare fas eſſet, aliaque, quæ decreto Alberti regis fere conſimilia, & una documento, ſunt, quam inordinata regni adminiſtratio ſub rege Ladislao fuerit, dum ejus conſiliarii, qui contrariis quidem ſtudiis inter ſe diviſi, ſed habendi cupiditate conſentientes erant, rem publicam ſuo arbitratu verſabant. Illud quoque ad electionem regis firmandam, adimendamque iis, qui oppoſitam partem fovebant, res novandi occaſionem, decretum, ut, ſi

a) Aen. Sylvius Europ. c. 16. & in reb. Friderici III. Gerard. de Roo l. 6.

quis, cujuscunque is dignitatis, conditionisve
1458. esset, factiones concitare, vel in personam regis conspirare auderet, non solum nota infidelitatis, cujus veniam ne rex quidem possit facere, perstringatur, sed universi etiam Nobiles, in hujusmodi tranquillitatis publicæ turbatores, arma corripiant. *a*)

Hæc quidem ad regis securitatem, tranquillitatemque regno conservandam, constituta fuere, nondum tamen res eo loco erant, ut non aliquid periculi superesset. Bohemi, qui a Ladislai obitu in superiore Hungaria rerum adhuc potiebantur, prædas more suo ex omni late vicinia agebant, nec, quamquam a Sebastiano Rozgonio profligati, diu quieturi videbantur. Domi quoque a Mathia, nondum accommodate ad tempus dissimulare guaro, peccatum, qui Szilagium, cui regnum debebat, & quem non ita pridem Comitem Biztriczensem renunciaverat, quod sibi importunus monitor esset, dignitate, & loco movit, qua ingrati animi testificatione non paucos a se avertit, non de nihilo veritos, avunculi exemplo graviora aliquando in se constitui

a) Decret. hujus an. deest in Cod. jur. patr. productum tamen est, in vestigiis Comitior. Hung. an. 1790. p. 298. exhibet id quoque Katona Tom. 14. pag. 69. Conf. Balbin. Miscell. Dec. 1. l. 6. c. 6.

tui posse. Accessit & illud, quod suo arbitrio extra comitiorum tempus, Ladislao de Gara Palatino, & Nicolao Vjlakio Transsilvaniæ Vajvoda, magistratu decedere jussis, illi Michaelem *Orszàg*, huic vero Joannem *Pongrácz*, consobrinum suum, *a*) subrogarit. Nova inde data exauctoratis occasio in regem conspirandi, qui, pluribus sensim in societatem adscitis, cum intelligerent, Legatos ab eo ad Cæsarem mitti, qui coronam repetant, clam, ne hanc redderet, ei auctores fuere. Ille tamen, veluti re bene gesta, sui securus, conventum, ad quem rex quoque Bosniæ venturus erat, ad diem VI. Decembris, Szegedinum indixit, in quo de recuperanda corona, instaurandis regni limitibus, rebusque Turcicis consultaretur. *b*) 1458.

II. Tenuit conventus ad initium sequentis anni, quo ipsis Nonis Januarii sanctiones, quæ ab Ordinibus conditæ erant, ratas habuit. *c*) 1459.

 Po-

a) Hunc rex in litt. an. 1489. dat. Bud. in vigil. nativit. B. Joan. Bapt. *consobrinum nostrum piæ mem.* vocat.

b) Gerard. de Roo, l. 6. Kaprinai l. cit. pag. 202. & 217.

c) Hoc quoque Decret. in Cod. jur. patr. desideratur, produxit autem Kaprinai l. cit. pag. 221. Ignat. Batthyan episc. Transsilv. leg. Eccl. Tom. 1. pag. 496. Pray P. 3. pag. 225. Katona Tom. 14. pag. 175.

Potiſsima illarum pars ad rem militarem,
1459. hujusque diſciplinam pertinet: illud fortaſsis præter Majorum morem conſtitutum fuiſſe, videri poteſt, ut rex iis copiis, quas Barones ſub ſuo vexillo ducturi eſſent, ſtipendia ex publico ærario præbeat. Ad hæc tempus militandi ad tres ſolum menſes coarctatum, quibus evolutis, ſigna relinquendi cuivis poteſtas eſſet, quæ ſi quis prius desereret, nulla Nobilitatis ratione habita, bonis, & capite privetur, qui vero præbita pecunia miſsionem a ductore impetraret, uterque & pecuniæ jacturam, & pœnam perferret: annonam, ceteraque victui neceſſaria, non cariore, quam ante profectionem erant, precio fas ſit, venum exponere, armorum genus ad bellum, gladius, clypeus, arcus, & haſta, præſcriptum: omnes denique ſignis adſcripti, cum a rege per litteras admoniti fuerint, intra XXV. dies loco condicto cum armis præſto ſint.

Hæc ad externos hoſtes ſpectabant, cum domi interea magis periculoſi laterent. Ladislaus Gara, & Vjlakius, qui, licet magiſtratu jam privati eſſent, nomen tamen dignitatis retinebant, adſcitis in ſocietatem potentioribus Hungaris, qui Moraviæ, & Auſtriæ vicini erant, ad quos Comes quoque Segniæ, Vegliæ, & Modruſiæ, tum Tranſilvanienſis epiſcopus acceſſerant, Nemetuivarini convenere, & unanimi conſenſu Cæſari,

quin

quin id ambiret, *a)* regnum obtulerunt, his præcipue caufis inducti, quod, cum Mathias minime illuftri fanguine natus, Cæfar autem regi Ladislao fanguine junctus effet, & ceteroquin in aliis provinciis eidem jure hæreditario fuccefsiffet, regnique coronam in poteftate haberet, regnum capite deftitutum, declarent, ac idcirco Cæfarem oratum velle, ut id fufcipere, tuerique ne gravetur, fe non alium regem agnituros, viresque omnes ad id fibi afferendum collaturos effe, modo in coronatione immunitates regni, Nobiliumque fe confirmaturum polliceretur. *b)* Non poterat 1459.

a) Litt. autogr. Friderici an. 1459. dat. Vien. d. 19. Jun. *quod novifsime tamquam ftatus, & honoris noftri, intimi zelatores, nobis minime inftantibus, fed prorfus ignorantibus, & infciis, motibus veftris propriis, pro ampliori decore noftræ Cæfareæ Sublimitatis, totiusque Chriftianæ religionis confolatione, cum non nullis aliis fpectab. & magnificis, atque Nobilibus dicti regni noftri Hung. cum magna, & intima cordis affectione elegiftis, & pro hujusmodi noftri regalis honoris, atque auctoritatis confervatione, vos una cum perfonis, bonis, & rebus veftris — obfequentifsimos coram nobis liberalifsime exhibuiftis* cet. integrum, fed non nihil variatum exhibet Kaprinai l. cit. pag. 325.

b) Idem l. cit. pag. 249.

rat clancularia hæc coitio Mathiam diu late-
1459. re, itaque fidem fuorum explorare volens, accitis ad fe tam Ecclefiaftici, quam profani ordinis Proceribus, fidelitatis juramentum ab iis fibi præftitum, litteris X. Februarii editis, teftatum effe voluit. *a*) Id adverfæ factioni incitamento fuit, ut ea quoque, quæ clam cum Cæfare transegerant, horumque caufas ad avertendam a fe apud populares fuos invidiam, feptimo poft die, litteris itidem vulgarent *b*) quæ cum jam magis palam effent, quam ut poffent difsimulari, Cæfar tempore ufus, Neoftadii die IV. Martii, fe regem Hungariæ coronari paffus eft. *c*)

Hinc neceffario bellum civile ortum. Fruftra Pius II. Pontifex, qui in anni prioris exitu Calixto III. fucceffert, æmulos conciliare ftuduit, fruftra Mathiam, miffo vexillo, in

a) Idem ibid. pag. 245.

b) Idem ibid. pag. 249.

c) Gerardus de Roo, l. cit. c. 6. quod Kaprinai l. cit. pag. 329. teftimonio Joan. Zapolyæ fatis verifimile reddit, licet aliqui, quod Lancmannus apud Freherum Tom. II. pag. 78. nihil de coronatione memoret, hanc in dubium vocent. Ceterum Fridericus abhinc in diplom. titulo regis Hung. uti coepit, cujusmodi illud eft, quo d. 15. Martii hoc an. Francofurtienfibus privilegium concefsit, apud Lunig Reichs archiv Tom. XIII. pag. 632.

in bellum Turcicum concitabat, eosque, qui impedimento essent, sacris interdixit. Res igitur armis semel, iterumque acta est; primum Cæsarei, Hungari postea victores fuere. Felix pugnæ eventus factionem sensim dissolvit. Mathias enim arte, præ armis, utendum ratus, cum plerisque, qui ad Cæsarem secesserant, seorsim splendidis pollicitationibus cœpit agere, Vjlakio tituli regis Bosniæ, & Ladislao de Gara recuperandi Palatinatus spe oblata, quorum auctoritate reliqui paulatim ad obsequium rediere, ne tamen occasionem res novandi iterum haberent, & velut in custodia essent, Garam Palatinum renunciavit, Vjlakium, honoris causa, adhibuit aulæ, & Sigismundum Comitem de Bozyn, ab Austriæ finibus, ubi amplissimos fundos habebat, abstractum, in superiore Hungaria magistrum equitum creavit, Rozgonio, & Pongraczio, quavis anni quarta parte, quatuor mille aureos est pollicitus, donec cum Cæsare inducias, vel pacem conficeret. *a*) Egit de his ineundis, usus opera Joannis Varadiensis Episcopi, cui Legatus quoque Pontificis socium se junxerat, frustra tamen uter-

1459.

a) Litt. regis an. 1459. fer. 3. prox. post fest. B. Emerici Ducis. Kaprinai l. cit. pag. 369. Cod. Ms. biblioth. Viennen. apud Pray Par. III. pag. 234. item Cod. Vatican. ibid. pag. 230. Gerard. de Roo, l. 6.

uterque fuit, quod Cæsar nec coronam, non
1459. exhibito precio, reddere, nec titulo regis se abdicare vellet. Frustra etiam Podiebradius generi sui causam suscepit, qui, ut titulum quidem regis Hungariæ uterque gerat, de ceteris vero rebus ut in conventu Olomucensi transigerent, suadebat, quod cum Mathiæ non satis probaretur, Cæsar seorsim cum Podiebradio fœdus adversus omnes, Pontifice excepto, pepigit, ut regem ad æquiores conditiones cogeret. *a)*

Intercesserat & illud, quod Concilio Mantuam indicto, Principum studia in bellum Turcis communiter inferendum concitata, Cæsaris curas aliorsum converterent. Et fiebant ad id suscipiendum in Asia, & Europa ejusmodi apparatus, qui felicem successum polliceri videbantur, si omnes inter se magis consentientes fuissent. In Asia Trapezuntinus Imperator, Persarum Rex, & Dux Georgianorum, auxilia spoponderant, his Mingreliani, & qui Asiam minorem, Anacosiamque colunt, quin non pauci ex Turcis Asiaticis etiam se socios fore promisere, ut adeo præter triginta biremium classem, supra centum millia, in promtu haberent. Idem Europæorum fuit studium. Pontifex præter viginti mille aureos, Ecclesiarum Italiæ decimas, Ger-

a) Pray Par. III. pag. 240. item Cod. Vatican. Nro. 59. ibid. Balbinus Dec. 1. l. 8.

Germani triginta peditum, & decem equitum millia, Veneti classem, se præbituros 1459.
receperant, optabant tamen, quoniam iter per Hungariam suscipiendum erat, ut pax inter Cæsarem, & Mathiam prius componeretur. *a)*

III. Ac hujus quidem iterum conciliandæ periculum anno sequente factum est, Norim- 1460.
bergæ primum, postea in Curia Imperatoris, ac denique Olomucii, nullo tamen successu, sive Cæsar querelis, quas Legati Mathiæ ante annum in Concilio Mantuano contra se proposuerant, offensus esset, seu Mathiæ conditiones, in quas utrinque conveniretur, displicerent. Quidvis in causa fuerit, felicior domi in conciliando Giscra erat. Cum hoc ita conventum, ut Mathiam, quod hactenus negaverat, regem deinceps agnosceret, & copias suas stipendio Pontificis alendas, regiis in bellum Turcicum conjungat. Cum enim videret, in Concilio Mantuano omnia lente in hunc finem parari, ipse, quod id suarum ditionum maxime interesset, bellum Turcis inferre parabat. Hac de causa Vajvodam Valachiæ, qui contra illos rem aliquoties feliciter gesserat, in suas partes pellexit, & Legatos Mahometis, qui cognito Asia-

a) Cod. Vatican. cit. ap. Pray Par. III. pag. 242. Æn. Sylvii epist. 378. & 379. Raynaldus ad hunc an.

Aſianorum, & Europæorum in ſe apparatu,
1460. inducias offerebat, re infecta ab ſe dimiſit, quod cum Pontifici mire probaretur, rurſum XL. aureorum millia in commune bellum regi pollicitus eſt, eumque magnopere hortatus, ut ad id feliciter gerendum, quam poſſet celerius, concordiam cum Cæſare iniret.
a) Tentata iterum eſt hoc non invito, & ar-
1461. bitrium rurſus Podiebradio creditum; quem ut ſibi Mathias conciliaret, prius, quam conventus haberetur, Trencſinium profectus, ſponſæ dotem regina dignam, modumque de ea ſibi tradenda, conſtituit. Nec tamen propterea hic quoque conatus priore felicior erat. Podiebradius enim, cui Cæſar recens ſpem ſucceſsionis in Comitatum Cattimeliboeum fecerat, cum nec hunc, nec Mathiam, deſignatum generum, vellet offendere, ita judicio ſuo nutabat, ut neutri parti ſatisfacere videretur. Itaque non ſolum concordia non coaluit, ſed, ſoluto conventu, nova etiam diſsidii ſemina erant jacta. Cæſar Joannem Giscram, hominem pro ſpe lucri emtu facilem, promiſsis ampliſsimis, a Mathia abſtraxit, & hic viciſsim, pactis cum Alberto fratre illius initis, hoſtem Cæſari concivit.

a) Ita

a) Litt. Pontif. ad regem ex Cod. Vatic. apud Pray Par. III. pag. 248. Raynaldus ad hunc an. Gobelinus l. 5.

a) Ita ſpes pacis toties tentatæ diſsipata eſt.

Intererat tamen regis magnopere, ut hæc, ad recuperandam coronam, coaleſceret. Hujus conficiendæ negotium Joannes Varadienſis Epiſcopus in ſe recepit, qui iter in Sclavoniam, velut aliud agens, ingreſſus, Græcium ad Cæſarem deflexit, ut cum eo de precio redimendæ coronæ tranſigendi initium faceret. Domi interea, quæ adhuc ſalebroſa erant, diligenti ſtudio complanata. Rex Bosniæ, qui metu Turcarum correptus, cum iis fœdus inierat, poenitudine ductus, ad obſequium rediit, et arcibus Savo vicinis præſidium Hungaricum imponi paſſus eſt. Cum Giscra quoque tractatio inſtituta, qui, quod Cæſarem pacis, quam belli, magis amantem expertus eſſet, ut erat militaris animi, facile, poſtquam in jus civitatis, & in Magnatum ordinem cooptatus erat, caſtris, quæ ab Eliſabethæ reginæ temporibus tenebat, regi traditis, in hujus partes conceſsit, & cum Bohemis imperio ſuo obnoxiis, ſociam operam in bellum Turcicum pollicitus eſt, ad quod ſuſcipiendum, animi omnium 1462.

a) Kaprinai l. cit. pag. 476. Auctor Ms. rer. Auſtr. ab an. 1454. ad 1467. item diplom. Tabularii Auguſti apud Pray Par. III. pag. 261. & 262. Balbinus epit. rer. Boh. l. 5. c. 5. Gerard. de Roo, l. 7.

1462. um, per nuncios ex Valachia missos, incitati ferebantur, qui Turcas, cæsis fere quadraginta eorum millibus, a Vajvoda profligatos affirmabant. *a*) Mathias, etsi dictis illorum, quos nosset, majora plerumque vero afferre, fidem ægre haberet, tamen a Ragusinis, ut eis auxilio esset, rogatus, in Serviam proficisci cogitabat, cum Episcopus Varadiensis a Cæsare reversus, quædam conventionis capita attulit, de quibus postquam ipse privatim cum consiliariis contulisset, regni Ordines Budam ad conventum adesse jussit. Hic iis, quæ ad jus dicendum, ad declarandas infidelitatis notas, & forum Ecclesiasticum, quod a profano sejunctum voluit, pertinent, breviter constitutis, *b*) de corrogando etiam precio ad redimendam coronam, actum. Hungariæ Nobiles, quisque florenum auri, promisere, sed, ne id in legem deinceps, & morem abiret, Rex publica fide Ordinibus cavit, licet sæpe promissi postea immemor fuerit: Transsilvani quoque, & Ragusini, ut symbolam suam conferrent, admoniti sunt,

a) at-

a) Collectio epistolar. Mathiæ, Par. I. pag. 57. 60. 70. 71. & 112. item litt. Venetor. ad Bononienses apud Mansi, ad Tom. X. Raynaldi annal. Eccles. pag. 336.

b) Extat in Cod. jur. patr. pag. 215. & *primum* dicitur, cum jam an. 1458. & 1459. duo, ut memoratum est, præcesserint.

a) atque hac ratione tantum pecuniæ ſenſim collectum, quantum redimendo pignori ſatis eſſet. De pace, cujus fundamenta quædam Epiſcopus Varadienſis apud Cæſarem jam poſuerat, nihil viſum prius agere, quam Valachiæ, cui Turcæ etiam poſt acceptam cladem, rurſus imminebant, ſuccurreretur. a) 1462.

Milite ad profectionem jam comparato, Legatum ad Venetos miſit, qui propoſito communi periculo, generalem in Turcas expeditionem ſolicitaret, inde Romam profectus, cum Pontifice ageret de ſubſidiis, & minimum quadraginta ſex mille aureos in ſtipendia ſex menſium, impetrare conaretur, tum ad Florentinos, & Ferrarienſes, hos quoque in belli ſocietatem pelliceret. Domi vero, Strigonienſi Archiepiſcopo, & Palatino in commiſsis dedit, ut cum Bohemis, qui *Comorovskio*, & hujus contribulibus parebant, ſe abſente tranſigerent. His conſtitutis, in Valachiam contendens, Turcas jam exceſsiſſe, & exauctorato Vajvodæ, ejus filium natu

c) Litt. regis, hujus an. fer. prox. poſt feſt. aſcenſionis Domini, memorant, in comitiis in ſingulos Nobiles fl. auri decretum fuiſſe, cujus tamen in edito Decreto nuſpiam veſtigium reperias. An mancum propterea ſit, alii arbitrentur.

b) Epiſt. Mathiæ Par. I. pag. 57. 59. & 110.

natu minorem, ab his ſubrogatum reperit.
1462. Cauſa ex Valachis, qui hominem ſanguinarium deteſtabantur, cognita, hoſtis voluntatem, mirantibus omnibus, ratam habuit, &, filio in dignitate confirmato, patrem in Hungariam abduxit, parte copiarum Michaeli Zokolio, Sirmienſis provinciæ Præfecto credita, qui Halibegum, prædas in citima Savi ripa agentem, aggreſſus, trucidatis quatuor millibus, & recuperata præda, trans flumen egit. *a)*

Mathias Budam reverſus, Bohemos, præbita ab Archiepiſcopo pecunia, & conventione facta jam pacatos, ſuis ſignis auctoravit, ex quibus, quod plerique veterani eſſent, & bello Huſsitico exerciti, pedeſtrem militiam, quod genus apud nos hactenus ex incondita colonorum turba, diſciplinæ inaſſueta, ſumtum erat, conflavit, magno deinceps uſui in bello Turcico futuram. Atque id quidem inſtare, Rex Bosniæ crebro in Hungariam nunciavit, a quibus, & Venetis, tum Albanis, & Pontifice, auxilium flagitabat. Huic per Legatos, Bosniam extremo periculo expoſitam ſignificari curavit, partem regni a Turcis jam eſſe occupatam, facile acceſſuram alteram, quod barbari ſpecie lenitatis populum in fraudem inducerent, apud quem

a) Litt. regis Part. II. pag. 74. & 82. Bonfinius Dec. 3. l. 9. Cromerus hiſt. Pol. l. 27.

quem ſua etiam auctoritas fere jam vileſcat, cui non melius conſuli poſſet, quam ſi cum auxiliis corona quoque ſibi mitteretur. Poſtremum cum Orator Hungarus juri regio adverſari exiſtimaret, regem, quid ageretur, confeſtim edocuit, &, ſuppetias præterea ſpe minores offerri, indicavit, cum Veneti XX. ſolum aureorum millia, & Pontifex annuum ſtipendium in mille equites, cujus vadimonium Strigonienſis Archiepiſcopus præſtaret, ſe præbituros pollicerentur. Inexſpectatum id quidem regi fuit, ſed, cum benevolentiam Pontificis ſibi neceſſariam videret, monuit oratorem, rem, quantum ad coronam regi Bosniæ mittendam attinet, ita caute gerat, ut, nec Pontifex ſe offendi putet, nec juri regio, cui Bosnia obnoxia eſſet, quidquam derogari patiatur, ceterum ſubſidia cum ab hoc, tum Venetis, augeri flagitaret. *a)* 1462.

IV. Inter has ſubſidiorum ab exteris ſollicitationes, Mahometes, Venetis, oblata induciarum ſpe, deluſis, repente vim omnem in Bosniam convertens, Stephanum regem, qui ſe cum theſauro, *Jayczam*, arcem rupi arduæ impoſitam, receperat, obſedit, & quatriduo poſt fame deditionem facere coactum, litteras ad reliquos arcium Præfectos juſsit ſcribere, ut ſe Mahometi dederent. Ita octi- 1463.

 duo

a) Gobelinus l. 9. & 11.

duo non integro ſeptuaginta aliquot arces in
1463. poteſtatem illius venere, auri præterea ſupra decies centena numorum millia, Nobiles in ſervitutem redacti, & in Aſiam transmiſsi, Rex ipſe cum plerisque Optimatibus, contra datam fidem, necatus, &, quod triſtius eſt, ex capta juventute, triginta millia peditum conflata, quibus *Janiczari'*, præcipuum apud Turcas militiæ robur, ſua incunabula debent. *a*) Mathias, ſe quoque deluſum ſero intelligens, ne idem periculum Serviæ ingrueret, ſolicitus, Joanni Pongraczio, cui curam Belgradi crediderat, ea, quæ defendendo loco neceſſaria erant, celeriter mitti juſsit, etiam, atque etiam commonito, ut hoſtem eousque conaretur a Savi trajectu arcere, donec ipſe cum auxiliariis adeſſet. Verum hac cura eum Mahometes liberavit, qui occupata Bosnia, præter opinionem, vires ſuas in Moream, capto jam prius Naupacto, & in ditiones Venetorum converterat. Itaque his, qui regi commune in Turcas fœdus ſolicitanti, ambigua reſponſa dabant, nimia, & ex rerum eventu ſuſpenſa cunctatio, periculum accerſiit, & ab Hungaria avertit. *b*)

Hoc

a) Gobelinus l. 9. & 11. Leunclavius hiſt. Muſulman. l. 15. & in Pandect. c. 95.

b) Epiſt. Mathiæ Par. I. pag. 123. & 153. Chalcondyl. l. 10. Phranzes l. 3. c. 27.

Hoc ipſum tempus, quo Mahometi res cum Venetis futura erat, opportunum Mathiæ viſum, ut cœptum cum Cæſare pacis negotium, ad finem perduceret. Sed, ne id quaſi precario a ſe fieri videretur, Proceres ſubornavit, ut ſcriptis ad eum litteris, ſe Legati Apoſtolici conſilio adductos eſſe, ſignificarent, ſe omnem operam impenſuros, ut ob commune, quod Chriſtianis a Turcis impenderet, periculum, concordia tandem inter illum, & regem ſuum, coaleſcat, venturos proxime, ſi modo, quo animo ſit, intellexerint, qui regis nomine de conditionibus transigant. Cæſari, cui alioquin cum Alberto fratre, & Viennenſibus diſsidium fuit, nihil gratius accidere poterat. Adfuere paulum poſt Legati, & inter hos Stephanus de Varda, Archiepiſcopus Coloceuſis, & Joannes Vitézius Varadienſis antiſtes, primus conciliandi fœderis auctor, præcipui erant, tribus equitum millibus, cum honoris, tum ſecuritatis cauſa ſtipati. Ante omnia actum de corona, ad quam recognoſcendam Ladislaus de Palocz, Judex Curiæ delectus, in cujus judicio poſtquam omnes conquievere, habita frequenti cum Cæſareis deliberatione, in has conditiones utrinque conventum: Cæſar Mathiam filii, & hic illum patris loco, habeat, eoque nomine in publicis ſcriptis alter alterum appellet: titulus regis Hungariæ, Cæſari ab Hungaris tribuatur, ſucceſ- 1463.

ſio autem in regno, ſi Mathias ſine legitimo
1463. hærede obiret, ad Cæſarem, vel ejus filium Maximilianum, aut, ſi plures habuerit, ad eum, quem Ordines delegerint, devolvatur: caſtra *Forchtenſteinium*, & *Gobelsdorſium*, quæ Cæſar in limitibus occupaverat, in illius, dum vivet, arbitrio, in ſacris tamen jurisdictioni Jaurinenſis Epiſcopi, & ad ſymbolam in bellum conferendam, regi Hungariæ obnoxia ſint, poſt mortem vero Cæſaris integrum erit Hungaris depenſis quadraginta aureorum millibus, ea redimere: injuriæ, quas ab obitu Ladislai regis, ſibi mutuo intuliſſent, bona fide utrinque condonentur. Cæſar, ſi a Turcis periculum Hungariæ ingruerit, omnem induſtriam apud Pontificem, & Principes Imperii adhibebit, ut Mathiæ ſuccurratur; Sopronium denique gratuito, nulla pignoris habita ratione, Hungaris reſtituet. Hæc in Tabulas publicas relata, Cæſaris, & Mathiæ nominibus, ſubſcripta, & ſerius poſt, ut illis majus robur accederet, etiam a Pontifice confirmata ſunt. *a)* His transactis, corona Legatis tradita, communique plauſu, &

a) Exſtant documenta in Urſini Velii hiſt. de bello Pannonico ad calcem, & ex hoc apud Pray P. III. pag. 282. — 298. Legati, & Cæſar 19. Jul. Rex, & Legatus Apoſtolicus 24. ejusd. menſis, Pontifex demum 22. Octob. pactorum Tabulas confirmarunt.

& populi per iter concurſatione, Budam, velut ab exilio, reducta eſt. De perſoluto 1463 precio, nihil in Tabulis conſignatum reperio, aliqui occtoginta, alii ſexaginta aureorum millibus, redemptam fuiſſe perhibent. *a*)

Aberat per id tempus Mathias, bello Turcico occupatus. Jam circiter Calendas Majas ad Danubii, & Savi confluentem conſtitit, & cum comperiſſet, Mahometem, relicto in Bosnia cum copiarum parte Alibego, in Macedoniam profectum, Savo transmiſſo, Alibegum vicina Savo loca populantem, ſemel ac iterum magna clade affectum repulit, tum dimiſsis in Serviam equitum turmis, quæcunque a Turcis occupata erant, ferro, igneque corrumpi juſsit, quindecim pene millibus Criſtianorum, cum armentis ex ſervitute vindicatis. Indulta dein militi quiete, novisque ex Hungaria acceptis ſupplementis, in Bosniam movit. Hic ei Ladislaus, Stephani, Ducis ſancti Sabæ filius, ſuas etiam copias adjunxit, quarum auxilio *Jayczam* obſidione cingens, trimeſtris fere ſpacio expugnavit, & cum hac triginta caſtra recepit, porro in hoſticum progreſſurus, niſi illum ingruens hyems receptum maturare coegiſſet. *b*)

a) Gerard. de Roo, l. 7. Spondanus ad an. 1464.

b) Epiſt. Mathiæ ad Pontif. ex *Dombno*, d. 27. Jan. an. 1464. Par. I. pag. 161. apud Pray Par. III. pag. 302.

1463. Prius tamen ipſe Petrivaradinum, prægreſſus, commune fœdus cum Venetis percuſsit, quo illi tamdiu ſe Turcas terra, marique infeſtaturos receperant, quamdiu Rex idem in continente faceret, interea autem neutri quidquam in ſuis limitibus novarent, nec pacem, vel inducias cum hoſte, non vicisſim inter ſe conſcii facerent, ceteris quoque regibus, & Principibus, ſi vellent, ad fœdus accedere liberum eſſet. a) His XII. Septembris mutua ſtipulatione firmatis, Mathias in Bosniam reverſus, & Ladislai egregie navatam in bello operam remunerari volens, eum in Baronum Hungariæ numerum adlegit, ea conditione, ut, ſi Rex, vel hujus Legatus, qui ex Baronum Ordine fuerit, bellum in Bosnia gereret, ipſe eis adjumento erit, ſin regis Legatus inferioris eſſet conditionis, tum ſui loco, quem voluerit, militiæ Præfectum mittet: amicus erit amicis, & hoſtis quoque regis hoſtibus: nihil præterea ditionis ſuæ a jure Hungariæ ſubtrahet, aut alienabit; Ramam denique, &, quæ Turcis nuper eripuerat, cum ipſe, tum filius Comes Balſa, hujusque hæredes, jure clientelari, regibus Hungariæ obnoxii, poſsidebunt. b) Impo-

ſito

a) Raynald. ad hunc an. ex Cod. Ms. Vallicellano, apud Pray Par. III. pag. 300.

b) Litt. regis autogr. *Dat. in civitate noſtra Jaycza, in feſto B. Nicolai ep. & Conf. an.* 1463.

ſito dein Jayczæ, quam Joanni *Zékelio* Priori Auranæ, tuendam commiſit, præſidio, militem in hyberna deduxit.

Ex Boſnia reduci prima omnium cura fuit, ne coronatio, ſine qua ſe a non paucis non tam regem, quam regni uſurpatorem haberi putabat, differretur. Comitiis itaque Albam indictis, XXIX. Mart. conſueto ritu inauguratus, ea, quæ Ordines ad inſtaurandum regni ſtatum propoſuerant, & confirmari orabant, rata habuit. Præter Decreta Ludovici. & Sigismundi, quæ nova ſanctione roborari flagitabant, arctior coronæ, ne ſimili ut ante periculo objiceretur, cuſtodia ſtatuta, donationes Ladislai poſthumi, & ipſius Mathiæ ante coronationem factæ, niſi intra annum has confirmaret, irritæ habeantur, de infidelitatis crimine illud cautum, ne rex, non conſciis Prælatis, & regni Baronibus, quemquam illo perſtringat. Turbulentis enim temporibus, ob contraria factionum ſtudia, ut quisque erat potentior, nihil pronius fuit, quam ut alteri hanc notam impingeret, ejusque bona ſibi vel a rege donari importune peteret, aut, ſi occaſio erat, ſpreta legum ſanctimonia, per vim etiam occuparet. Hinc ſevere vetitum, ne quis Eccleſiarum, & Nobilium domos violare deinceps auſit, &, ſi qui poſt Alberti obitum, bona aliis vi eripuiſſent, hæc ſine cunctatione, ut dominis ſuis reſtituant, imperatum: immunitates quoque Transſilva-

1464.

niæ,

niæ, & Sclavoniæ Nobilibus confirmatæ; con-
1464. ſtitutum etiam, ut moneta juſti, ejusdemque ponderis, ac valoris eſſet, qualis ſub Sigismundo erat, utque in hujus falſarios graviſsimis pœnis animadvertatur. *a*)

Sub Comitiorum finem, pacta de ſucceſſione, inter Cæſarem, & Regem, non ii ſolum, qui legatione perfuncti erant, verum ceteri quoque Prælati, Barones, & Nobiles rata habuerunt, & rex editis litteris, ſerius poſtea confirmavit, *b*) quam lites cum Podiebradio, Bohemorum cauſa ortas, hac conventione ſopiviſſet: quicunque, Hungarus, Bohemusve ſit, latrocinia in alterius ditione exerceret, non ſolum partam prædam, ſed omnia etiam bona, amittat: caſtra in limitibus, ex quibus maleficia inferri poſſent, neuter exſtrui ſinet, malefactores autem, qui impunitatem in alterutrius regno quærerent, uterque bona fide reddet, ſin minus id poſſet fieri, certe commorari in eo non patietur. *c*) Con-

---

a) Ex Cod. jur. patr. Tom. 1. pag. 218. *Dat. VIII. Idus Apr. an. Domini* 1464. *regni noſtri VIII. coronationis I.* Abhinc coronationis annos conſtanter ab annis regiminis ſolebat ſecernere.

b) Auctar. diplom. Kollarii ex archivo aul. Vienn. apud Pray P. 3. pag. 309. — 311.

c) Diplomatar. Boh. Siles. Sommersbergii Tom. 1. pag. 1023. apud eund. ibid.

Constabilita cum Cæsare, & Podiebradio amicitia, conatus omnes in bellum Turcicum converſi. Pius II. cum ſæpe alias, tum hoc imprimis anno, Imperatorem, Principes Germaniæ, & Italiæ, ad id communi ſtudio gerendum concitabat. Ordo expeditionis hic erat conſtitutus: Mathias cum Hungaris, horumque ſociis, &, quos ab exteris accepturus eſſet, auxiliariis, terreſtri itinere, reliqui vero, mari in hoſtem proficiſcerentur. Et jam claſsis Veneta cum Pontificia Anconæ ſtabat, proxime ſolutura, cum Pius II. qui ipſe expeditioni intereſſe cupiebat, XIV. Auguſti obiit, & cum hoc ardor ſacri belli refrixit. Fruſtra Mathias ſe deſeri querebatur, tum præſertim, cum Mahometes vires omnes Jayczæ obſidendæ, admoviſſe ferebatur. Commode illud accidit, quod commeatus & nova militum ſupplementa arci illata fuerint, & Prior Auranæ locum eousque fortiter tueretur, donec rex, qui magnis itineribus in Boſniam contendens, cum exercitu adeſſet, ſolaque fama ſui adventus, Mahometem, relictis tormentis, & reliquo bellico apparatu, in fugam egiſſet. Fugitivum aliquamdiu, ut prælio rem experiretur, conſequutus, ob penuriam pabulationis, quam hoſtis in receptu corruperat, redire coactus, ne tanto ſumtu nullum operæ precium feciſſe videretur, *Zvoinichium* arcem obſedit, quam mox ob coortam militum ſeditionem, & adventantis hoſtis rumorem, pa- 1464.

ri

ri trepidatione, qua Mahometes Jayczam, minore tamen damno, deſeruit. *a*)

1465. V. Altius ei hic receptus, fugæ ſimilis, inhæſit, quam ut eum pacato animo digerere poſſet, metuitque, ut erat gloriæ cupidus, magnopere, ne fama ſua apud exteros vileſcat, aut Turcis belli in Hungariam transferendi occaſio daretur. Opportune *Emo* Legatus Venetus domum revocatus eſt, huic Joannem epiſcopum Quinqueeccleſienſem, & Joannem Rozgonium, quos Romam, ut Paulo II. obtentam dignitatem gratulentur, deſtinaverat, adjunxit, qui apud hunc de ſubſidiis in bellum Turcicum diligenter agerent, cui gerendo cum ipſe proventus ſuos fere jam profudiſſet, ex conſulto Prælatorum, & Baronum, extraordinaria per regnum tributa imperaverat, ad quæ conferenda cum omnes, boni communis cauſa, promtos habuiſſet, ii ſolum, qui Cæſari in Hungaria parebant, refragabantur, licet ſecundum pacta nuperna ad ſymbolam in bellum Turcicum conferendam, obſtricti eſſent. Graviter id merito rex tulit, præſertim, quod Cæſar præterea arcem Bercholsdorſium, quam Sigismundus de Bozyn, præbito precio in pignore habebat, hoc non expuncto, occupaſſet. Inde lis primum lit-

a) Epiſtolar. Mathiæ, P. 1. pag. 173. item ejusd. litt. an. 1468. Budæ fer. 4. prox. poſt feſt. B. Martini Conf.

litteris, tum vaſtatione terrarum utrinque acta, propeque res bellum ſpectabat, niſi Lavantinus epiſcopus, qui a Pontifice in Bohemiam Legatus erat miſſus, diſsidium, cum iter per Auſtriam faceret, opportune ſopiviſſet. *a)* 1465.

Apparebat enim Mahometem ex ingenti, quem fecerat apparatu, aliquid rurſus in provincias Hungariæ ſubjectas moliri velle, cum ex nunciis a Savo allatis patuit, molitiones has in Græcos, qui amiſſa Conſtantinopoli, non tam Imperium, quam hujus umbram, Trapezunti condiderant, parari, paulumque poſt finitimi limitum Præfecti ſignificaverant, adeſſe Legatos a Mahomete, qui de induciis cum rege paciſci cupiant, de quibus, ſi admiſsi fuerint, uberius acturi eſſent. Verum is, ſeu parum fidei barbaris tribueret, ſeu inſciis Venetis, nihil vellet cum illis agere, Legatos ultra limites progredi vetuit. Hac repulſa Mahometes irritatus, paulum poſt, quam Mathias litem cum Caſimiro, Bohemorum cauſa, qui Poloniam ex Scepuſio infeſtabant, compoſuerat, mutato propoſito, vim omnem in Serviam convertere, nec ante quieturus ferebatur, quam Belgradum, & Jayczam, cum reliquis, quæ in Servia, & Boſnia juris adhuc Hungarici erant, in poteſtate haberet. Si-

a) Epiſtolar. ejusd. P. 2. pag. 45. & 96. item P. 4. pag. 14. — 19.

1465. Sive id re ipſa conſtituerat, ſive rumor de induſtria ab eo diditus eſſet, Mathias oratores ſuos Romæ celeriter edocuit, datisque ad Pontificem, & regem Galliæ litteris, in quo diſcrimine res verſetur, ſignificavit. Ac Oratores quidem ea ſolertia commiſſum ſibi negotium egerant, ut ſpes eſſet, non temnenda in bellum Turcicum ſubſidia collatum iri. Pontifex centum, Ferdinandus rex Neapolitanus ſexaginta aureorum millia, præter quingentos pedites, & equites in Epirum mittendos, Veneti quinquaginta quotannis millia aureorum in ſtipendia ſe daturos, promiſerant, Dux Mediolanenſis duo equitum millia, uno minus peditum pollicebatur; Florentini mille equites, & quingentos pedites, vel, ſi rex mallet, viginti quatuor millia aureorum quovis anno ſe numeraturos, receperant. *a*) Hæc quidem liberaliter promiſſa fuere, ſed, cum præſtanda erant, res omnis ad Pontificem, & Venetos rediit, qui miſsis in Hungariam pecuniariis adjumentis, datam fidem liberarunt.

Mathias his acceptis, & Bohemis, qui rurſum more ſuo prædas agebant, ad Tirnaviam profligatis, ne exſpectationem ſociorum

a) Raynaldus ad an. 1465. Epiſt. Mathiæ P. 2. pag. 1. 14. 18. 129. 137. Luccari annal. di Rauſa l. 3. pag. 110. Leunclavius hiſt. Muſulman. l. 15. pag. 586.

rum fallere videretur, copias ad Dravum deduxit, ut Turcarum consilia eminus exploraret, quorum cum nec famam quidem accepisset, adhærere isthic maluit, quam hostem, fœderatis nondum rite comparatis, irritare. Id Pontifici suspicionem ingesserat, subsidia in alium, quam missa erant, finem erogari, quod cum ex Tininiensi Episcopo Roma reduce comperisset, missis Romam litteris, injuriam sibi hac suspicione fieri graviter est questus, ut adeo Pontifex irritatum, mollius tractandum censuerit, quod ejus operam sibi, contra Podiebradium, necessariam esse existimaret. Hunc jam Pius II. sacris interdicere cogitabat, sed quod hic ob temporis rationes differebat, Paulus exsequi constituit. Nondum tamen res maturuit, & Mathias, quæ Pontificis essent consilia, indicto conventu, regni Ordinibus aperuit. Visum omnibus est, nihil ante tentandum, quam certiora ex urbe afferantur, Cæsaris quoque mentem, quod Bohemia feudum Imperii esset, prius explorandam, videndum etiam, quo Turcarum conatus tandem evasuri essent. *a*) 1465.

Ac ab his quidem, qui omnem belli vim in Albaniam converterant, nihil periculi erat, eo magis ancipiti loco res Bohemicæ, post pro- 1466.

a) Epist. Math. P. 2. pag. 61. 70. 144. Leunclav. Pandect. c. ult. auctor Ms. rer. Austr. ab an. 1454. ad 1467. Gerard. de Roo. l. 9.

1466. promulgatam in Podiebradium cruciatam expeditionem, fuere. Regno a Pontifice exutus, caufam fuam in conventu Imperii Norimbergæ agere optabat, fed Cæfar, qui jus fuccefsionis in Bohemia, ex fide veterum pactorum, fibi competere arbitrabatur, Legatos illius ad conventum admitti vetuit. Id ille fuam injuriam interpretatus, litteras verbis acerbis, & inhumanifsimis refertas, ad Cæfarem dedit, fimulque bellum ei denuncians, Victorinum filium, cum quinque millibus Auftriæ immifit, qui vaftationem, late omnia populatus, ad Danubium prope Viennam protulit. *a*) Mathias, quo res evafura

1467. effet, interea otiofus fpectabat, in omnem tamen eventum, ne, fi ipfe etiam in ea partem habere cogeretur, fumtus deeffent, Comitia in fequentem annum indixit, & confentientibus regni Ordinibus, *lucrum Cameræ*, in *vectigal coronæ*, feu tributum *Fifci regalis*, a quo nemo, nifi Ecclefiaftici, & Nobiles exemti effent, deinceps folvendum convertit, nomine folum, non item re, mutato. *b*) Hæc inter, Podiebradio hoftes undique confciti funt. Catholici Proceres in Bohemia, Moravia, & Silefia, inita confœderatione, obedientiam detrectabant, Legatus Pontificis, facto

a) Linck annal. Clarævallen. Part. II. pag 226.

b) Car. Wagner diplomatar. Comitatus Sarofien. pag. 236.

cto per Bohemiam itinere, illis auctor erat, ut Zdenconem Sternbergium sibi interea dynastam præficerent, ipse in Poloniam profectus, regnum Casimiro, Pontificis nomine, obtulit, cujus benevolentiam ille grato quidem animo accepit, sed, cum pacta ei cum Podiebradio intercederent, &, inconsultis regni Ordinibus, nihil vellet decernere, rem ad futura Comitia distulit. *a*) Mathiæ, qui Casimiri in deliberando lentitudinem norat, nec voluntas, nec otium fuit, ut se huic negotio, non rogatus ingereret, quem alioquin secessio Transsilvanorum, qui ob crebras tributorum exactiones, Joannem Vajvodam, licet invitum, provinciæ Ducem constituerant, & Stephani Moldaviæ Vajvodæ clancularii in Poloniam missi internuncii magnopere solicitum habebant. Ac Transsilvani quidem, ut Rex cum exercitu adfuit, obtenta defectionis venia, ad officium rediere, Moldavus autem arma parabat, quem, pugna cum eo congressus, etsi non sine suo periculo, victum in fugam egit, & spolia in Eudensi templo, velut victoriæ testes, ad ostentationem defixit. *b*) 1467.

VI.

a) Gobellinus l. cit. l. 10. Cardinal. Papien. commentar. l. 6. Dlugos. l. 13. Gerard. de Roo l. 8.

b) Epist. Mathiæ Par. III. pag. 88. Ceterum scriptores Poloni ab Hungaris de victo Moldavo dissentiunt. Conf. Pray Part. IV. pag. 35.—38. & Katona hist. Tom. 15. pag. 233.— 243.

1468. VI. Ex Moldavia reverſus, Cæſaris nuncium, & Pontificis Legatum, ſalutationis quidem, ut apparebat, cauſa, re ipſa autem, ut eum ad bellum Podiebradio obmovendum inducerent, reperit. Pontificem religionis periculum, Cæſarem Bohemi, qui favore quorundam Germaniæ Principum nixus ad dignitatem Imperii aſpirabat, ambitio, præcipue movebant. Cunctanti Cæſar addidit ſtimulos, pollicitus, ſe ei non ſolum auxiliares copias adjuncturum, ſed Bohemiam in feudum quoque, hac conditione collaturum eſſe, ut, ſi ſine legitimo hærede decederet, Hungaria, & Bohemia, ſecundum vetera, & nuper inita cum eo pacta, ad ſtirpem Auſtriacam devolvantur. Plauſibili hac ſpe illectus, habito cum præcipuis regni Optimatibus conſilio, eorum ſententias rogabat. Multi, qui parta potius tueri, quam aliena invadere, ſatius eſſe putabant, ne ſe dubio, & ſumtuoſo bello implicaret, ei autores fuere; nec æquum videri, ut alium, qui nullam hactenus offenſionis cauſam dediſſet, bello impetat, eumque regno privet, quod, ſi eo etiam potiretur, ob vicinorum Principum invidiam, vix retenturus eſſet; alii contra, ut morem Pontifici gereret, nec Cæſaris promiſſa aſpernaretur, ſuadebant, præſertim, quod poſt confectas per Nicolaum Vjlakium cum Turcis inducias, ab his contra rebelles in Aſia occupatis, nihil periculi eſſet. Horum igitur ſen-

ſententiam amplexus, bellum decrevit, ut autem uſurpatoris nomen a ſe amoliretur, 1468. ſcripſit ad Catholicos Bohemiæ Proceres, ſe non alia de cauſa adfuturum, quam ut eos a Podiebradil injuriis tueatur, ſimiles litteras ad Victorinum illius filium dederat, & rationes, cur arma in patrem ejus ſumeret, prolixe expoſuit. a)

Facta denunciatione, nihil moratus, caſtra ad oppidum *Laab* promovit. Hic pedites, & equites, quos Cæſar promiſerat, cum cruciatorum parte, ſuis conjungens, Moraviam ingreſſus, opportuna locis, quæ ſe dediderant, præſidia impoſuit, & Podiebradium, qui advenire nunciabatur, exſpectabat. Adfuit paulo poſt, & caſtra caſtris modico intervallo diſcreta oppoſuit. Neuter univerſis copiis auſus congredi, velitationibus ſolum rem agebant, inter quas etiam de induciis actum; conditiones fuere: Bohemi Eccleſiæ Romanæ ſe uniant, reſtituant bona Catholicis erepta, & damna Hungaris illata compenſent, ſumtus item in bellum factos, captivis utrinque libere dimiſsis, ſolvant, atque hæc litteris, pignore, & datis obſidibus, firment, Moravi autem eousque fidejubeant, donec arbi-

a) Cochlæus l. cit. lib. 12. Gerard. de Roo, l. 8. Raynaldus ad an. 1468. Epiſt. Mathiæ, Part. III. pag. 14. 87. & 88. Pez theſaur. anecdot. noviſſ. Tom. III. Par. III. pag. 222. n. 7. & pag. 223. n. 8.

trio Legati Pontificis pax concilietur. Sed
1468. cum Bohemi nec pignus, nec obſides dare vellent, & Podiebradius poſt aliquot dierum velitationes, penuria annonæ preſſus in Bohemiam receſsiſſet, Mathias ultra progreſſus, Brunam, Olomucium, aliaque loca quod ſponte deditionem facerent, in fidem recepit, remque hactenus geſtam, ad Pontificem perſcribi mandavit, nova pecuniæ ſubſidia flagitans, quæ ſi mature mitterentur, ſpem obtinendæ brevi Bohemiæ faciebat. Trebnicium deinde profectus, Victorinum, qui locum defendendum acceperat, circumſedit, quo clam elapſo, Spielbergam, ſed fruſtra hoc quidem anno tentavit, tum in Bohemiam, eundem, quem in Moravia habuit, ſucceſſum ſperans, ingreſſus, repente, ſe ad urbem Willemovium, in denſiſsimo ſaltu, a Podiebradio ita circumventum deprehendit, ut, niſi ſe mallet dedere, vel ferro via facienda, vel pax eligenda eſſet. Hanc maluit, eamque miſſo ad Podiebradium Alberto Koſztka, incertum, *a*) quibus conditionibus, impetravit. *b*) Dimiſ-

a) Sunt, qui pacem auro redemtam ab eo fuiſſe, perhibent, non tamen ſine dolo. Arculam enim arena impleri, & huic aurum ſuperponi juſsiſſe fertur. Fabulam de induſtria ab inimicis concinnatam eſſe ſuſpicor.

b) Epiſt. Mathiæ Par. III. pag. 14. 39. 45. 67. 70. 87. 88. Balbinus rer. Boh. l. 5. c. 9. Dubravius ad hunc an. Bonfinius Dec. 4. l. 2.

Dimiſſus, relictaque exercitus parte in limitibus Moraviæ, Poſonium contendit, & accitis ad conventum regni Ordinibus, nova in bellum Bohemicum ſubſidia petiit, fidemque editis litteris fecit, ſe nulla deinceps, invitis Ordinibus exacturum, aut quidquam propterea regni immunitatibus derogatum velle, idemque, ut ſuſpicio animis Nobilium eximeretur, Prælati, & Magnates caverunt. His, ut cupiebat, obtentis, factoque neceſſario armorum apparatu, de ſociis quoque, qui partem in bello haberent, ſibi adſciſcendis, cogitabat. Cæſari jam ante, quam in Italiam proficiſceretur, cum rege convenerat, ut Caſimirum regem Poloniæ, propoſito affinitatis ineundæ vinculo, pertentaret. Id negotium Protaſio Olomucenſi epiſcopo datum, qui Cracoviam profectus, duas natu maximas regis filias, alteram Maximiliano Cæſaris filio, alteram Mathiæ deſponderi petiit, conditionem ab utroque hanc offerri,ut,ſi ſine hærede decederent, Hungaria, & Bohemia, ad filias ejus jure pertineat. Ille, accepto a ſuis conſilio, reſpondit, ſe nunquam juri ſuo in Bohemiam, ſeu hæreditario, ſeu a Catholicis Proceribus aquiſito, renunciaſſe, proin non opus eſſe, ut id ſibi per filiæ connubium afferat, cum Mathia autem, qui in Scepuſio, & Moldavia, ſuos crebro damnis affeciſſet, affinitatem ſe omnino detrectare. Hæc ad ſpeciem dicebantur, re ipſa autem, Podiebra- 1468.

dius, intellecta Cæſaris, & regis machinatio-
1468. ne, ipſe etiam miſſo ad Caſimirum Legato, regnum alterutri ex ejus filiis offerebat. Hæc repulſæ cauſa fuit, quam Mathias diſsimulandam putavit, non item querelas de Scepuſio & Moldavia oggeſtas: illic nihil aliud a ſe factum, quam Polonos latrocinia exercentes, ut par erat, eſſe caſtigatos, in Moldavia autem, ſe jure ſuo, quod a deceſſoribus accepiſſet, uſum fuiſſe, juſtisque ex cauſis Vajvodam, qui non ſolum profugos tueretur, ſed Turcis etiam conjunctus, Tranſsilvaniam infeſtaſſet, in ordinem redactum eſſe, declaravit. *a*)

Igitur ſpe, quam de Caſimiro ſibi conci-
1469. liando conceperat, fruſtratus, & Cæſare in Italia abſente, cum ſibi ſoli molem belli incumbere videret, ex Germania enim, in qua non pauci Principes occulte Podiebradio favebant, parum auxilii exſpectandum erat, ipſe, præter mature conſcripta domi militum ſupplementa, ſubſidiariis copiis ex Bavania deductis, ipſa hyeme in Moraviam regreſſus, Spielbergam vix tentatam occupavit, *b*) brevi-

a) Epiſt. Mathiæ P. 3. pag. 56. Balbin. l. cit. l. 5. c. 10. Belius notit. Hung. novæ, Tom. 1. P. ſpecial. membro 1. Sect. 1. §. 39.

b) Litt regis autogr. ad Caſſovien. *Caſtrum capitale totius Marchionatus Moraviæ Spilberck nun-*

vique post Victorino, qui sibi ad castrum *Veszele* occurrerat, intercepto, *a)* Olomucium veniens, potiorum, qui ex Bohemia, Lusatia, & Silesia confluxerant, Procerum consensu, III. Maji, rex Bohemiae salutatus est, *b)* Wratislaviam dein profecto, magistratus urbicus sacramentum fidelitatis dixit, Principes autem obedientiam, ea conditione spoponderant, ne Silesia unquam a Bohemia, ad — 1469.

Dd 4

nuncupatum, supra civitatem Brunensem, una cum aliis civitatibus, & castris, prox. Dominica, Esto mihi — occupavimus cet. Datum Brunae fer. 2. prox. ante carnisprivium, 1469.

a) Ejusd. ad eosd. *Victorinus filius Georgii Podebrath in civitate Wezele — captivitati nostrae mancipatus, nunc erga manus nostras captivus detinetur, cet. Dat. sub Fortalitio Wezele, fer.* 6. *prox. post fest. B. Annae, matris Mariae.* & litt. ejusd. apud Pray, P. 4. pag. 56.

b) Litt. reg. ad eosd. Cassovien. *Convenientibus in hac civitate Olomucensi in unum omnibus fere majoribus Proceribus Christianis Bohemiae, Silesiae, Lusatiae, & Moraviae, — quia necessitas rerum fidei, & etiam multae aliae causae urgebant, ipsi hodie nos in regem Bohemiae elegerunt. Dat. in Olomucz, in fest. invention. S. Crucis.* 1469. Similia Rozitzius apud Sommersberg Tom. 1. qui juramenti formulam Germanicam, quo se Mathias vicissim iis obstrinxit, exhibet. Vid. Pray, P. 4. pag. 54.

ad quam vetuſto jure pertineret, avellatur.
1469. a) Podiebradius, poſtquam, quæ apud Moravos, & Sileſios geſta erant, comperit, ut Mathiæ regni poſſeſsionem difficilem redderet, convocatis, quos ſibi addictos norat, regni ordinibus, Wladislaum, Caſimiri natu majorem filium, ſibi ſucceſſorem hac conditione deſignavit, ut ipſe quidem regnum in reliquam vitam retineret, filiis autem ſuis amplos Principatus conferret, & Wladislaus, ducta Ludmilla Podiebradii filia, poſt illius mortem rerum potiretur. Neque hac re contentus, ſcripſit quoque ad Hungariæ Proceres, graviter in regem invectus, qui, quod illum cum exercitu circumcluſum, precario liberum dimiſiſſet, pro beneficio maleficia redderet. Senſit Mathias hac machinatione ſibi apud ſuos invidiam, & in Polonia hoſtem parari. Acceſſere mox nuncii, qui Turcas per Croatiam in Stiriam, & Carniam, fere ad Forojulium irrupiſſe, affirmabant. Domeſtico periculo admonitus, dum reditum in Hungariam parat, cladem ad Hunnobrodam ab Henrico altero Podiebradi filio, accepit. b)

VII.

---

a) Idem ibid. apud eund. P. 4. pag. ead. & 56.

b) Cardinal. Papiens. comment. l. 7. pag. 439. — 45. Chron. Auſtr. apud Joan. Unreſtum, pag. 562. Kercselics hiſt. Eccles. Zagrabien. pag. 181. Chron. Turcic. apud Wolfg. Drechslerum ad hunc an.

VII. Cæſar interea ex Italia reverſus, Auſtriam mire perturbatam reperit. Suſpicio in Mathiam, nec immerito, conjecta eſt. Cum enim is ab oratore ſuo edoctus fuiſſet, Cæſarem id præcipue apud Pontificem agere, ut jus in Hungariam, & Bohemiam, familiæ ſuæ aſſerat, indignatus, Auſtrales in abſentem concitare, non deſinebat. Hinc ſimultas utrinque orta, quæ cum facile in inimicitias ſoleat deſinere, Cæſaris autem ope, pro temporis illius conditione egeret, Joannem Rozgonium Viennam, quo Imperii Principes ad conventum vocati erant, miſit, ut auxilia apud eos contra Turcas ſolicitaret, re autem ipſa, ut Cæſari conceptam de ſe opinionem, captata occaſione, eximeret. Cum id fruſtra tentaſſet, ipſe rogatu Principum veniens, eorundem opera Cæſari conciliatus eſt. Sed altius utriusque animo ſuſpiciones inhæſerant, quam ut tam ſubito evelli poſſent. Cæſar enim, ſoluto conventu, *Losczinskium*, aulæ familiarem ad Caſimirum miſit, qui commune fœdus contra Mathiam conciliare niteretur. Diu anceps hærebat, quod Nuncius Apoſtolicus Mathiæ faveret. Dimiſſo igitur cum ambiguis reſponſis *Losczinskio*, ipſe poſtea Legatos Viennam miſit, qui has fœderis conditiones proponerent: primum, Cæſar ſibi, vel filio Maximiliano Hedvigem Caſimiri filiam, hujus autem filio Wladislao Cunegundem Maximiliani ſororem deſponderet: dein ut Wladislao 1470.

dislao ad obtinendam Bohemiam auxilio esset, & juri suo in eam renunciet. Cum has
1470. Cæsar suis, & Casimirus, quas ille proposuerat, vicissim suis juribus in Hungariam, & Bohemiam adversari existimarent, tractatio utrinque abrupta est. a)

Non ita clam hæc agebantur, quin non indicium eorum ad Mathiam pertigerit, qui ut tot hostibus, Stephanus enim Vajvoda Moldaviæ rursus ad Polonos defecerat, par esset, de modo conquirendi sumtus necessarios solicitus erat. Pontificum beneficio ducenta hactenus aureorum millia in usum belli perceperat, & nunc quoque Pontifex se ei non defuturum significari curavit, sed, cum sero, nec tempori adesse posse videret, rursus indicto Budam conventu subsidium pecuniæ ab Ordinibus, contra quam pollicitus erat, flagitavit. Molestum id omnibus erat, quod bello Bohemico, Turcicum rebus Hungariæ convenientius, penitus negligi dolerent, itum tamen in regis vota fuit, et florenus auri ex omnium bonis, nemine, cujuscunque prærogativæ esset, aut quantalibet immunitate gauderet, excepto, imperatus, rursumque fides cum a rege, tum ab Ordinibus data, nunquam

a) Chron. Austr. apud Unrestum l. cit. pag. 565. Dlugossus l. 13. Gerard. de Roo, l. 8.

quam hujusmodi ſubſidium deinceps imperandum eſſe. *a*) 1470.

Hoc impetrato, confeſtim Moraviam ingreſſus, in Sileſiam movit, ut Henricum Podiebradi filium, qui, ſe abſente, ſecunda contra Hungaros fortuna uſus erat, reprimeret. Hoc cum clade rejecto, Podiebradium, qui irruptionem in Hungariam minabatur, facta in Bohemiam impreſsione, ab Hungaria reflexit in Moraviam, ubi, caſtris opportuno loco poſitis, uterque conſtitere, &, cum neuter fortunam prælio experiri vellet, de pace actum. Conditiones erant: Rex, quæ hactenus in Moravia, & Sileſia occupaſſet, reſtituat; de damnis vero utrinque illatis, & acceptis, Principes Imperii judicium ferant: ſi renueret, uterque vel ſingulari certamine, vel univerſis copiis congrederentur. Mathias, ut litis arbitrium ad Principes Imperii, quos Podiebradio favere conſtabat, differretur, omnino negavit, ſingulare certamen, ſed more Hungarorum, equeſtre ſe quidem initurum, univerſis autem copiis, ſi opportunum ſibi viſum fuerit, congreſſurum, reſpondit.

a) Decretum hujus an. & nondum Cod. jur. patrii inſertum, exhibet Pray, Par. IV. pag. 61. ex biblioth. Cæſ. Viennen. ſumtum autem ex autogr. exſtat apud C. Ign. a Batthyán Legg. Eccleſ. Tom. I. pag. 508. Dogiel diplomatar. Pol. Tom. I. pag. 603.

dit. a) Itaque negotio, ut facile provideri poterat, infecto, Podiebradius Pragam, Mathias Znoymam, discessere.

VIII. Hoc loco utriusque æmuli res erant,
1471. cum Pontifex, ut regem in prosequendo bello Bohemico confirmaret, pileum, & ensem sacratum, per Gabrielem de Verona, eidem transmisit, additis decem, & octo aureorum millibus, quæ ut regi magis, quam pileus cum ense, necessaria erant, ita tempori quoque valde opportuna. Nam & domi novos motus clam serpere, admonebatur ab amicis, & in Silesia ob deteriorem, quam cudi fecerat, monetam, multorum animos sensim a se averti expertus est, in Polonia quoque quiddam in se agitari, rumor non inanis erat. His molestiis ut se expediret, clam cum aliquot Bohemiæ Proceribus, quos sibi largitionibus conciliaverat, per internuncios, de pace cum Podiebradio ineunda egit; conditiones has proponi jussit: Podiebradius regnum ad dies vitæ retineret, post mortem vero ei Mathias succedat, qui Victorinum e custodia dimissum, Silesiæ Ducem, & Marchionem Moraviæ renunciabit, cui, si Mathias sine legitimo hærede obiret, æquum cum fratribus in Bohemiam jus esset. Videbantur Podiebradio non aspernandæ, delecti utrinque arbitri, qui *Polnæ* in Czasılaviensi provincia, ad

a) Balbinus l. cit. in notis ad lib. 5. c. 10. D.

ad deliberandum convenirent. Bohemi in Mathiam non obſcure propendebant, nec eos, qui Pragæ eandem ob cauſam conventum habebant, diſſenſuros apparebat, cum Legati ex Polonia, & mors Podiebradii, quæ XXII. Martii conſequuta eſt, ſpes Mathiæ ſuccidit. Cum morte Podiebradii, alia rebus facies inducta. Utraquiſtæ, qui ſe Pragæ non ſatis tutos exiſtimabant, ut Comitia Cuttenbergam transferrentur, petebant, & obtinuere. Huc Mathias, qui cum exercitu Iglaviam venerat, ſuos quoque Oratores miſit, qui jus ſuum in Bohemiam tuerentur. Hujus cauſam Legati Cæſaris quidem commendabant, ſed jus quoque Domus Auſtriacæ in Bohemiam ſalvum, & illibatum eſſe voluere, ceteri Oratores ſuis quique dominis, quorum nomine adfuere, ſtudebant. Ex his, cum ad ſuffragationem ventum eſt, quidam Albertum Saxonem, plures Mathiam, plurimi denique Wladislaum, Caſimiri filium, elegere. Huic illud præcipue favebat, quod ex Ladislai poſthumi ſorore, & regio ſanguine editus eſſet, pater autem illius, non longe Cuttenberga, in limitibus Sileſiæ, cum copiis excubaret. 1471.

Pontifex electionem hanc graviter tulit, quod præ Polono Mathiæ faveret, & hic non tam neglectum ſe, quam ſpretum dolens, vaſtata ea parte Bohemiæ, quæ Moraviæ vicina eſt, in Hungariam rediit, & quamquam

iterum

1471. iterum ab amicis moneretur, clancularias coitiones, quæ nihil pacati videantur polliceri, per ſui abſentiam eſſe frequentatas, his tamen malo ſuo leviter contemtis, & animo toto ad retinendam Bohemiam intentus, Oratores Ratisbonam ad comitia miſit, qui jus ſuum iſthic contra Wladislaum tuerentur, &, ſi pro temporis, animorumque habitu viſum fuerit, etiam auxilium adverſus Turcas ſolicitarent, ipſe celebrato interea Budæ conventu, multa, quæ in prioribus non ſatis declarata videbantur, ex Ordinum conſenſu ſecundis curis cognovit, inter quæ illud quoque conſtitutum, ne Rex bona eorum, qui criminis poſtulantur, ſuo arbitrio, neglectoque juris ordine, in fiſcum redigat, neve tributa præter morem imperare velit. *a*)

Utrumque enim ob ſumtus in bella faciendos, ei fere jam familiare erat, quod ipſum multorum animos ab eo ſenſim alienavit, quod rem publicam ſuo magis arbitratu, quam ex legum præſcripto, adminiſtraret, ac pri-

a) Cod. jur. patr. Tom. I. pag. 221. Raynald. ad hunc an. Epiſt. Mathiæ Par. II. pag. 87. ſed male ad an. 1465. Dlugoſs. l. 13. Peſsina in phoſphoro ſepticorni radio 3. Sommersberg diplom. Tom. II. pag. 83. & ſcript. rer. Sileſ. pag. 351. Campani epiſt. apud Pray, Par. IV. pag. 72. Balbinus rer. Boh. l. 5. c. 11. Gerard. de Roo l. 8.

privatim inter se coeuntes, consilia de illo exauctorando, subrogandoque eidem Polono, agitabant. Auctor factionis, Joannes Strigoniensis archiepiscopus, ex Varadiensi ad eam sedem traductus, cujus opera Mathias in difficillimis rebus alias feliciter uti solebat, fuisse fertur, qui, postquam plures etiam primi ordinis viri in eandem cum eo societatem coaluissent, clam missis ad Casimirum nunciis, filium illius Casimirum, a potiori nationis parte regem Hungariæ optari, eidem significavit. Hæsit primum pater, non ignarus, quam temporaria factiosorum voluntas, & studia esse soleant, post tamen identidem rogatus, filium cum duodecim equitum, & peditum millibus, fortunam tentare permisit, non tam eo animo, quasi felicem rei exitum speraret, quam ut Mathiam, confecto ei apud suos negotio, a Bohemia averteret, hujusque possessionem filio Wladislao firmaret. Aberat per id tempus Mathias in Moravia, cum a Canonicis Strigoniensibus de periculo admonitus, celerrime revolavit, captataque suorum benevolentia, & amplissimis promissis, non paucos sibi concilians, Nicolaum Csuporium præmisit Cassoviam, tum datis in Moraviam mandatis, partem copiarum in Hungariam accelerare jussit, & proventus archiepiscopi, ne hostis hoc nervo uti possit, in fiscum redegit. a) Hi

1471.

a) Bonfinius Dec. 4. l. 3.

Hi Mathiæ ad accipiendum hostem ap-
1471. paratus erant. Casimirus vero interea Cracoviæ litteras feciales, hoc titulo: *Mathiæ de Hunyad, regni Hungariæ usurpatori,* inscriptas, vulgavit: in his jus suum in Hungariam, primum a matre Ladislai posthumi sorore, & Sigismundi nepte, declarat, dein queritur, regnum a Mathia, non tam libera electione, quam factione paucorum, armisque violente occupatum, nec secundum Nationis instituta, sed arbitrarie, & superbe hactenus gubernatum esse, proculcatas ordinis Ecclesiastici, Nobiliumque immunitates, neglectam justitiæ administrationem, & populum propter bella, quæ, confecta cum Turcis pace, in Christianos, studiose captata occasione, moveret, crebris exactionibus pene ad incitas redactum, his de causis se adductum, ut ei tamquam usurpatori, & his, qui illius partes tuerentur, bellum indiceret. *a*) Credibile est, has

a) Exemplar litterar. Germanicum exstat in biblioth. Cæs. Vien. inter Codd. MSS. hist. prof. Num. 234. fol. 26. item inter juris civil. N. 84. f. 25. Finis earum hic est. *Darumb dir herr Mathias vom Huniad, ein zugedrungener Kunig, und herscher, und deinen helffern, die dir mit rath, hilf, oder tadt beistand thuen, hindan besondern, und absagen durch diesen unsern brief, nicht dem Kunigreich, noch den Præ-*

has caufas adolefcenti, rerum harum ignaro, & aliquas fortaffe, non injuria, a factiofis fuggeftas fuiffe. 1471.

Litteris divulgatis, ex Polonia movens, præterita Caffovia, Agriam, & inde Hatvaninum venit, fed, cum hic pauciores, quam a factiofis promiffum erat, ad figna videret confluere, Nitriam fecefsit. Huc eum Mathias cum veteranis confequutus eft, cujus adventu territus, impofito arci valido præfidio, in Poloniam rediit. Arcem Mathias ob ingruentem hyemem obfidere non potuit, fed archiepifcopi Strigonienfis oppida, & villas in vicinia fitas, vindictæ ftudio abreptus, ferro, & igne vaftari imperavit, parum memor, damna populi, non tam hujus, quam regum, effe. Poftquam ira deferbuit, rurfus interventu

Prælaten, oder Herren darin wonenden, der du dich dann hochfertigklich zu regiren unterwunden haft, fondern den, die dir hilf, oder beiftand thuen, und fetzen uns wider dich zu einem rechten feind, und fagen dir offentlich ab mit heer, und mit allen unfern leuten, mit rechter Krafft wider dich, und alle, die dein, zu aller widerwertigkait zu fein. Dazu woll uns Gott helfen. Geben zu Krakau im LXXI. Jare. Latinas autem exhibet Dogiel, Tom. I. pag. 61. & Katona Tom. XV. pag. 496. Conf. Dlugos. l. 13. & Cromerum l. 27.

tu Episcoporum, & Magnatum, rediit cum
1471. eo in gratiam his pactis utrinque constitutis: Archiepiscopus neminem, nisi Mathiam, regem agnoscet, eique consilio, & auxilio contra quoslibet hostes aderit, castra sua tradet fidis, probisque Hungaris, qui regi simul sacramento obstricti sint, & hominibus regiis, quoties opus fuerit, ad ea liberum aditum præbeant. Dabit præterea operam, ut arx Nitriensis, a Polonis infessa, quantocius restituatur, Sexardiensem vero funditus dirui jubebit, nec alias deinceps audeat exstruere; rebelles non fovebit, quin contra hos fideliter regi afsistet. Hic autem vicissim non solum proventus interceptos archiepiscopo restituet, sed, si quæ interea cognatis illius ablata essent, hæc novo judicio cognosci jubebit, jura, jurisdictiones, & immunitates, quas Pontifices, & reges Hungariæ Strigoniensi Ecclesiæ tribuissent, illibatas servabit, & septem aureorum millia, quæ mutui nomine ab eo acceperat, ad futurum verni jejunii tempus rite persolvet: denique, ne posthac ulla simultatibus occasio detur, rex promittit, se obviis delationibus contra archiepiscopum, nequaquam fidem habiturum, nisi idoneis testimoniis fulciantur, tum vero integrum ei erit, illum, salva tamen ejus persona, judicio secundum leges convenire. *a*) Ita Poloni sensim

a) Pactorum leges vide apud Pray, P. IV. pag. 65. & seq.

ſim Hungaria exacti, Nitria tandem reſtituta, & conjuratio, quæ per omnes, ſi novem demas, Comitatus late diffuſa fuit, celeritate regis ſuppreſſa eſt. *a)*

IX. Quamquam autem conjurationis autor, intercesſione aliorum, regi conciliatus eſſet, anno tamen ſequente, incertum, quæ offenſionis cauſa fuerit, ejusdem juſſu Viſſegradum ductus, & arcta cuſtodia ſervatus eſt. Tam ſubita regis mutatio plerosque attonitos reddidit, metuebantque, ne rex gravius aliquid in eum conſtituat, cum Legatus Pontificis cum Epiſcopis, & regni Primatibus de modo placandi regis conſultabat. Viſum omnibus, ut interpoſita Pontificis auctoritate cum eo ageret. Morem geſsit, & capto molliori tempore, tandem, quamvis ægre, perſuaſit, ut captivo ignoſceret, ſed conditiones prioribus graviores, & hujusmodi fuere: Dimiſſo ex captivitate, fas ſit in caſtro Strigonienſi cum XXXII. famulis, epiſcopo Agrienſi juramento obſtrictis, morari, & caſtrum in poteſtate Agrienſis, jurisdictio autem Eccleſiaſtica archiepiſcopo, libera eſſet, poſsit præterea villis, & poſſeſsionibus ſuis, excepto Strigonienſi dominio, quoscunque vellet, præficere, quorum quatuor, ſexve, aut pluribus, verum ſine armis, dominum ſuum adire in caſtro liceat, quod, ut primum pax cum Polo- 1472.

a) Bonfinius Dec. 3. l. 2.

1472. no confecta fuerit, eidem reddetur, eo tamen pacto, ut Præfecti arcis eadem fide regi, qua Archiepiſcopo, obſtricti ſint, ſi vero interea Archiepiſcopum mori contingat, Strigonienſe, cum reliquis caſtris, regi, ſin hic prior obiret, Archiepiſcopo in ſolidum reſtituentur. *a*) Captivitatis igitur locus ei ſolum mutatus, non item libertas penitus reddita eſt, tametſi nec hac, qualicunque, eodem anno ex moerore animi exſtincto, diu frui licuit. Vir, ſi ultimus vitæ actus primis reſpondiſſet, cum ob admirabilem, qua præditus erat, doctrinam, ſcientiarumque per regnum propagationem, tum uſu rerum obtentam facilitatem expromendi difficillimo etiam tempore conſilii, inter primos ævi illius viros locandus, qui ad retinendum vitæ inculpatæ tenorem, vel in principio, cum de Mathia eligendo agebatur, regii ſaguinis rationem habere, vel hoc jam electo, non temere in Polonum inclinare debebat, regibus enim, ſeu hæreditatis, ſeu electionis jure, regna obtineant, fides ſacramento ſemel adſtricta, ſemper illibata ſervanda eſt. *b*)

Complanata cum Archiepiſcopo lite, rurſus Conventum Budæ cum regni Ordini- bus

a) Document. exhibet Pray, Part. IV. pag. 84. & Katona Tom. XV. pag. 554.

b) Elogium viro huic a Galeotto tributum, vid. apud Pray Hierarch. Hung. Par. II. pag. 182.

bus habuit. *a*) Inter leges, quas in eo ratas esse jussit, *b*) mirum est, nullam in 1472.
conjurationis participes constitutam fuisse; incertum, an auctore illius castigato, putarit in reliquos conniventia utendum, ut ipsa exspectatione suspensos in metu contineret, an Legatus a Casimiro ad conciliandam pacem missus in causa fuerit, ut ab habendis in eos quæstionibus abstineret. Legato liberaliter accepto, adjunxit ex suis, qui cum eo deliberarent, nihil tamen effectum aliud, quam ut conditionibus, quæ paci futuræ quasi viam præsternerent, stabilitis, Olomucii ad hanc conficiendam statuto tempore convenirent, etsi postea, quam Marcus Barbus Cardinalis Aquilegiensis a Pontifice ad conciliandum

 utrum.

a) Decreti hujus dat. est: in festo BB. Philippi, & Jacobi, Apostol. 1472. primum illius indicium fecit Pray, Dissert. de sac. dextera S. Stephani regis pag. 31. integrum exhibet Katona Tom. XV. pag. 562. Hoc quoque in corp. jur. patrii desideratur. Illud in eo peculiare, ut Comitia secundo quovis anno celebrentur, nullo tamen, quamdiu durare debeant, tempore constituto. Post dat. Decreti hæc addun̄tur: *& item, quod nos de cetero in medium regnicolarum nostrorum, aliquam taxam ipsis invitis non imponemus. Dat. ut supra.*

b) Numero 15. sunt, quod indicio est, Comitia brevi absoluta fuisse.

utrumque regem miſſus, Niſſam præ Olomu-
1472. cio, ad habendum Conventum, deligendam
cenſuerit, prius tamen, quo animo Mathias
eſſet, explorare volens, Leonardum de Pe-
ruſio Budam proficiſci juſsit, qui in comitatu
Joannis Tininienſis Epiſcopi remiſſus, cum pa-
rum æquas conditiones afferret, ſpes pacis
hoc quidem anno evanuit. *a*)

Nec ſequente, dum ad IV. Nonas Febru-
1473. arii Niſſæ conveniſſet, res felicius tentata.
Novem utrinque arbitri ad menſem Aprilem
conſœderant, & Mathias in omnem eventum
cum quatuor millibus ad Brunam excubabat,
non eo tamen, quem ſperabat, rei ſucceſſu.
Hungari Hedvigem Caſimiri filiam, regi ſuo
ſponſam cum Scepuſio, & Moravia, dotis
nomine, petebant, negarunt contra Poloni,
qua repulſa irritatus, Victorinum ea condi-
tione libertati reſtituit, ut ſe regem Bohe-
miæ agnoſcat, & Colinum urbem ſibi conſi-
gnet, ut hac occupata, impoſitoque mille equi-
tum, & DCCC. peditum præſidio, montes
Cuthnenſes occupare, & interceptis fodinis,
nervum rei gerendæ Wladislao adimere poſ-
ſet, qua hoſtilitate tractatio pacis tantisper
interrupta, mox hortatu Legati Pontificii re-
ſumta eſt, & conditiones, in quas condicere-
tur,

a) Dogiel Cod. dipl. Polon. Tom. I. pag. 63.—
65. Raynald. ad hunc an. Dlugoſs. l. 13.
Gerard. de Roo l. 8.

tur, in medium propofitæ; erant autem hujusmodi: Uterque Rex Bohemos fidelitatis juramento folvat, ut liberior illis eligendi regis poteftas effet; damna tam Hungariæ, quam Poloniæ illata ex æquo utrinque penfentur, Poloni præfidium *Sztropcovia* deducant, & captivi liberi dimittantur; arbitrium vero Duci Burgundiæ, vel, fi hic nollet, aut moreretur, regi Galliæ deferatur. Mathias, qui Cæfarem cum Cafimiro fœdus contra fe, clam inire velle, comperit, ne fibi tot hoftes confcifceret, non ægre his affenfus eft, &, cum plures in Bohemia ex Magnatum ordine fibi addictos fciret, facile in Conventum Oppavienfem, ferius poftea habendum, in quo de pace transigenda ferio ageretur, condixit; verum ex hoc quoque re infecta difceffum, quod acephali, erant hi Hufsitarum reliquiæ, Polonis conjuncti, prædas, & latrocinia in Hungaria agerent, in quos Rex celeriter profectus, expugnatis eorum latibulis, ac plerisque trucidatis, Poloniæ infufus *Smigrodo*, *Brodeco*, aliisq oppidis, & caftris occupatis, magnam captivorum copiam abduxit. a) Hac imprefsione in hoftiicum facta, negotium conciliationis, utroque rege tot depopulationum, quas fibi alternis inferebant, pertæfo, acceleratum eft. Arbitri utrinque

1473.

1474.

 de-

a) Raynaldus ad hunc an, Dlugoffus l. 13. Cromerus l. 28.

delecti in antiqua villa, oppidum Scepusii est,
1474. convenere. In ipso tractationis limine constitutum, ne ullus paciscentium suos, prædandi causa ex uno in aliud regnum sinat procurrere, transgressores utrique puniant, res ablatæ reddantur, privatorum querelas, secundum juris normam partes component, & de injuriis satisfacient; militi retenta stipendia præbeantur, si quid gravius intercurreret, arbitri, prisco more servato, dirimant. Hæc generatim, tum ad alia singilatim ventum: castrum *Smigrodum*, suo domino, & *Mufsina*, Episcopo Cracoviensi, restituantur; damnorum utrinque illatorum cognitio in annum sequentem prorogetur; Vajvodæ Moldaviæ, & Valachiæ inducias biennio servent, de regum jure in utramque provinciam ut futuro anno in conventu instituendo agatur, utrinque conventum, interea neuter Vajvodis bellum inferre promittent; & pignus XIII. oppidorum Scepusii, ut a rege Sigismundo pactis conventis statutum erat, deinceps quoque ratum, firmumque sit. Visum est, Wladislaum etiam huic fœderi innectere: cum hoc induciæ in triennium confectæ, intra quod si alter alterum bello impeteret, nec Hungari Mathiam, nec Wladislaum Bohemi juvabunt, & uterque Bohemos suæ parti addictos in officio continebit, ne quis autem excusationi fucum possit prætexere, concordi sententia utrinque statutum, ut induciæ

per

per Hungariam, Poloniam, & Bohemiam divulgentur. a) Hæc menſe Februario acta. 1474.

Induciis conſtabilitis, novi apud Tranſſilvanos motus concitati, qui, ſparſa de morte regis mendaci fama, jugum excutere, & ad Polonos ſecedere parabant, quos tamen, quoniam ſeditio ad paucos pertinuit, miſſo in provinciam milite, ad obſequium reduxit, qua occaſione, ſuo nuncio, quem in Moldaviam proficiſci juſſerat, ſpeciatim in mandatis dedit, ut cum Vajvoda de ratione belli, ſi id a Turcis alterutrius ditioni ingrueret, diligenter agat, &, quæ mens illius ſit, ad ſe referret. Mahometes enim victo in Aſia *Uſumcaſano*, vires ſuas in Europam traducturus, & bellum non tam mari, quod Veneti infeſtum tenebant, quam terra, moturus ferebatur, qui ſi Hungariam, ut metus erat, impeteret, regni Ordines juſſu regis apud Sileſios abſentis, habito ſerius poſtea conventu, florenum auri viritim imperarunt, ſed contra Turcas ſolum, non item alios hoſtes impendendum, hactenus enim ſubſidia, nullo regni emolumento, in bellum Bohemicum erogata conſta-

a) Sommersberg diplomat. Boh. Siles. Tom. I. P. II. pag. 83. 84. Litt. Georgii Præpoſiti Quinque-eccleſien. dat. in Kezmark d. lun. ante carnisprivium 1474. ex Cod. Ms. hiſt. prof. N. 234. f. 14. bibl. Cæſ. Viennen. Dogiel Cod. diplom. Pol. T. 1. P. 2. pag. 68. — 73.

1474. stabat, ne autem hoc onus, symbolam conferentibus, grave accideret, lucrum Cameræ in duos annos relaxatum est, cautumque, ne Hungari contra alium hostem, quam Turcas, intra anni spacium, militiam profiteri cogantur. *a)*

Dum in hanc partem curas suas Rex convertit, alia ei clandestinus hostis parabatur. Casimirus, licet pacem cum Mathia XXI. Februarii pepigerit, mense tamen nondum elapso, Legatum suum ad conventum Norimbergensem misit, ut cum Cæsare fœdus clam contra Mathiam iniret. Facile Cæsar, in hunc alioquin non optime animatus, ad commune bellum ei movendum adductus est. Causa, præter crebras vastationes utriusque ditionibus ab eo illatas, præcipua ex eo capite petebatur, quod dissimulatione sua, Turcas, per Croatiam sæpius in Stiriam, & Carniam irrumpere, & irreparabilia damna inferre passus esset, ideoque, ne pluribus injuriis se, suosque deinceps afficiendos præbeant, commune inter se fœdus, his conditionibus, pepigere: Ut uterque, bello Mathiæ, hujusque fautoribus, decreto, copias ad diem XXV. Julii expeditioni paratas habeat, neuter, inconsulto altero, pacem, vel inducias cum illo,

a) Cod. jur. patr. Tom. I. pag. 225. Litt. regis d. 22. Oct. Bud. apud Baluzium Miscell. Tom. I. pag. 502.

lo, vel ejus ſociis, ineat, &, ſi qui ex Hungaris ad alterutrum deficerent, hos quisque pro virili ſua tueatur. a) Si Dlugoſſo fides, b) modus præterea gerendi belli is conſtitutus fuit, ut quadripartitis copiis, eodem tempore Cæſar ex Auſtria, ex Bohemia Wladislaus, Caſimirus vero ex Polonia, & Vajvoda Valachiæ ex parte Tranſsilvaniæ, in Hungariam moverent. 1474.

Mathias, cum fœderis hujus indicium ei ex Germania factum eſſet, Caſimiri quidem inconſtantia vehementer offenſus fuit, in Cæſarem tamen magis excanduerat, ut adeo iram in illum conceptam, non niſi cum morte poneret. Urebat illud quoque ejus animum, quod, cum Caſimiri filiam ſibi deſponderi petierat, ab hujus matre, ob ignobilitatem generis, illa indignus haberetur, qua repulſa irritatus, jam antea, miſſo Neapolim Georgio Quinque-eccleſienſi Præpoſito, & Nicolao de *Alſolindva*, Beatricem, Ferdinandi Siciliæ regis filiam, ambierat, & nunc quoque eosdem, addito ſocio Joanne de Rabenſtein Præpoſito Viſſegradienſi, ad Ducem Mediolanenſem, ut hunc ſibi contra Cæſarem conciliarent, proficiſci juſsit, c) cui ut in Germa-

a) Dogiel. l. cit. Tom. I. pag. 164.

b) Hiſt. Pol. l. 13.

c) Litt. regis dat. Budæ in feſt. Pentecoſt. 1474. *Legationes adiit* (Nic. de Alſo Lindva,) *&* *præ-*

mania quoque negotium conficeret, Fridericum Palatinum, nuper hostem Imperii a Cæsare declaratum, præterea sibi adjungendum putabat. Nec hostibus solum Cæsari exadversum parandis contentus, molitiones quoque illius volens antevertere, Austriam, & Bohemiam incursionibus cœpit lacessere, Vratislaviam deinde profectus, Ernestum Saxonem, collato in feudum Ducatu Saganensi, hujusque fratrem Albertum, & utriusque patruelem Wilhelmum sibi conciliavit, quorum confœderatione, &, quas ex Hungaria adduxerat, copiis, parem se Casimiro futurum existimabat.

1474.

Nec hic ex pacto cum Cæsare inito, diu moratus, cum LX. millibus Silesiæ appropinquans, circumlata vastitate, Mathiam, ut hostem delassaret, prælium studiose detrectantem, Vratislaviæ circumsedit. Aderat patri Wladislaus cum Bohemis, vario Marte utrinque toto Octobri, & fere Novembri certatum, donec Polonos annonæ, & pabulationis defectus, ipsaque hyemis inclementia, & mor-

præcipue duas — pro nobis, & regno, primam cum R. D. Georgio Præposito Quinque-ecclesien. ad serenissimum Principem Ferdinandum, Regem Siciliæ, alteram cum Ven. Joan. de Rabenstein Præposito Vissegradiensi ad Ducem Mediolani, — unde juxta votum nostrum optatas reportavit relationes.

morbi in exercitu graſſantes, pacem petere cogerent. Convenere reges in aperto campo, & XXI. Novembris, inducias in ſesquialterum annum pepigerunt. Mathias, ut hoſtem etiam humanitate vinceret, inedia pene tabeſcenti annonam triduo large adminiſtrari juſsit. *a)* 1474.

X. Induciarum tempore, ambo reges ad conciliandam inter ſe pacem, animum adjecere, delectis utrinque ex ſua Natione arbitris, qui Pragæ, quod æquitati conſentaneum viderétur, communiter decernerent. Aderant Hungari menſe Februario, conditiones utrinque ad deliberandum propoſitæ, crebroque, ut fit, mutatæ, donec in hæc tandem capita coaluiſſent: Wladislaus Bohemiam cum utraque Luſàtia, & in Sileſia, Ducatus Svidnicenſem, & Javorienſem, Mathias contra reliquam Sileſiam cum Moravia, tenerent, qui ſi ſine hærede obiret, Sileſia, & Moravia ſuopte ad Wladislaum devolventur, ſin autem hæredem reliquerit, huic Wladislaus pro utraque provincia, CC. florenorum millia perſolvet, eademque vicifsim, ſi Wladislaus improlis moreretur, conditionum ratio eſſet. *b)* Actum de his poſtea etiam fuit Brunæ Mathia 1475.

a) Dlugoſſus l. 13. Cromerus l. 31. Curei annal. Sileſ. ad hunc an. Raynald. ad hunc an. Müller Staatskabinet Par. III. c. 1. §. 13.

b) Dlugoſſus l. 13.

thia præsente, sed quod illi non satis æqua
1475. provinciarum partitio videretur, negavit, se conditionibus subscripturum, nisi Pontificis, eorumque, quibus fœdere conjunctus erat, sententiam prius exploret, re ipsa autem, quoniam intellexerat, Legatos ab Wladislao ad Cæsarem mitti, moram quærebat, ut ipse suos quoque Andernacum, ubi conventus Imperii agebatur, mittendi tempus haberet. Causa Legationis utrinque eadem fuit. Cæsar enim, quamvis Wladislaum regem Bohemiæ agnosceret, feudum tamen ei hactenus non contulerat, hinc Mathiæ, quod prior illo a Bohemis electus esset, hujus obtinendi spes oborta est, præsertim, quod octennio abhinc id sibi conferendum Cæsar promisisset, a) & nunc eidem auxilium contra Burgundiæ Ducem per Legatos suos offerret. Interea autem, dum hi cum responsis Andernaco redeant, comitia ad XXIV. Aprilis Budam edixit, ipseque, ut his interesset, Brunæ non diu moratus, in Hungariam rediit. Quid in his actum, quæ leges conditæ fuerint, nuspiam hactenus vulgatum est, videtur tamen res præcipue expeditionem in Turcas spectasse, ex quibus Vajvoda Moldaviæ sub initium hujus anni insignem victoriam retulit. Solutis enim Comitiis, in Serviam cum decem millibus contendens, Szabacsum, ex quo Tur-

cæ

a) Recole, quæ ad an. 1468. Nr. VI. dicta sunt.

cæ crebro prædas in Sirmio, & Sclavonia agebant, obſidione cinctum, in poteſtatem redegit, Szenderovia tamen, quod hoſtis ſubſidia, & commeatum adverſo Danubio acciperet, incaſſum tentata, Budam reverſus eſt. a) 1475.

Legati Andernaco interea reduces, dubia a Cæſare reſponſa afferebant. Non erant hæc quidem regi, qui occultas illius adverſum ſe machinationes noſſet, inexſpectata, diſsimulanda tamen putabat, alteri, quod jam in tertium annum Neapoli, per oratores ſuos agebat, negotio intentus. Acceperat ab his nuncium, ſponſionem matrimonii cum Beatrice, eo jam adductam eſſe, incertum autem eſſe tempus, quo eam pater ab ſe dimitti velit, quod tamen tempori ſe ſignificaturos receperant. Mathias his acceptis, Rudolphum Wratislavienſem, & Joannem Varadi- 1476.

a) Car. Wagner diplomatar. Comitat. Saroſsien. pag. 128. Kaprinai hiſt. diplom. Par. I. pag. 309. Thurocz Chron. Par. IV. c. 67. Bonfinius Dec. 4. l. 3. Müller Reichs-Tags Theater ſub Friderico, Par. II. c. 67. pag. 693. exhibet litt. regis ad Imp. in conventu Andernacen. lectas, in his ita: *dann das ſie* (die Polacken) *offentlich usſchreyen, der Keiyſer wer mit yn verbunden und irer Rethe aller deylhafftig &c.* Raynaldus ad hunc an. Litt. regis an. 1477. apud Pray Differt. 7. in annal. pag. 148.

radienfem, Epifcopos, monuit, ut, cum eis
1476. indicatum fuerit, itineri, ad deducendam fponfam, accincti effent, fimul Cæfarem, aliosque Principes, ut nuptiis adeffe vellent, per Legatos invitavit.

In medio hoc apparatu Joannes Archiepifcopus Strigonienfis, quod ortu Silefius effet, *Alemannus* dictus, convafatis thefauris, ad Cæfarem defecit, fpe confequendi Archiepifcopatus Salisburgenfis illectus. Id Mathiæ fufpicionem ingefsit, transfugam confilia, quæ clam in aula agebantur, Cæfari prodidiffe, ac propterea litem Bohemicam, licet fæpius jam fere terminanda fuerit, nunquam felicem exitum habuiffe. Hinc nova inimicitiarum inter utrumque caufa orta eft, quæ paulo poft celebratas nuptias in apertum prorupere. Erat pompa nuptiarum, ad quas fœderati Principes, Legatos fuos miferant, incredibili magnificentia, & fplendore apparata. Beatrix, poft peractam menfe Octobri Albæ coronationem, pactamque, ex ritu Ecclefiæ, fidei conjugalis fponfionem, Budam deducta eft, ubi reliquum, quod fupererat, anni tempus, inter cœnationes, faltatus, & haftiludia transactum, cum Turcæ interea, fubornante Vajvoda Valachiæ, facta in Moldaviam irruptione, provinciam pene omnem fubegere, facileque retenturi erant, nifi Rex Stephanum de Bathor mature hofti occurrere jufsiffet, qui collectis per iter copiis, ac-

ceptis-

ceptisque ex Transsilvania supplementis, Turcas improviso aggressus, eo fere tempore, quo illi provinciam occuparunt, ex eadem ejecit, & Vajvodæ Valachiæ exauctorato, alium regis nomine subrogavit. *a*) 147[illegible].

Turcis Moldavia exactis, inimicitiæ, quæ inter Cæsarem, & regem jam diu gliscebant, tandem in apertum prorupere. Occasionem præbuerat, feudum Bohemiæ Wladislao a Cæsare collatum. Mathias, qui tot sumtibus, & tot annis id ambiebat, promissumque a Cæsare habuit, spe illius obtinendi se repente dejectum videns, indignatione commotus, pridie Idus Junii, bellum ei denunciavit, causas, cur id faceret, vulgatis litteris declarans. *b*) Similes ad Ordines Austriæ, & Principes Imperii dederat. Cæsar, ut invidiam a se amoliretur, vicissim in Hungariam ad regni Ordines scripserat, & belli cau- 1477.

a) Dlugossus cit. l. 13. Litt. regis an. 1477. apud Pray cit. Dissertat. 7. in annal. vet. pag. 148. Pompam nuptiarum prolixe describit Legatus Comitis Palatini, qui iis interfuit, Tom. I. Script. rer. Hung. edit. Schwandtnerianæ pag. 519.

b) Exstat in Tabular. Domus Augustæ, Königs Mathiæ, Fehde und Absagsbrief an Keyser Friderich III. und dessen Erblande. Ofen Pfingstag vor St. Veit. 1477.

caufas in Mathiam conjecit, fimul a Cafimi-
1477. ro, Wladisiao, & Imperii Principibus, auxilia flagitabat. Mathias prius, quam hæc mitti poffent, cum Auftrales Cæfari infenfos, fibi autem addictos fciret, cum XVII. millibus in Auftriam movens, primoque impetu, Trautmonsdorfio, & Petersdorfio occupatis, metum toti viciniæ adeo incufferat, ut una die urbes XIV. fe ei dediderint; præterita deinde Vienna, Clauftroneoburgum affultu cepit, Tulnam feptem, & Corneuburgum decem dierum obfidione fubegit. Hic ftationem figens, partem copiarum Cremfium, & Zwetlam mifit, & Viennam commeatu interclufit. *a)*

Cæfar, qui per id tempus ad defpondendam filio fuo Maximiliano Mariam, Caroli Audacis Burgundiæ Ducis filiam, a pluribus, præfertim Ludovico Galliæ rege, pro filio fuo Carolo prenfatam, cogitationes fuas converterat, ne ditifsimæ, & rebus Auftriacis ob Alfatiæ viciniam, opportunæ provinciæ, in Gallorum poteftatem venirent, viresque fuas, fi opus effet, in Belgium poffet traducere, Legatos ad regem mifit, qui eum ad ineundam pacem flecterent. Non abnuit, domeftico, Turcæ enim in Sclavoniam interea irruperant, periculo admonitus, & inducias XV. dierum in-

a) Linck annal. Clarævallen. ad hunc an. Conf. Pray P. IV. pag. 113.

indulsit, intra quos de conditionibus velut præviis ad pacem ageretur. Itaque celebrato Gemundæ congressu, in hæc capita utrinque conventum: Mathias induciarum tempore, nihil hostile in Austria, & Stiria tentabit, nec equitatum ex castris, nisi pabulationis causa, emittet; Hungari ad Cremsium eodem, quem occuparunt, loco, sine maleficio urbi inferendo, persistant, Viennam, qua parte obsessa est, nihil interea commeatus inferatur, oppida bello capta, induciarum jure fruantur, Cæsar denique cum suis ultra Laureacum regi ne appropinquet. *a*) Actum quoque est, ut Galeaciis, qui Ducatum Mediolanensem invaserant, exauctoratis, Fridericus, Ferdinandi Siciliæ regis filius, vicaria potestate Ducatui præesset, & huic Cunegundis filia Cæsaris desponderetur, tum ut alter alterius provinciarum vadimonium promitteret, & bellum contra Turcas communibus viribus gererent. *b*) 1477.

His stipulatione mutua firmatis, ad pacis tractationem ventum. Regis nomine aderant, praeter Gabrielem Agriensem, & Joannem

a) Cod. Ms. hist. prof. N. 224. fol. 35. Biblioth. Cæs. Vienn.

b) Kollar auctar. Diplom. ad hist. Vrsini Velii ad an. 1477. & Cod. Ms. cit. Bibl. Vienn. fol. 78. Litt. regis an. 1477. dat. in Corueuburg in fest. B. Lucæ Evangelistæ.

Varadienſem epiſcopos, Emericus de Zapo-
1477. lya, Nicolaus Banfy de Lindva, & Georgius Præpoſitus Poſonienſis. In principio tamen aliquamdiu hæſitatum eſt, quod rex CCC. florenorum millia pro belli impenſis peteret, id cum Cæſari exauctum videretur, rex dimidium illius, poſtea centum duntaxat ut penderentur, conceſsit. Hoc obſtaculo remoto, facile in has conditiones utrinque conſenſum: Pax inter Cæſarem, Ducesque Auſtriæ, & regem, ac utriusque ſucceſſores perpetua ſit, ille Mathiam filii, & hic Cæſarem patris loco habeat; alter alterius honori, & utilitati ſtudeat, abſtineant ſe ab inferendis ſibi injuriis, ac maleficiis, amici & inimici ambobus communes erunt, fœderibus, quæ in alterutrius damnum inita eſſent, uterque renunciet, integrum tamen ſit regi, ea, quæ cum Pontifice, & ſuo ſocero Ferdinando ſanxiſſet, illibata ſervare. Præterea, Cæſar Mathiæ *inveſtituram* regni Bohemiæ, & Electoratum, eadem, qua Wladislao, forma conferet, qui his obtentis, copias ex Auſtria deducet, litterasque juramentum de collato ſibi feudo continentes Cæſari conſignabit, cui ſi propterea Caſimirus, vel Wladislaus bellum moverent, rex omnibus viribus eidem auxilio veniet. De belli ſumtibus autem ita conventum, ut Auſtriæ utriusque ordines futuro anno ad diem VI. Januarii Cremſium conveniant, obſtringantque fidem ſuam litteris editis,

ſe

ſe quinquaginta millia die XI. Novembris, alia vero quinquaginta ad eandem diem ſequentis anni perſoluturos eſſe, quibus rite numeratis, rex quæcunque loca occupaverat, bona fide reſtituet. Additum quoque, ut Cæſar iis, qui ex Auſtralibus regis partes ſequuti fuiſſent, erratorum veniam impertiatur, hi autem eidem obedientiam, & fidelitatem præſtent. Hæc Corneuburgi ipſis calendis Decembris geſta. *a)* Sunt, qui hac pacificatione Cæſarem juri quoque in Hungariam, quod olim publicis Mathiæ, ac regni Optimatum litteris, pactisque conventis ei tributum fuit, renunciaſſe ſcribant. *b)* Sed, cum hujus tabulæ pacis nuspiam meminerint, & Cæſarem deinceps etiam titulo regis Hungariæ uſum fuiſſe conſtet, *c)* quidquid id eſt, ad inanes ſuſpiciones relegandum videtur. 1477.

XI. Conſtabilita pace, Cæſar Græcium profectus, die IX. Januarii litteris per omnes ſuas ditiones vulgatis, interpoſita pœnarum comminatione, ſuis præcepit, ut pacem ſervent, 1478.

a) Conventionis hujus leges exſtant in Tabular. Auguſt. Vien. item Cod. Ms. cit. biblioth. Cæſ. f. 79. ex quo hic deſumtæ ſunt. Vid. Pray P. IV. pag. 114.

b) Gerard. de Roo l. cit. l. 8. Michovius Chron. l. 4. c. 72. Cromerus l. 28.

c) Lunig Cod. dipl. German. Tom. I. pag. 467. Dlugoſs. l. 13. Bonfinius Dec. 4. l. 5.

vent, neve ullam ejus turbandæ causam præ-
1478. beant, & captivos gratuito liberos dimitterent, quod a Mathia quoque pari cura, & fide præstitum fuit. Sed, cum in amicitia armis extorta parum fiduciæ reponeret, futuri providus, curas omnes eo convertit, ne, si Cæsarem supernæ pacis pœniteret, quidquam, quo eidem resistere posset, inprimis nervus belli, deesset. Quapropter regni Ordines pro Comitiis Budam mense Martio convocavit, quidve vellet, per internuncios indicari jussit. Illi, etsi præteritis annis, crebra pecuniarum exactione, se magnopere gravatos meminissent, communis tamen necessitatis causa se facturos declararunt, ut rursum florenus auri, sed junctim cum lucro Cameræ, in usum publicum conferatur, quin tantundem quoque in quinque annos secuturos polliciti sunt, intra quos tamen Nobiles militiam profiteri ne cogantur, nisi ipse Rex contra Imperatorem, vel Sultanum Turcarum, aut Poloniæ, & Bohemiæ Reges, ac Præfectum Romaniæ, exercitum duceret. *a)*

Dimissis, ex conventu, regni Ordinibus, tractationem pacis cum Wladislao, alias inchoatam, *b)* resumsit, quæ si ex sententia conficeretur, expeditionem, quemadmodum triennio abhinc se facturum receperat, contra

tra

a) Cod. jur. patr. Tom. I. pag. 227.

b) Conf. an. 1475. Nro. 10.

tra Turcas, qui jam in quintum annum, magno Croatiæ detrimento, in Stiriam a) & Carnioliam solebant procurrere, parabat. Cum Wladislaus suopte pacis præ bello cupidior esset, facile utrisque convenerat, ut Legatos suos Olomucium, ad hanc conciliandam, mitterent, qui, collatis inter se rationibus, quibus reges suos ad concordiam adduci posse, existimabant, in has conditiones unanimi voluntate conspirarunt. 1478.

Uterque Rex in jure hactenus aquisito, tamquam verus, & hæreditarius dominus permaneat, & titulo regis Bohemiæ communiter utantur, eoque se in scriptis appellent, & a suis tales utrinque nominentur. Mathias, quæ in Bohemia, & Wladisiaus, quæ in Moravia, utraque Silesia, & Lusatia, cum sex civitatibus adnexis, occupassent, mutuo sibi restituent, & incolæ novum fidelitatis juramentum suis quique regibus dicent. Si Mathias prior obiret, integrum erit Wladislao, ejusque successoribus, dictas provincias, numeratis quadringentis aureorum millibus, Bohemiæ, sine impedimento, vindicare; si autem Wladislaum contingeret, Mathiæ præmori, & hunc a Bohemis regem

 optari

a) Epist. Sixti Frisingen. Episc. fragmentum ad Georg. de Chemene, de reb. Turc. & Hung. d. Martis post Mathiæ, ex Cod. hist. prof. Nr. 215. f. 39. biblioth. Cæs. Vienn.

optari, Moravia cum utraque Silesia, & Lu-
1478. satia, rursus cum Bohemia, cui ceteroquin vetustum jus in illas esset, coalescent. Alter quoque alteri, si injusto bello impetiti fuerint, auxilio erunt, res vero religionis, ut felicem finem obtineant, Mathias apud Pontificem suam operam locabit: postremo uterque Legatos suos ad diem XXV Novembris futuri anni Olomucium rursus ad habendum conventum mittet, ipsi autem reges in agro inter Olomucium, & Vniczovium sito ad firmandum fœdus convenient, & de sarciendis damnis, quæ post inducias Wratislaviæ pactas, utrinque illata erant, captivis item liberandis, iisque, quæ vi fuissent occupata, restituendis, rationes inter se inibunt. a)

Ad eundem conventum Casimirus quo-
1479. que invitatus erat, ut concordia cum illo eadem opera iniretur, sed hæc, quæ tunc ob bellum Prussicum impedita erat, sequente primum anno coaluit. Utrumque eadem causa ad hanc accelerandam permovit. Veneti enim, qui XVI. annis bellum cum Turcis terra, marique gerebant, eosque a reliquis

a) Autogr. exstat in Tabul. aul. Vien. Dat. in præfata civitate Olomucensi, d. Lunæ in Octava S. Andreæ Apost. 1478. item apud Du Mont Tom. III. Par. II. pag. 61. Goldastum de regno Boh. in append. pag. 331. & Lunig. Cod. dipl. Germ. Tom. I. pag. 1530.

quis Europæ ditionibus arcere conabantur, præter omnium exspectationem, separatim cum iis pacem composuerant, quæ ut primum vulgata fuit, magnas curas, metumque vicinis Principibus injecit. Obtenta enim Scodra, & Tenaro, Laconiæ promontorio, cum Lemno insula, quas Veneti Turcis cedere debuerant, ingens porta his patefacta fuit, ut non solum per mare mediterraneum Italiam infestare, sed ex parte etiam continentis vires suas in Croatiam, Stiriam, & tandem in ipsa Romani Imperii viscera liberius, quam ante, possent convertere. Cæsari, qui tunc conventum Frisingæ habebat, suasum erat, ut, bona Mathiæ regis venia, aliquot Germanorum millia in Hungariæ finibus ad arcendum hostem collocaret, quod consilium tamen, incertum, quibus rationibus ductus, amplecti noluit. *a)* Mathias quoque sero errorem suum agnovit, dum bello Bohemico, & Austriaco occupatus, hosti proferendæ ditionis cupidissimo, spacium, moramque daret, ut carptis sensim ex utraque 1479.

que

a) Justinian. hist. Venet. l. 9. pag. 176. Joan. Verus rer. Venet. l. 3. Litt. Ducis Venet. ad Principes Christianos d. 25. Febr. an. 1479. Müller Reichs-Tags Theater 5. Vorstellung C. 77. pag. 727. Adlzreiter hist. Boic. Par. II. l. 9. Nr. 32. pag. 198. Sanutus in vita Ducum Venet.

1479. que Danubii parte, juris Hungarici provinciis, faciliorem ſibi in Hungariam & Poloniam, irreparabili, ut ex eventu patuit, utriusque regni damno viam ſterneret.

Id utrumque regem permovit, ut ad arcendas a ſuis ditionibus hoſtis progreſsiones de pace inter ſe concilianda ſerio cogitarent. Caſimirus, cui bellum Pruſsicum jam oneri erat, amplectendæ illius alioqui cupidus, Legatos ſuos Budam proficiſci idcirco juſsit, qui cum iis, quos Mathias ex ſuis delegerat, has concordiæ leges utrique propoſuerant: Mathias operam dabit, ut Nicolaus Tungen, cujus patrocinium ante biennium ſuſceperat, ſe Epiſcopatu Varmienſi abdicet, eumque cum Culmenſi permutet: ſimiliter faciet, ut Magiſter Ordinis Pruſsici pacta, anno M. CCCC. LXVI. concluſa, majori, quam hactenus, fide obſervet, & uterque hæc confirmaturi, Caſimirum adeant, qui illos, eodem, quo prius, gratiæ, & benevolentiæ loco habebit. *a*) His IV Nonas Aprilis utrinque firmatis, viſum quoque eſt, conventum, in quem ſuperiore anno pro XI. Novembris Olomucium cum Wladislao, condictum erat, occupare. Prior Vniczovium Wladislaus ve-

a) Dogiel dipl. Polon. Tom. I. Par. I. pag. 77. additum fuit, ut de iis, quæ dirimenda ſupereſſent, in conventu Siradiæ ad feſt. S. Martini celebrando, transigatur.

venerat, Mathias ferius adfuit. Convenere uterque in aperto campo, & tribus horis privatim colloquuti, Confiliariis fuis mandarunt, ut, fi quid ad conciliationis capita, priore anno defignata, addendum, mutandumve effet, inter fe conferrent. Rata omnia habuere, conditiones folum quædam de quadringentis aureorum millibus funt additæ, fi Wladislaus, ejusque fucceffores Moraviam cum utraque Silefia, Lufatia, & fex civitatibus, a Mathiæ obitu, Bohemiæ rurfus conjungere vellent. Præcipuæ ex his fuere: Quoniam in dictis provinciis multa bona, quæ vetufio jure ad coronam Bohemiæ pertinent, olim partim impignorata, partim variis nominibus alienata effent, fi hæc Mathias, vel fucceffores illius redimerent, ut fumma pro his expofita, ad quadringenta aureorum millia adderetur, interea autem, donec Wladislaus, aut ejus hæredes depactum precium rite exhibuerint,. Mathias, & fucceffores reges Hungariæ memoratas provincias pleno jure pofsidebunt, neque tamen his, illo defuncto, regis Bohemiæ titulo uti, nec ab incolis, tamquam earum provinciarum hæreditarii reges effent, clientelæ facramentum exigere, vel acceptare, fas erit. Tempus etiam, præmiffa, ad exhibendam fummam, monitione, unius anni conftitutum, intra quod fex utrinque ex Prælatorum, & Magnatum ordine deligendi erunt, qui Bru-

1479.

næ

næ conveniant, & difficultates, si quæ in-
1479. tervenirent, illustrare conentur, locumque, in quo summa pecuniæ tuto tradi, recipique possit, in limitibus inter Szakolczam, & Strasnicium, designent. Quod si contingeret, ut post monitionem, intra annum, vel reges Bohemiæ dictam summam exhibere, vel reges Hungariæ recipere negligerent, tum utrique, quoties id fieret, toties quoque mulctam, centum millium florenorum, dependent. Hæc, si Mathias ante Wladislaum e vivis excederet; sin hic prior obiret, & illum Bohemi regem suum esse vellent, tum Moravia cum utraque Silesia, Lusatia, & sex civitatibus, ad Bohemiam, ut antea erant, gratuito devolventur. *a)*

Intererat Mathiæ magnopere, ut concordia cum Wladislao, quibuscunque, modo tolerabilibus, pactis coalescat. Turcæ enim conciliata cum Venetis pace, facto ingenti apparatu, Hungariam designare ferebantur. Et re ipsa pars eodem anno in Transsilvaniam, pars, Savo transmisso, in Hungariam irruperant,

a) Autogr. exstat in Tabular. Cæsar. Sigillis, præter regium, 13. munitum, *dat. in civitate nostra Olomucensi, D. mensis Julii* 21. *an.* 1479. *regnor. nostror. Hung. &c. XXII. Bohem. vero XI.* apogr. vid. apud Dobner monum. med. Tom. IV. pag. 449. & Katona, Tom. XVI. pag. 200.

rant, fed fortunam utrobique parum propitiam experti. In Tranfsilvània quidem a Stephano Bathorio, & Paulo Kinyfio circumventi, & commiffo acri, cruentoque prælio victi funt. Hoftium, interfectis, aut captis ducibus, ferunt fupra XXX. noftrorum vero VIII. millia fuiffe cæfa. Paulo mitiore ii ufi funt, qui per Croatiam ad Stiriæ limites procurrerant, indeque, abacta præda, facto per iter ad Ginfium & Arrabonem, diverticulo, amifsis fuorum tribus millibus in Bosniam rediere. *a*) 1479.

Videbatur Mathias ad hæc, tamquam de induftria, connivere, ut Germanos, ad quos, ut primum de Turcarum irruptione comperit, Legatos Norimbergam, auxilia poftulatum, miferat, propriis damnis ad commune bellum in Turcas fufcipiendum, concitaret. Admifsi ad conventum, luculentam ad Proceres orationem habuere, qua oftendebant, nifi regi, quem Veneti confecta cum Turcis pace deferuiffent, fuppetias venirent, brevi futurum, ut illos in ipfis Imperii vifceribus videant, tot enim procurfionibus in Stiriam, Carinthiam, & Carnioliam factis, iter illis jam tritum, cognitumque effe, quod

a

a) Leunclavius hift. Mufulm. l. 16. Bonfinius Dec. 4. l. 6. Lifick annal. Tom. II. pag. 257. Dlugofs. l. 13. epift. regis ad Pontif. apud Katona Tom. XVI. pag. 241.

a nemine, quam a suo rege, qui ingentem nuper ex iisdem victoriam tulerit, melius intercludi posse, vel ex ipso regionum situ pateret, modo Principes Imperii communem ad id operam conferre vellent. Hæc illi: responsum est, non ignorare se quidem, quibus damnis Hungaria cum vicinis provinciis, ab immani hoste hactenus affecta fuerit, optareque cum illorum, tum sui etiam causa, ut laborantibus quantocius succurratur, sed in hac paucitate eorum, qui conventui interessent, nihil omnino decerni posse, nisi justo numero ad futura Comitia convenirent. His auditis, Legati adducto secum in conventum Notario, & testibus, quod in Imperii Comitiis inusitatum est, palam intercessere, per regem suum deinceps non stare, si Turcæ per Germaniam impune grassari pergant. *a*)

1479. Mathiæ, cui suspicio ingesta erat, quasi Cæsar Imperiales clam subornarit, ne sibi auxilia decernantur, nova inde simultatis causa oblata est. Accessit mox altera. Bernardus Archiepiscopus Salisburgensis, abdicare se Archiepiscopatu cogitabat, quod ubi Cæsari significatum est, Græcium ad se vocato persuasit, ut Joanni Archiepiscopo Strigoniensi, quem collectis thesauris, ad Cæsarem

a) Freherus script. rer. German. Tom. II. pag. 319. Müller Reichs-Tags Theater 5 Vorstellung c. 79. pag. 733. §. 2.

rem defeciſſe, alias memoratum eſt, locum cedere vellet. Aſſenſus eſt, & ſcripto etiam firmavit, ſed domum reverſus, facti pœnitens, poſtquam rem ad Capitulum retuliſſet, Epiſcopus Seccovienſis Mathiam confeſtim, quid ageretur, edocuit, qui hominem transfugam foveri, ſuum contemtum interpretatus, rem merito indigne tulit, &, cum ad ſe perlatum erat, Cæſarem, proventus epiſcopales in Stiria Seccovienſi vetuiſſe exhiberi, viciſſim fœdus cum illo, & Salisburgenſi pepigit, ea conditione, ut arces ſuas tutelæ, & fidei ſuæ crederent, iisque præſidium militare ſibi eousque liceat inducere, donec Cæſari, interventu Pontificis, uterque conciliati fuerint. *a*) Hinc orta ex utraque parte jurisdictionis colliſio, & ex hac bellum. 1479.

1480.

XII. Id Mathias prior Cæſari, quod promiſsis non ſtaret, denunciavit, ſimulque cauſam, cur ad id gerendum cogeretur, ad Erneſtum, & Albertum, Saxoniæ Duces, perſcripſit, quartum nempe jam annum volvi, quod Cæſar, licet ſæpe admonitus, centum millia florenorum ex pacto debita ſolvere neglexiſſet, vetaretque, ne Auſtrales, pecuniam ad debitum expungendum conferrent. Cæ-

a) Eraſm. Frölich diplomatar. Seccovien. N. 84. apud Pray P. IV. pag. 137. Chron. Salisburg. Hier. Pez Tom. II. ad hunc an. Metzgerus hiſt. Salisburg. l. 4. c. 43.

Cæſar fidem ſuam peti ægre ferens, ſcriptis
1480. vicifsim ad Imperii Principes litteris, ſe ab hac inſimulatione purgavit, & Regi jam quinquaginta millia ex pacto ſoluta affirmabat, quo minus autem alia quinquaginta hactenus eſſent exhibita, ipſum in cauſa eſſe, qui loca in Auſtria occupata, ſecundum pacificationis ſtatuta, nondum reſtituiſſet. *a*) Hæc ille ad removendam a ſe invidiam, &, cum bellum evitari jam non poſſe videret, ipſe prior miſſis in Hungariam quingentis equitibus, populationem Jaurinum usque circumferri juſsit. Facile hunc manipulum Mathias repulit, &, quaſi in Venetos movere vellet, flexo itinere in Carinthiam, bona Archiepiſcopi Salisburgenſis, eo non invito occupavit, Stiriamque invadens, Petovium, Rakesburgum, & Fürſtenfeldium in poteſtatem redegit, ex quibus bellum in Stiriam, & Auſtriam, occaſione data, inferre poſset. Cæſar videns ſe Regi imparem reſiſtendo eſſe, indicto Norimbergam conventu, auxilium ab Imperialibus flagitabat. Variabant ſententiæ, quod aliqui ſuſpicarentur, id non tam contra Turcas, ut prætexebatur, quam contra Mathiam, ſolicitari, in eo tamen omnibus convenerat, ut Epi-

a) Litt. Regis ad Cæſ. epiſtolar. P. IV. pag. 255. item ad Duces Sax. & Cæſaris ad Princ. Imperii, apud Müller, l. cit. c. 82. pag. 748, & 749.

Episcopus Eichstetensis, Cæsarem cum Rege conciliandi periculum prius faceret, & tum 1480.
primum quindecim millia auxiliariorum, Viennam sequente anno mitterentur. Mathias, capto interea a Turcis Hydrunto, soceri sui, Regis Siciliæ, causa solicitus, flecti se tandem passus, inducias eousque, dum causa inter utrumque controversa, Electorum, & Principum Imperii judicio cognoscatur, indulsit. *a*)

Patuit tamen, Cæsarem longe alia, quam pacis, causa, inducias amplexum fuisse. Cum 1481.
enim auxilia, quæ Imperiales, si induciæ conciliarentur, promiserant, ex Saxonia, & Palatinatu Viennam venissent, egit cum Ducibus, ut sibi his copiis contra Mathiam uti liceret, quod illi, mandatis ad id destituti negabant, & ille tunc quidem ab armis abstinere coactus est. Mathias vero temporis opportunitate usus, socero suo copias auxiliares in Italiam transmisit, quibus non modo Hydruntum recuperare, sed barbaros penitus etiam a regno suo deinceps arcere posset, modumque, quo Hungari, bellis Turcicis consuefacti, cum iis pugnare soleant, ut eorum opera uti nosset, perscripsit. Nec Imperii Prin-

a) Fugger annal. Ferdinand. l. 5. c. 29. & ex parte Senckenberg, Collectan. P. I. N. 15. Conf. Pray l. cit. pag. 141.

Principes, ſibi induciarum tempus inutiliter
1481. elabi paſsi ſunt, rationemque, qua Cæſar Regi conciliandus eſſet, ſecum inibant. Viſum eſt, oratores, qui periculum facerent, ad utrumque mittendos eſſe, idque Mathiæ ſignificarunt. Pontifex quoque veritus, ne Turcæ capto Hydrunto, in mediterranea Italiæ ſibi viam ſenſim pararent, miſſo ad Cæſarem, & Regem, Urſino Theanenſi Epiſcopo, utrumque ad concordiam adducere cupiebat, quo facilius, conciliatis ambobus, commune in Turcas bellum, fruſtra hactenus tentatum, ſuſcipi poſſet. Obſtabat Joannis olim Archi-epiſcopi Strigonienſis ambitio, qui favore Cæſaris nixus, a propoſito obtinendi Salisburgenſis Archi-epiſcopatus, non facile dimovendus videbatur. Egit quidem Mathias cum Aſculano Epiſcopo, ſe Pontifici monenti eatenus gratificaturum, ut homini de ſe male merito, epiſcopatum Jaurinenſem, retento Strigonienſis Archi-epiſcopi titulo, conferat, ſed ut eidem proventus ex ſuo ærario, vel Strigonienſi archi-epiſcopatu, augeat, id nec ſine injuria Strigonienſis Archi-epiſcopi, nec ſalvo ſuo honore, ſieri poſſe, nunciavit. a) Itaque Legati Pontificis, & oratorum Imperii conſenſu, controverſia hac in medio relicta, in-

a) Fugger l. 5. c. cit. Epiſt. Mathiæ P. IV. pag. 122. 208. 263. Kollar auctar. diplomat. ad hunc an. Müller l. cit. c. 82. pag. 752.

induciæ in hanc legem conflatæ ſunt, ut Cæſar, & Mathias, a VI. Nonis Maji, ad diem Lunæ poſt Pentecoſtem, ab armis abſtinerent, & interea de pace in ſolidum conficienda ageretur. *a)* 1481.

Cæſar autem interea in Comitiis Norimbergenſibus magnopere agebat, ut, quæ toties promiſſa fuiſſent, auxilia contra Turcas decernantur, nec diſsimulabat, ſe his adverſus Mathiam quoque uti velle. Variabant rurſus ſuffragia, plerique quidem Electorum conſenſerant, ſed abſentium Legati negabant, ſe quidquam hac in re poſſe prius ſtatuere, quam mandata a Principibus, quorum nomine adeſſent, ſibi mitterentur, Imperiales vero urbes nihil ſibi cum Rege Hungariæ negotii eſſe affirmabant, potior tamen pars tandem coaluit, ut Cæſari mos gereretur, & majora ſolito auxilia, peditum equitumque, ei in bellum decreta ſunt. Sub hoc ipſum tempus oratores a Mathia, Joannes Epiſcopus Varadienſis, & Wenceslaus Boſcoviczius, ut cum Principibus Imperii, de diſcordiis inter Cæſarem, & regem ſuum componendis transigerent, plena poteſtate inſtructi, Norimbergam advenere. Verum, præter exſpectatio-

 nem,

a) Epiſt. Mathi. P. IV. pag. 135. 173. Rainald. ad hunc an. Kollar auctar. dipl. dat. Budæ, d. Lunæ poſt Dominic. Exaudi 1482. Cod. jur. patr. Tom. I. pag. 230.

nem, ne admiſsi quidem ſunt, &, quæ in
1481. conventu decreviſſent, per Eichſtetenſem Epiſcopum, eis renunciari curarunt. Indigne Mathias tulit, ſe in perſona oratorum ſuorum, ita deſpicatui fuiſſe habitum, graviterque, datis ad Epiſcopum Aſculanum, & Nördlingenſes, litteris, de injuria queſtus eſt, cauſamque in Cæſarem, quod pacis, per oratores ſuos, ſi admiſsi fuiſſent, conficiendæ ſpem intercepiſſet, non obſcure conjecit. a)

Abhinc orta utrinque animorum exulce-
1482. ratio, &, quamquam Pontifex pacis conſilia identidem ſuggereret, bellum conſequutum. Id Mathias oratorum ſuorum contemtu irritatus, facta denunciatione, nec exſpectato Cæſaris reſponſo auſpicatus, Auſtriam per Legatos infeſtari juſsit, quibus alterna fortuna rem aliquamdiu gerentibus, ipſe copias Heimburgo admovit, & arcta obſidione preſſum, expugnavit. Agebat quidem Pontifex ſub ipſo armorum ſtrepitu, ut concordiam inter utrumque conciliaret, nec Cæſar, miſſo ad regem Alfonſo Forojulienſi Epiſcopo, ab hac videbatur

a) Müller l. cit. c. 84. §. 3. pag. 756. Epiſt. Mathiæ Par. IV. pag. 149. 167. 184. Ejusd. ad Nördlingenſes d. 23. Oct. apud Senckenberg. Collect. Par. I. ſect. 1. Nr. 15. pag. 71. Litt. Epiſcopi Theanenſis ad Erneſtum Sax. Duc. Ratiſp. 1. Oct. 1481. apud Müller l. cit. c. 84. pag. 762.

batur abhorrere, ſed, cum Mathiæ ſuſpicio eximi non poſſet, quaſi is per Venetos agat, ut Turcæ in Hungariam irrumpant, labor is fruſtra ſuſceptus eſt, tantoque acrius anno ſequente bellum recruduit. *a)* Cæſar, qui ſe Viennæ non ſatis tutum exiſtimabat, Græcium concesſit, ne tamen Auſtrales deſtituiſſe videretur, Wulsconem Bohemum, mille equitum, & bis mille peditum ductorem, promiſſo quingentarum, & viginti millium librarum Viennenſium ſtipendio, in ſuas partes pertraxit, ne ſic tamen impedire potuit, ne Hungari Leitæpontum, fame ad deditionem cogerent. Occupato igitur utroque ad Auſtriam repagulo, porta regi patuit, ut bellum in quamcunque vellet partem circumferrre poſſet, cum ei litteræ a Collegio Cardinalium, qui ferale bellum in ipſo ortu exſtinctum cupiebant, redditæ ſunt, paulumque poſt Epiſcopus quoque Caſtellenſis, a Pontifice Legatus advenerat, qui, adito primum Cæſare, regem conveniret, omnique 1483.

 ſtudio

a) Epiſt. Math. Par. IV. pag. 255. Linck l. cit. Tom. II. pag. 260. Chron. Mellicen. apud Hier. Pez Tom. I. pag. 267. Bonſinius Dec. 4. l. 6. Litt. regis ad Henricum Ratisbon. Epiſc. apud Kulpilium pag. 71. ad d. 11. Apr. 1483. ſed anni regiminis Hung. & Boh. cum hoc anno non conſentiunt, & ex litt. regis ad Nördlingenſ. ſupra cit. liquet, ad hunc an. non vero ad 1483. referendas eſſe. Conf. Katona Tom. XVI. pag. 480.

ſtudio adniteretur, ut utrumque ad amplecten-
1483. da mitiora conſilia flecteret. Sed illum, quod ſibi prius de illatis injuriis ſatis fieri cuperet, minus ad concordiam promtum reperit, quam regem, cui, jam ante Legati adventum, ſpes avulſas a regno provincias recuperandi, a Turcis facta erat. Plerique enim militiæ præfecti, Bajazetis feritatem exoſi, Zizimo, ejus fratri, ad magiſtrum Rhodiorum profugo, ſtudebant, eumque fratri exauctorato cupiebant ſubrogare, ideoque cum rege per nuncios clam agebant, ut bellum Bajazeti indiceret, polliciti, ſe non modo tantum auri, quantum ad id gerendum ſatis eſſet, præbituros, ſed ſuis etiam copiis illum adjuturos eſſe. Hac de cauſa oſtendebat, ſe a concordia non alienum eſſe, Legato ſatis aperte indicans, libenter ſe viſurum, ſi Pontifex cum Magiſtro Rhodiorum ageret, ut Zizimus Budam ad ſe mitteretur, daretque dein operam, ut Cæſar conventum indiceret, in quo de ineunda utrinque concordia tractetur, ſe interea, quæ hucusque occupaſſet, Pontificis tutelæ, & fidei crediturum.

Cum his reſponſis Legatum ad Cæſarem remiſit. Verum aut ſimulata hæc erant, aut regem promiſsi pœnituit, ſive parum, confecta etiam pace, Cæſaris conſtantiæ fideret, ſive nuncii a Bajazete, quos cognita Præfectorum ſuorum perfidia, inducias poſtulatum, Budam miſerat, in cauſa fuerint. Reverſus enim

enim a Cæsare Legatus, cum ab hoc pacificationis conditiones, paulum a regiis alias, quæ tamen spem conciliationis non videbantur tollere, afferret, plane alienum a concordia reperit, cumque intellexisset inducias præterea in quinquennium esse cum Turcis initas, spem conciliandi utriusque penitus posuit. Induciæ autem hac lege erant constitutæ, ut, his durantibus, neuter alterius regnis, & provinciis, præsertim, quæ hac parte maris in clientela, fideque regis essent, injuriam, damnumve Turcæ inferant, mercatoribus tamen ad confinia regni negotiorum causa, tuto venire liceat. Sed cum pars maris generatim solum indicata esset, latens in conditionis formula verborum ambiguitas, errori deinde, fraudique locum præbuit. *a*) 1483.

XIII. Cæsar, utprimum de induciis inter regem, & Bajazetem agi, nec legationem Episcopo Castellensi successisse comperit, fidei Viennensium, qui se Neostadii olim obsedissent, parum tribuens, thesaurum familiæ, cum Cunigunde filia, in Tyrolim, securitatis causa, abduci jussit. Consilium eventus probavit. Mathias enim sub veris initium, Pontifice nequicquam obnixo, impe- 1484.

 rata

a) Litt. Episc. Castellens. ad Papam ex Ms. Cod. Nr. 3901. biblioth. Vaticanæ apud Pray, Par. IV. pag. 161. — 173. Diplomatar. Ordin. Melitens. Cod, 2, Epist. Mathiæ Par. IV pag. 1. & 2.

rata domi militia, & accepto a Silesiæ Duci-
1484. bus duodecim millium supplemento, Austriam ingressus, Viennam primum armis tentavit, mox, mutato proposito, sanctum Hippolytum, Claustroneoburgum, & montem Cetium, insedit, ut urbem commeatu, & auxiliis, si quæ ex Imperio mitterentur, penitus intercluderet. Hic fixa statione, Corneoburgum lenta obsidione pressum, septimo post mense in potestatem redegit. Porro fortuna volentem uti, perfidia Bajazetis in Hungariam revocavit, qui, violatis induciis, duo Moldaviæ castra, *Kyliam*, & *Nesteralbam*, hoc Tyræ fluvio, illud Danubio adsitum, quod post *Caffam* in *Crimea* occupatam, sibi ad hanc retinendam, opportuna viderentur, etsi non sine suorum clade, occupavit. Acerbas propterea, de injuria questus, ad illum litteras dedit, sed, ubi ab eodem responsum cum exemplo induciarum, quibus nec Moldavia, nec, quo alluitur, maris mentio, inserta esset, accepit, cognito errore, Petrum Colocensem Archi-episcopum, is induciarum tabulas dictaverat in carcerem retrudi jussit, nec, se vivo, licet Innocentius VIII. nihil intentatum sineret, liberum dimisit. *a*)

Cum

a) Raynaldus ad hunc an. Epist. Mathiæ P. IV. pag. 4. 5. Bonfinius Dec. 4. l. 6. Linck Tom. 2. ad hunc an. Gerardus de Roo l. 9. Michovius

Cum igitur error corrigi jam non posset, & Bajazetes se inducias bona fide ceteroqui servaturum fuisset pollicitus, curas omnes in bellum Austriacum convertens, Viennam XXIII. Januarii, triplici exercitu circumsedit, urbem non tam vi, quam fame, volens ad deditionem cogere, quæ, cum obsidio diutius duraret, ob hominum, qui apropinquante hoste in eam se receperant, copiam, brevi ita invaluit, ut modius farinæ, CVII. florenis venum prostaret. Cæsar, ut urbi suppetias veniret, animosque obsessis adderet, Græcio Linciuin reversus, auxilia ex Imperio exspectabat, sed, cum hæc negarentur, & non pauci Viennensium regi addicti essent, nullo operæ precio isthic hærere coactus est, Mathias vero, locis, quæ trans Danubium se nondum dediderant, interea occupatis, dum Ebersdorfium aggreditur, ferrea pila inde emissa, vitæ periculum fere adiit, quo tandem expugnato, cum cives magis in dies fame tabescerent, & Rex assultum pararet, missis ad eum Legatis, mensem sibi petebant indul- 1485.

vius l. 4. c. 73. Innocentii VIII. Brevium l. 1. Epist. ad Mathiam: *retulit nobis — majestatem tuam capi, & in carcerem conjici fecisse, ven. fratrem Petrum Archiep. Colocens. ob nonnulla gravia, & enormia, quæ idem Archiep. contra te, & statum tuum perpetrasse dicitur*, cet. *Dat.* 24. *Sept.* 1484. *an. primo.*

dulgeri, intra quem ſi Cæſar illis auxilium non
1485. mitteret, deditionem ſe facturos promiſerant, quod cum ille præſtare non poſſet, cives IV. Nonas Junii Regi ſe dedidere, ſalvis ſuis immunitatibus, & ut præſidiarios Cæſaris liberos, cum armis, & impedimentis, dimitteret. Urbe dedita, & Neoſtadio, quod munimentis ſuis confidebat, eminus interea, donec opportunum tempus obſidioni adeſſet, a ſuis obſervari juſſo, Auſtralibus conventum indixit, in quo mitigatis, quæ Cæſar conſtituerat, vectigalibus, ac diminuto cenſu, poſtquam ei Ordines fidelitatis juramentum dixiſſent, provinciam in fidem recepit. a) Cæſar vero cum DCC. equitibus, & paucis, qui partes illius ſectabantur, Lincio diſcedens, familiari illo ſibi dicto; *felix rerum irrecuperabilium oblivio*, b) ſe ſolatus, in Tyrolim abiit.

Mathias, cum intelligeret, poſt occupatam Viennam nondum eſſe debellatum, mandata in Hungariam milit, ut regni Ordines Vacii convenirent, & de ſumtibus, ad bellum cum Cæſare proſequendum, neceſſariis conſul-

a) Raynald. ad hunc. an. Linck I. cit. Tom. II. pag. 275. Chron. Melliceo. apud Hier. Pez Tom. I. pag. 268. Gerard. de Roo l. 10. Bonfin. Dec. 4. l. 6.

b) Gerard. de Roo l. cit. Id. artificioſo monogrammate expreſſum, olim in muro veteris caſtri Laxenburgen. vidi.

fultarent. Quid, præter florenum auri rurfus decretum, in eo conventu actum fuerit, nemo, quod fciam, hactenus prodidit, fragmentum quoddam folum exftat de Palatini prærogativis, quæ eodem quidem anno, fed incertum, in eodemne, an alio conventu, editæ fuerint. Summa earum hæc eft: *a*) Deficiente regio femine, Palatinus ex vetufta Majorum confuetudine, primus, in eligendo Rege, jus fuffragii habeat, fin hæres regni relictus, & teneræ ætatis, effet, idem tutoris partes aget, cui omnes, donec hæres pupillarem ætatem excefferit, obtemperabunt, idem feditiofos coget in ordinem, & nocentibus pœnam dictabit: comitia quoque, fi opus fuerit, indicet, &, bello exorto, copiis præerit, disfidium, fi quod inter Regem, & regnum oriri contingat, interventu fuo ftudebit componere, Legatos, neglıgente Rege, vel impedito, aut parum ad tractandum cum illis idoneo, audiet, & quæ ex ufu, erunt, refponfa iisdem dabit, rege autem bellis occupato, aut aliam ob caufam abfente, locum illius interea tenebit, omniaque nomine illius aget, exceptis iis, quæ dignitatis funt, & juris majeftatis: fi bona præter regni confuetudinem Rex alicui contuliffet, eum monebit, rogabitque, ut tempus difcernendæ li-

1485.

a) Cod. jur. patr. Tom. I. pag. 233. C. Ignat. a Batthyan Epifcop. Tranfsilv. Legg. Ecclef. Tom. I. pag. 519.

liti constituat, ceteroqui cum universe in ju-
1485. diciis primum a Rege locum teneat, Cumani quoque peculiari jure, trium millium aureorum decreto quotannis stipendio, & Dalmatis, cujus causa trium insularum proventu fruitur, ad ejusdem tribunal pertinebunt.

Hæc regni Ordines Mathia absente; qui
1586. rebus in Austria compositis, in Hungariam reversus, rursum eosdem Budam incunte anno ad conventum excivit, ut, quæ per frequentem sui absentiam collapsa erant, instauraret, furum enim, latrocinantium, falsariorum, homicidarum, & incendiariorum, ea copia jam accreverat, ut nemo vitæ, rerumque suarum securus esset. His itaque malis consulere volens, septuaginta, & septem leges edidit, ex quibus, cum multæ a priorum temporum constitutionibus parum differant, paucas, quæ novitatis quiddam habent, deligam. Præter antiquatum Palatinale judicium, vetitum quoque fuit, litis judiciariæ causa, singulari certamine congredi, nisi in curia regis, & dum res dubia aliter dirimi non posset: a) qui bona Venetis, aut Polonis vendiderit, vel dederit pignori, donaritque, notam infidelitatis incurrat; seculares Ecclesiasticorum decimas ne usurpent, nec hi controversiam, si quæ propterea oriretur, ad forum Romanum judicandam deferant: filius, cri-

a) Conf. Notit. prævias, §. 19.

crimen patris, nequaquam luat, vel bonis propterea privetur; universi, cujuscunque 1486. status & conditionis sint, si rei publicæ necessitas exegerit, communiter de suis bonis conferant, ne onus in Nobiles minoris census, & in plebem solum recidat; furibus denique latronibus, homicidis, aliisque malefactoribus pœnæ constitutæ, quorum causa si qui intercederent, aut eos foverent, horum bona Fisco regio in perpetuum addicantur. *a*) Atque hæc ita deinceps servari voluit, ut ea ne regibus quidem coronationis tempore, nec regno mutare liceret, parum sui memor, qui cum crebro iis, quæ decessores statuerant, contraria imperasset, idem successoribus, si cum regni Ordinibus conventum habeant, vetitum esse voluerit, cum ipsa rerum vicissitudo, & necessitas, quæ nec in regum, nec regni potestate sunt, sæpe poscat, ut, quæ a Majoribus ratione temporis utiliter constituta erant, a successoribus eandem ob causam mutari, & ad usum reipublicæ accommodari possint, & debeant.

Budæ, post solutum conventum, non diu moratus Viennam rediit, ut, quæ Imperii Principes Francofurti essent decreturi facilius rescire posset. Indixerat Cæsar illuc comitia in mensem Februarium, cum ut filium Maximilianum, Regem Romanorum renun-

a) Decret. corp. jur. patr. Tom. I. pag. 234. Dat. in festo convers. S. Pauli Apost. 1486.

nunciari curaret, tum ut copias auxiliares
1486. contra Mathiam impetraret. Primum, Carolus Rex Galliæ, Mathias vero, qui Maximiliani indolem militarem nosset, utrumque impedire, sed irrito eventu, conati sunt. Felicius ei successerat legatio, ad Mediolani Ducem missa. Hanc Joanni Episcopo Varadiensi obeundam credidit, qui de sponsione matrimonii, inter Blancam Ducis sororem, & Joannem filium suum, ex illegitimo thoro susceptum, ineunda, cum Duce ageret. Interea, dum Legatus Mediolani munere suo fungitur, Ordines Imperii Maximilianum, regem Romanorum, Francofurti renunciarunt, eique non modo militem, & stipendia, in bellum Turcicum, & contra Mathiam decrevere, sed fœdus quoque inter se pacti sunt, ut, si quem ex illis Mathias bello aggrederetur, omnes mutuo sibi auxilium ferrent. Res ita clam gesta est, ut Principes datis mutuo dextris, nihil se ante tempus prodituros receperint; pervenit tamen indicium ad Mathiam, quo magis Neostadium, quod anno priore eminus circumsideri mandaverat, urgendum ratus, deductis ex Hungaria supplementis, obsidionem arctius contraxit. Verum cives, & præsidiarii, quos Cæsar, & Maximilianus, datis ad eos VII. Aprilis Francofurto litteris, spe obtinendi subsidii, ad constantiam hortabantur, oppugnationem adeo difficilem reddiderant, ut, non nisi penu-
ria

ria adacti, septimo post mense deditionem fecerint. Ferunt, obsidionis tempore Legatum a Bajazete missum, regni inter telorum imbrem obambulanti colloquutum, sed dati ab eo responsi, quod ad Principem suum referret, præ metu, oblitum fuisse. *a*) 1486.

XIV. Capto Neostadio, quod reliquum Austriæ inferioris erat, facile in potestatem redactum. Dimisso dein Legato Turcico, cui nuncium quoque suum, sed Constantinopoli postea reducem, a Gazi Mustapha cæsum adjunxerat, res Australium, cum Stiris enim jam transegerat, coordinare coepit. Quantopere, post Viennam occupatam, ob diminuta vectigalia, hos sibi devinxerit, alias memoratum est, sed cum postea promissi immemor, ob belli sumtus, graviora prioribus imponeret, plerorumque animos a se avertit, spe libertatis in Alberto Saxoniæ Duce reposita, qui adducto in superiorem Austriam, Imperiali milite, Hungaros aliquoties cum clade rejecit. *b*) Id sensim locum conciliandis induciis, Cæsare & rege non invitis, præbuit, de quibus, postquam arbitri utrinque dele- 1487.

---

a) Du Mont l. cit. Tom. III. Part. II. pag. 175. Müller l. cit. 6. Vorstellung c. 1. & 2. pag. 7. — 21. Bonfinius in præfat. ad Philostratum, Tom. II. analect. biblioth. Cæs. Vien. f. 814.

b) Leunclavius hist. Musulman. l. 16. Linck l. cit. Tom. II.

delecti XXII. Novembris Märgendorfii conferre coepiffent, in has demum conditiones XII. Decembris coaluere *a)*

1487. Cum Cæfar, & Rex, fe læfos exiftiment, ac ideo uterque juftum belli titulum fe habere dicant, caufam a Pontifice decerni patientur, qui fi pro Rege fententiam tulerit, tum Archi-epifcopi, Electores, Principes, Comites, & præcipuæ Imperii urbes, Cæfari nullum auxilium præftabunt, integrumque erit Regi, bellum perfequi: contra autem, fi Pontifex pro Cæfare pronuntiaverit, vicifsim Archi-epifcopi, & Epifcopi Hungariæ, cum Palatino, ceterisque regni Baronibus, *b)* Defpota Serviæ, Vajvoda Valachiæ, ac Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, & Bofniæ Banis, primisque Regni civitatibus, auxilium contra Cæ-

a) Ex apographo, quod Varasdini an. 1756. d. 12. Febr. Georgins Konzer, & Jof. Paxy, Judices Nobilium, publica fide exfcripferant. Germani fcriptores non nihil in conditionibus variant. Conf. Linck l. cit. ad hunc an. Fugger. l. 5. c. 35. & Müller l. cit. c. 34. pag. 145. — 151.

b) Documentum recenfet etiam *naturales Barones*, & inter hos nominatim, Laurentium de *Vilag*, Comites de *Frangepan*, Comitem *Scepufienfem*, Comites de *S. Georgio*, & *Bozyn*, Comites de *Corbavia*, de *Zrynio*, de *Perín*, & de *Bathor*.

Cæfarem Regi negabunt, idemque, quos juri fuo in Moravia, & Silefia obnoxios habet, facient. Interea autem induciæ usque ad octavum diem poft feftum Urbani, fequentis anni durent; ut Pontifici fpatium deliberandi relinquatur, &, fi neceffe effet, induciæ etiam ad calendas Septembris prorogentur, intra quod tempus fi Pontifex ob negotiorum copiam, in neutram partem poffet fententiam ferre, mora ei usque ad Novembrem detur, fi tum etiam judicium differret, nullam deinceps in hac caufa arbitrii partem habeat. Ad id vero tempus ab armis, & injuriis inferendis uterque ceffabit, fi quid tamen litis propterea interveniret, Præfecti armorum utrinque intra feptem hebdomadas, conftitutis judicibus, hanc decernent, & convictos, ad fatisfaciendum cogent: qui ex arce, locove munito in alterius ditionem hoftiliter incurrerit, &, intra tres hebdomadas, admonitus, non deftiterit damna inferre, in hunc utraque pars arma capiet, arcem demolietur, & bona illius fecundum militiæ, quam duxerint, numerum, inter fe divident: naulum in Danubio Cæfar, & Rex æqua parte percipient, reliqua vero vectigalia, & cenfum uterque a fuis, neuter tamen plus altero exiget: commeatio utrinque tuta, & libera fit, nemo alterius profugos recipiet, aut tuebitur; cohibendis latrociniis, & rapinis, Rex CCC. equites, & CC. pedites in fancto Hippolyto, tot-

1487.

idem Albertus Dux Gavanekii, nomine Cæ-
1487. faris, servabit; captivos gratuito utrique liberos dimittent, conventionibus, si quas Rex cum privatis inivisset, renunciabit: Ecclesiastici denique utriusque partis, speciatim Salisburgensis, & Passaviensis Præpositi cum suis Capitulis, & Joannes olim Strigoniensis Archi-episcopus, his induciis comprehensi censeantur, quarum tempus, si pace non confecta, præterierit, liberum erit Regi, bellum instaurare.

His conditionibus utraque pars, ob sum-
1488. tus in bellum hactenus profusos, armorum jam pertæsa, consensit. Et erat privata etiam utrique causa, cur inducias cuperent. Cæsari quidem, ob rebellionem sub initium hujus anni exortam, cum Belgis negotium fuit, Mathiæ autem cum Legatis, qui sub finem prioris anni, nuptiarum, quæ inter suum filium, & Blancam conflandæ erant, Mediolano advenere, tractandum erat. Pacta autem dotalia hujusmodi fuere: *a*) Dux Mediolanensis, sponsæ centum, & quinquaginta aureorum millia conferet, centum quidem millia parati auri, quadraginta autem in gemmis, ac unionibus, & decem millia in vestibus, reliquisque ornamentis, quæ ad mundum muliebrem spectant; ut primum sponsa futuro an-

a) Jam anno elapso d. 25. Novembr. fuerunt inita.

anno domum deducta fuerit: Mathias, & sponsus vicissim tantumdem se sponsæ præbituros, fidem publico documento facient; si contingeret sponsionem dissolvi, ac propterea dotem repeti, Rex, & filius bona sua sive illa sint avitica, sive aquisita, sponsæ obstringent, nominatim autem, præter Ducatum *Austriæ*, Comitatum de *Hunyad*, Ducatum de *Munkács* cum oppido *Debreczen*, & castra *Maroth*, *Gyula*, ac *Baymocz*, item Comitatus *Thurocz*, *Arva*, & *Lypto*, in Silesia vero, Ducatus *Oppaviensem*, *Tostensem*, & *Ratiboriensem*, cum omnibus juribus, & emolumentis. Cum præterea Regi cum Duce Saganensi ita convenerit, ut post hujus obitum, sponsus, jure hæreditario, ei succedat, hic quoque Ducatus, si dos repeteretur, sponsæ pignoris loco cedat: postremo additum, ut Rex, & sponsus, pacta intra sex menses, rata, grataque habeant. Hæc publicis tabulis inserta sunt, privatim autem juramento, Regis nomine, promissum, ut, si hic sine legitimo hærede obiret, facturum, ut sponsus sibi in Hungaria succedat. *a*) 1488.

Cæsar interea Maximiliani filii sui causa, quem Belgæ captivum tenebant, solicitus, ne, dum ad eum liberandum vires convertere cogitur, elapsis interea induciis, provinciæ

a) Du Mont Corps diplomat. Tom. III. P. II. Nr. 99.

fuæ rurfum novis belli calamitatibus expo-
1488. nerentur, Joanni Salisburgenfi Archi-epifcopo, & Præpofito Mellicenfi, in mandatis dedit, ut cum Mathia de iis prorogandis agerent, qui, quod res ex Silefia non fatis pacatæ afferrentur, ut ad calendas Septembres anni fequentis perdurent, non difficulter affenfus eft. Sub idem tempus venerat quoqeu Legatus a Bayazete, qui fimiliter inducias prorogari petierat, cui tanto libentius eas in triennium concefsit, quanto magis ægre ferebat, Joannem Saganenfem Ducem, a pactis, quæ olim fecum de jure fuccefsionis in filium transferendo, pepigerat, refiliiffe. *a)* Hac Ducis inconftantia, cum Mathias videret, filium fuum hæreditate, quæ pactis nuptialibus recens initis comprehenfa erat, contra datam fidem, excludi, graviter offenfus, bellum ei indixit, eaque fortuna per Legatos fuos gefsit, ut illum, occupata Glogovia, in Poloniam fugere coegerit.

Sufpicio erat, Ducem ab Wladislao Bo-
1489. hemiæ Rege clam copiis adjutum, atque hinc inter hunc, & Mathiam fimultatem fuiffe ortam, tametfi verius illud fit, Wladislaum, Saganenfi Duce, provincia, & dignitate exuto, veritum fuiffe, ne, fi infignis hæc Silefiæ por-

a) Gerard. de Roo. l. 10. Linck l. cit. Tom. II. ad hunc an. Lunig Reichsarchiv, Tom. II. pag. 583.

portio Mathiæ filio, jure hæreditario obtingeget, ſenſim, contra pacta utrinque inita, a) a regno Bohemiæ avellatur, qua de cauſa etiam fœdus cum patre Caſimiro iniit, quo communem ſibi operam laturos ſpondent, ſi quid hoſtilitatis Mathias in alterutrum molietur. b) Res tamen inter pacta ſolum conſtitit, & Mathiæ, præter opinionem, negotium cum Cæſare ſubnatum eſt. Venerat is, Maximiliano in libertatem aſſerto, Lincium, indeque Legatos ad regem miſit, qui ei certum auri pondus pollicerentur, ſi Auſtriam ſibi cederet. Non abnuit, juſsitque Joannem Varadienſem Epiſcopum ad Cæſarem proficiſci, qui, ea conditione ſe ſe Auſtria deceſſurum, eidem referret, ſi ob ſumtus bello Auſtriaco hactenus impenſos, ſeptingenta florenorum millia numeraverit. Id nimium Cæſari viſum, ejusdem Maximilianus, quem Mathias variis donis coluerat, opinionis quidem fuit, tenacitatem tamen patris ſibi non probari ſatis aperte oſtendebat, quo factum, ut ſimultate inter utrumque orta, Maximilianum alloquio prohibuerit, nec quidquam cum Epiſcopo deinceps agere permitteret. Abrupta igitur tractatione Viennam rediit, & Mathias, Stephano Zapolya conſtituto interea Auſtriæ Præfecto, Budam, ul- 1489.

Hh 3 timum

a) Hæc pacta vid. ad an. 1478. Nr. 11.

b) Dogiel Tom. I. pag. 23. ſeq.

timum visurus, secundo Danubio, devectus
1489. est, quem paulo post Otto Comes Palatinus cum Legatis Cæsareis consequutus, rursum de pace cum eo coepit agere. Accepti sunt liberaliter,& muneribus quoque exculti, de pace tamen nihil transigi potuit, quod ipse Rex, cum Cæsare, & Maximiliano, se de hac velle agere diceret, ut primum Viennam redierit. *a)*

1490. XV. Hanc quidem, ex febre paulum recreatus, sequente anno revisit, sed non tam de pace acturus, quam ut fortunæ filii sui ante obitum prospiceret, nec enim diu se superstitem futurum, ex morbi, graviore identidem sensu redeuntis crebritate, observavit. Indicto proin Wratislaviam conventu, Silesiam filio asserere cogitabat, cum ut nuptias illius cum Blanca Mediolanensi, *b)* celebriores, tum ut ei viam ad regnum Hungariæ proniorem redderet. Et jam Varadiensis Episcopus Vratislaviam præire jussus, & Urbanus Episcopus Agriensis, regni Quæstor, cum pecuniis, ut filio profusa liberalitate animos concilaret, Viennam accersitus erat, cum repente, divinis officiis die palmarum assistens, hemiplectico fulmine ictus, biduumque inter acerbissimos dolores colluctatus, anno

a) Bonfinius Dec. 4. l. 8. Fugger l. 5. c. 38. Müller l. cit. c. 43. §. 4. 7. pag. 177. Gerard. de Roo l. 10.

b) Bonfinius Dec. 4. l. 8. Roo l. 10. Fugger l. 5. c. 38.

anno ætatis ſeptimo, & quadrageſimo exſpiravit. *a)* 1490.

In die obitus, *b)* & mortis cauſa, ſcriptores diſſentiunt, ſunt, qui ficus veneno imbutas, a Beatrice regi porrectas, ſed nullo documento, vel autoritate nixi affirment: alii Stephanum Zapolya in ſuſpicionem vocant, quaſi theſauro regio, XL. aureorum millibus æſtimato inhiarit, *c)* eique mortem occulta machinatione conſciverit. Cui ſuſpicioni ſi quid veri ſubeſſet, oportuit hominem omnium mortalium fuiſſe ingratiſsimum, qui a Mathia ex obſcu-

a) Diem mortis regina, apud Kaprinai hiſt. diplom. Pag. I. pag. 11. ad 6. Apr. defigit.

b) Sambucus in append. ad Ranzani indices, pag. 685.

c) Thurnſchvam in Ms. memoriis ſui temporis. Wie auch Grof Stephan, des Janos (Zapolya) Waida Vatter, ſo König in Ungarn worden, alle Schlöſſer, ſo König Mattjas, eingezohen, und dem Stephan zu treuen Händen gelaſſen hat, auf die letzt für ſich ſelbſt behalten, nicht ohne Verdächtnus, wie ſchriften ausgangen, daß der Stephan zu Wien, den König Mattjas ſollt haben umgebracht, von wegen viel bey ihm zufinden — doch hat gemelter Stephan all des Königs Mattjas Silber Geſchier, gulden gebieth, und anderes zu wegen gebracht, wie man bey ſeinem Sohn, den Janos, offentlich geſehen hat, mit dem Raben ꝛc.

1490. ro loco, *a*) ad summum fastigium evectus, &, ut Ducis Tesinensis filiæ matrimonio jungeretur, effecerat, pro tot beneficiis malam gratiam reddiderit. *b*) Funus secundo Danubio Budam devectum, indeque Albam ductum, ceteris regum tumulis additum est. Defuncto Ranzanus, Lucerinus Episcopus, Ferdinandi Siciliæ regis Legatus luculenta oratione parentavit.

Fuit Mathias, exterorum etiam opinione, maximus regum, & belliducum, sui temporis habitus, armorum, & rei litterariæ amans. Hanc ingenti animo complexus, destinationem rege dignam conceperat, nisi aliquid Platonicum prætulisset. Ædificia enim prope Budam insanis substructionibus moliri cogitabat, in quibus, quadraginta millia discentium, procul ab aliorum consortio, armisque interdictis, simul cum Doctoribus commode degere, & scientiis operam dare pos-

a) Id. ibid. Emrich Deák hat seinen Bruder Stephan an König Matjas Hof geholfen, ist zuvor zu Gran auf den Schloß ein Trabanten Hauptman gewest, und Vorsteher. Seynd Windischer Art, und aus den Dorf Zapolya genannt, Bürtig, ist so viel, hinter dem Feld, oder innhalb des Feld, in Bosna an Crabaten.

b) Id. ibid. der Istvan ist hernach Großgrof worden, hat eine von Teschen zum Weib gehabt, hab ich auch kennt, und auf Trenchin gesehen.

poſſent. Et jam juſta operis fundamenta eduxerat, cum ob ingruentia paulo poſt bella, in arctius ſpacium molitionem contrahens, ſtudium univerſale, ad normam Academiæ Bononienſis, in arce Budenſi inſtituit, accerſitis ex Italia, & Germania doctiſsimis viris, in quos, non habita ratione conditionis, ſtipendia largiſsime erogabat, neve adjumenta ad ſcientias deeſſent, bibliothecam, Latinis, Græcisque, variarum diſciplinarum libris, conducta apud exteros ſcribarum opera, copioſe refertam, omnibus patere voluit. *a*) Ac his quidem adminiculis ſtudii Budenſis, & Bibliothecæ regiæ fama brevi per Europam inclaruerat, & magnum Regi nomen conciliavit, fructus tamen in univerſam Nationem, ſpe minor dimanavit, communi plerumque errore, cum a ſummis inchoatur, neglectis iis, quæ ad illa viam ſternere ſolent. 1490.

Armorum tamen potior illi cura fuit. In his vitam fere totam traduxit, bellorum cauſas, ex immodico gloriæ ſtudio, magis quærens, quam aliunde oblatis, ad emolumentum Regni uſus, quo factum, ut minorem operam conſervandis ſuis ditionibus, quam conquirendis alienis, impenderet. Si Cæſare hone-

a) Caſp. Heltay chron. Hung. Claudiopoli, 1570. edit. pag. 177. Kaprinai l. cit. pag. 315. Fran. Xiſt. Schier, de ortu cet. biblioth. Buden. Conf. Pray. P. IV. pag. 118.

nestis conditionibus pacato, & corona Regni
1490. recuperata, non se rebus Bohemicis, Pontificum rogatu, immiscuisset, poterant provinciae a regno avulsae, repressis Turcis, facile recuperari, & Hungaria forte ad eum, in quo sub Ludovico erat, statum reponi. Sed cum vim omnem in armis poneret, Nationem, ad haec alioqui pronam, ab artibus, mercimonio, ceterisque institutis politicis, quae rem publicam prae armis florentem solent reddere, exemplo suo abstraxit.

Erat quidem in palatiis, aedibus publicis, & voluptuariis, cum ad magnificentiam, tum ad decorem struendis, profusus, accitis ex Italia, & aliunde ingenti sumtu, artificibus, verum hi artem cum pecunia, rursus domum referebant, nullo relicto ex popularibus tyronum seminario, ex quo artes ad posteros propagarentur. a) Justitiae cultorem, hodiedum vulgus nostrum in eo amissum memorat, cui nihil frequentius in ore est, quam eo sublato hanc exulare. Hinc tot, & tam crebrae ab

---

a) Ranzanus Indic. 1. Tom. I. Scriptor. Hung. pag. 329. *Opifices, hoc est, eos, qui dant operam mechanicis artibus, si & multitudinem incolarum, & regionis consideres amplitudinem, paucos inveneris — Ceterum, qui — aut mercatura, aut artium usu vivunt, eorum plerique Germani sunt, non Ungarici generis homines,*

ab eo perlatæ leges. Ut munificus in alios erat, ita promiſsi ſæpe immemor: iræ præcipitis, & in mandando ſuperbe imperitans, *a*) qua de cauſa, ſemel, iterumque amittendi regni periculum adiit. Pompæ, cum opus erat, ſummus oſtentator, verum aliquando ita in hac immodicus, ut nomen ſuum apud exteros obæratum reliquerit. *b*) Sub vi- 1490.

a) Id ipſe adeo Rex in inſtructione legationis ad Ducem Calabriæ, fratrem Beatricis Reginæ, an. 1489. faſſus eſt. *Nemo enim*, inquit, *Hungaros, & eorum animos magis unquam novit, quam nos, qui eos tot annis ſub froeno tenuimus.* Occaſio autem miſſæ legationis erat, quod Beatrix ab obitu mariti, regnare optaret, ut eadem Inſtructio habet. *Optat quippe ipſa domina Regina per nos effici, ut poſt noſtrum obitum, ſi ſcilicet prius, quam ipſam, obire nos contingat, nobis in regimen, & regno ſuccedat, imperiique noſtri habenas moderetur, quod nos, etiamſi omni ſtudio conaremur efficere, tamen nequimus, — quodque a nobis non petit tantum, ſed continuis ſuſpiriis, & jurgiis, & lacrimis exigere conatur &c.*

b) Litt. Auguſtini Barbadico Ducis Venetor. ad Stephanum de Bathor Vajvod. Tranſilv. *Non debet latere magnificentiam veſtram, quantum quondam ſereniſsimus Mathias Rex, debebat prudenti civi noſtro, Petro Zano, pro gemmis, jo-*

vitæ finem, cum intelligeret, filium ſibi vix
1490. ſucceſſurum, huic magis, quam regno, ſtudere
viſus, cum; quæ regni ſumtibus extra
Hungariam occupaverat, bonam eorum partem,
eidem donata relinqueret. *a*)

WLA-

jocalibus & aliis emtis ab ipſo Petro, qui adhuc ſatisfactionem ſuam non potuit conſequi, non ſine ingenti damno ſuo. Quapropter &c. Datum in noſtro Ducali palatio, die 12. *Novembris. Indictione XI.* 1492. ex autogr.

a) Id mox patebit ex conditionibus, quas regni ordines cum Jean. Corvino pacti ſunt.

WLADISLAUS II.

Ab anno 1490. — 1516.

I. Defuncto juſtis pro more ſolutis, cum hæres legitimus non ſupereſſet, Regina vulgatis XVII. Aprilis per regnum litteris, comitia pro eligendo rege indixit. Candidati, qui per oratores ſuos regnum ambiebant, plures fuere. Maximilianus pactis, quæ Mathias, & regni Ordines, de ſuccesſione olim rata habuiſſent, *a*) nitebatur: Wladislaus Bohemus, & hujus frater Albertus, præter ſanguinis, quem ab Alberto, & Sigismundo regibus traherent, prærogativam, felicitatem etiam, ſi hæc regna, ut olim, Hungariæ jungerentur, proponebant: Joannes Corvinus meritis ſui patris, & ingenti theſauro, ad tuendum regnum, idoneo, ſe ſuſtentabat. In hoc competitorum concurſu, deliberatio anceps, & diuturna fuit. Plerique, quod rem vix ſine armis abituram crederent, non tam regni, quam ſuo, commodo ducti, in eam, a qua periculum ſibi imminere verebantur, partem inclinabant. Itaque diviſis votis, pars Maximilianum, qui Moraviæ vicini erant, Wladislaum, qui Polo- 1490.

a) Recole, quæ ad an. 1463. N. 4. dicta ſunt. Item litt. Maximiliani ad Hungaros, Lincio d. 1. Maji, 1490.

loniæ, Albertum, optarunt, Corvinum vero, 1490. qui a Mathia beneficiis affecti erant, designarunt. Beatrix, cui a viri obitu cura regni a Proceribus credita erat, spe conjugii, primum Maximiliano favebat, eumque admonuit, ut in Hungariam properaret, sed, ubi se in litteris ab eo redditis, matrem compellari legisset, senium sibi objici, ægre ferens, vota in Wladislaum, quod cœlebs adhuc esset, facileque amoribus irretiri posset, traduxit, &, ut erat mira animorum captatrix, multos primi ordinis Magnates in suam partem pellexit.

Corvinus, qui arcem regiam insederat, ut reginæ molitiones comperit, Petrum Colocensem Archiepiscopum, ea invita, e custodia dimisit, & hujus fratris, Matthæi *Ersek* opera usus, corona, & thesauro regni potitus, in Sclavoniam abire parabat. a) Perculit ea secessio, regni Ordines, &, ne bello intestino ansa daretur, Stephano Bathorio, & Kinysio mandatum, ut recedentem conseque-

a) Litt. reginæ, Dominic. prox. ante fest. B. Magdalenæ 1490. *Quoniam eum* (Matthæum Ersek) *una cum ceteris regni æmulis, & conjuratis, coronam sacram, & thesaurum regni, contra omnium aliorum fidelium Prælatorum, & Baronum, & nostræ majestatis consensum asportando, — in manifestam infidelitatem incurrisse manifestum est &c.*

querentur, & nolentem reverti, hoſtilem in morem habeant. Quarto a Buda lapide, 1490.
defixis caſtris morantem, tentato primum fruſtra amicó colloquio, vim adhibent, & facile profligant. Theſaurus quidem regni eo prælio recuperatus eſt, ſed coronam, ut Corvinus pugnæ exitum prævidit, cum paucis periculo mature ſe ſubducens, Quinque Eccleſias ſecum abſtulit. Id omnibus rationes magnopere conturbaverat, fruſtranea enim erat, ſine corona, de eligendo rege conſultatio, ac iisdem, quibus Mathia electo, difficultatibus obnoxia. Quare, pactis ut cum illo ageretur, conſtitutum. Delecti ſunt igitur, qui cum eo transigerent, Hippolytus Eſtenſis, Archiepiſcopus Strigonienſis, cum ſeptem Epiſcopis, & Stephanus de Bathor cum Stephano Zapolya, aliisque regni Baronibus, quorum auctoritate, ſpes erat, ut pacis conſilia admitteret. Conditiones, juvenis ambitioni accommodatæ, & hujus tenoris erant. *a*)

Si communibus Ordinum ſuffragiis, Hungariæ Rex non eligeretur, promiſſus ei eſt titu-

a) Ex autogr. *Dat. in præfata noſtra congregatione Budenſi, in octava Sacratiſsimi corporis Chriſti* 1490. Has conditiones etiam Wladislaus ratas habuit. *Dat. in caſtris exercitus noſtri, prope villam Farkashyda, Sabbath, prox. ante feſt. S. Petri ad vincula,* 1490.

titulus regis Bosniæ, quo illum Rex electus,
1490. Prælati, & Barones regni, aliique deinceps compellabunt, dabuntque operam, ut quarto poſt die, quam futurus Rex coronatus fuerit, ipſe etiam corona regni Bosniæ incingatur: præter hunc titulum, etiam Ducatus, Sclavoniæ, Oppaviæ, & Liptoviæ, tum Banatus Dalmatiæ, & Croatiæ, cum ſolitis eorum proventibus, retinebit, ſalvis tamen incolarum immunitatibus, &, ut regi fidelitatem promittat. In Sclavonia, poſſeſsiones, ſi ultra quinquaginta colonos non numerent, poteſtatem habebit, cui volet, donandi, ea tamen conditione, ut Rex futurus ratas habeat: caſtra, quæ titulo pignoris tenet, hoc diluto, ſuis dominis reddet; quæ autem jure hæreditario in Tranſsilvania, in Comitatu Zagoriæ, in Hungaria Ginſium, & Neoſolium cum ſodinis, in Auſtria *Reczium*, *Wolffersdorſium*, in Moravia *Hunnobrodam*, in Sclavonia *Kemlecum*, a patre donata poſsidet, perpetuo jure ad ejus hæredes pertinebunt, quibus ſi caruerit, ad coronam regni devolventur: reliqua vero, quæ ſive in Hungaria, *a)* ſive in Auſtria, Stiria, Carniolia, Carinthia, & Sileſia, demto Oppaviæ Ducatu, ac Luſatia, beneficio patris, poſsidet, regno, cujus impen-

a) Pactionum tabulæ, ſupra quadraginta caſtra numerant, quæ Corvinus in Hungaria, Croatia, & Sclavonia poſſedetit.

impendiis occupata erant, bona fide restituet. Bibliothecam, pro decore, & utilitate regni a patre conditam, non patietur distrahi, integrum tamen ei erit, conſciis Prælatis, & Baronibus, libros ex ea in ſuum uſum deligere. Atque hæc, ſi ipſe electus fuerit, ſe, litteris editis, ſervaturum pollicebitur; ſin alter præ illo, Rex fuerit renunciatus, is, ut idem præſtet, regni Ordines curabunt. 1490.

II. His conditionibus, Sigismundi Quinque-Eccleſienſis Epiſcopi, hortatu perſuaſus, aquievit, Budamque redux coronam regni Ordinibus conſignavit. Nihil itaque jam erat, quod electionem morari poſſet. Itum eſt in ſuffragia, & Urbano Agrienſi Epiſcopo præeunte, communibus votis Wladislaus, Rex renunciatus eſt, miſsique confeſtim Legati, qui eum ad capeſſendum regnum invitarent. Admonitu tamen prioris temporis, quo Mathias multa præter Majorum inſtituta, ſuo arbitratu decreverat, actum eſt de conditionibus, quibus regnum electo deferendum eſſet. *a*)

Earum ſententia hæc fere fuit: Immunitates, & conſuetudines regnicolarum illibatas ſervabit, & quæ Mathias adverſum has ſtatuerat, antiquabit, præſertim florenum auri, ſæpius ab illo, contra quam promiſerat,

a) Exſtant in Cod. jur. patr. Tom. I. pag. 255.

rat, imperatum, non exiget, & ordinariis
1490. regni proventibus contentus erit. Bona ſive a deceſſore, ſive ab aliis vi occupata ſint, ut ſecundum juris formam dominis ſuis reſtituantur, curabit, nec ſinet, ut corona unquam efferatur ę regno, ſed Wiſſegradi, priſco more, conſervatoribus cuſtodienda tradatur. Promittet quoque, Moraviam, Sileſiam, Luſatiam, & adnexas ſex civitates, non ante a regno abſtrahendas, quam precium in Conventu Olomucenſi, ex pacto ſtatutum, *a*) fuerit redhibitum, idque in domo theſauri regii, publicis neceſsitatibus ſervandum, reponet. Similiter, quæ Mathias in Auſtria, Stiria, Carniolia, & Carinthia, armis aſſeruerat, inconſultis Prælatis, & Baronibus non reſtituet, ſi autem, numerata ab Imperatore, vel rege Romanorum, pecunia, reſtituerit, hanc itidem ad publicas regni neceſsitates ſervabit. Quia vero duorum regnorum cura nunc illi incumbat, Bohemiæ autem nihil ab hoſte periculi ſit, in Hungaria potiorem temporis partem exiget, & in hac Hungarorum, non exterorum conſiliis utetur, nec dignitates, & officia aliis, quam Hungaris, conferet: ſevere etiam vetabit, ne a judiciis, *Octavalia* noſtri vocant, ii, quorum arbitrio cauſæ ventilantur, ſine gravi, & legitimo impedimento, abſint, neminemque judicum coget, ut

a) Conf. quæ ad an. 1479. memorata ſunt.

ut favore cujusquam ductus, ſententiam ferat, minime autem omnium, ſuggeſtione, aut querelis aliorum, ſe adduci patietur, ut quemquam, cujuscunque ſit conditionis, præter juris conſuetudinem, in rebus, & perſona, impediat, vel lædat, aut occaſionem nocendi de induſtria aucupetur; de moneta nihil ſine regni Ordinibus conſtituet, atque hæc omnia ante coronationem rata habebit. 1490.

Sunt in his conditionibus non paucæ, quæ vitia Mathiæ, in regimine commiſſa, ſatis perſpicue declarant, quibus etſi quidem, illo vivo, regni Ordines ſæpe cautum voluerint, nunquam tamen, partim potentia armorum illius territi, partim, quod animis fere ſemper diſcordes eſſent, mederi poterant, quo factum, ut cum futuro rege, majori licentia ſibi agendum putarent, eſtque id, quod ſciam, primum omnium ante coronationem, inter Regem, & Ordines, conventionis apud nos veſtigium, qua auctoritati Regiæ limites a Magnatibus, qui fere omnia ad ſuum, non item commune regni bonum, revocabant, præſcripti ſunt. *a)* Atque hinc malorum, quibus Hungaria deinde involuta erat, origo. Cum enim adſtricta poteſtate Regis, huic ſe pene pares ferrent, contemni ſenſim reliqua Nobilitas, & hæc vicifsim illis primum quidem obniti, poſtea largitionibus

a) Iſtvanfy hiſt. l. 1. ad initium.

1490. potentiorum in partes diſtrahi, & factionibus inter ſe diſsidere, regnumque inter has, extero hoſti præda fieri cœpit.

III. Wladislaus, poſtquam ex Legatis, ſe regem electum eſſe comperit, iter in Hungariam decem equitum, & quinque peditum millia ducens, acceleravit. Regnum ingreſſo, Prælati, & Barones magno numero, ad *Farkashidam*, quaſi luporum pontem dicas, occurrunt, ſalutatoque conditiones, quibus eidem regnum delatum vellent, offerunt, quas ille, quid enim adipiſcendi regni cauſa non faceret, III. Calendis Auguſti ratas habuit, ſimulque conventionem, quam regnum cum Joanne Corvino inierat, eodem die confirmavit. Inde Budam deducto, apparatus ad inaugurationem facti, quos nova molitio Corvini, qui cum Agrienſi, Varadienſi, Quinque-Eccleſienſi, & Jaurinenſi, epiſcopis, tum Stephano Bathorio, Bartholomæo Auranæ Priore, & Thoma de Raska, in ſocietatem coaluerat, fere intercepit, verum cognito, hanc ad mutuum duntaxat contra privatos inimicos auxilium pertinere, *a*) metus evanuit. Tanto major regi a fratre Alberto incuſſus eſt, qui, quamquam ſciret, miſſo ex Hungaria ad Caſimirum Legato, de concordia inter ſe, & fratrem agi, tamen armatus, re-

a) Litt. convention. munitæ 7. ſigill. Dat. Budæ in feſto aſſumtion. B. M. Virg. 1490.

regnum ingressus, Septembri mense jam castra ad *Zerenchum* defixerat, a) qua hostis propinquitate, regni Ordines veriti, ne vixdum sopita dissensio recrudescat, indicta Albam profectione, Regem XVIII. Septembris, solito ritu inaugurarunt. b) 1490.

Interea res Austriæ penitus collapsæ sunt. Maximilianus, deductis ex Suevia copiis, quibus Albertus Bavarus suas adjunxerat, occupatis per iter plerisque castris, quæ Hungari tenebant, Viennæ appropinquabat. Stephanus Zapolya, relicto urbi præsidio, & convasato Mathiæ thesauro, in Hungariam abiit, cujus recessus, fugæ similis, animos civibus addidit, ut, redactis in arcem Hungaris, Maximilianum læti acciperent, qui tentatis aliquot assultibus, præsidiarios ad deditionem compulit, brevique post subacto Leitæponto, Hungariæ imminebat. Wladislaus, ne sibi cum duobus hostibus res esset, Legatos ad eum miserat, qui de illata sibi injuria quererentur, & litem de successione, delectis utrinque arbitris, committi peterent. Verum is injuriæ crimen facile ab se repulit, & in Hungaros conjecit, qui pacta successionis, a

 Ma-

a) Litt. Alberti ad Bartphens. Dat. in campo ante possession. Zerench, fer. 5. prox. post fest. B. Egidii. 1490.

b) Litt. Wladislai, Dat. Albæregali fer. 5. prox. post fest. exalt. S. crucis eod. an.

Mathia, & regni Ordinibus, publica ſtipulatione inita, Wladislao electo, irritaſſent, nec illud locum habere poſſe, quod ad hæc firmanda, ſe coactos eſſe dicerent, alioquin nullum fœdus, quantumvis ſide publica ſancitum, inter gentes futurum, quod hac ratione, impune violari non poſsit. Dimiſsis cum hoc reſponſo Legatis, ſub initium Octobris, plurium Magnatum, *a)* quibus Wladislai electio non probabatur, hortatu, Hungariam ingreſſus, occupatis Kismartonio, Sopronio, & Ginſio, partem copiarum Zagrabiam, quæ ſponte ſe dediderat, miſit, ipſe Albam cum reliquo exercitu profectus, urbem XVI. Novembris *b)* aſſultu cepit, & militi diripiendam dedit.

1490.

Veſzprimium quoque a loci Epiſcopo, ſpe obtinendi Vienneuſis epiſcopatus, Maximiliano traditum, qui, ſumto abhinc titulo Regis Hungariæ, & impoſito, quantum ſatis eſſet, Albæ præſidio, Budam verſus movit, cum milites coorta ſeditione, ob Albenſem prædam inter pedites, & equites non rite diſtributam, tum ſtipendia nondum ſoluta, deſer-

a) Horum nomina vid. apud Pray P. IV. pag. 237.

b) Manus coæva ad d. 16. Nov. in Breviar. Strigon. hæc notavit: *in feſto S. Othmari civitas Albaregalis fuit deſpoliata per Maximilianum regem Romanor.*

fertis signis, in Germaniam rediere. Itaque a proposito desistere coactus est, alioquin Budam facile occupaturus, quod Wladislaus, vim præcipuam fratri Alberto opponens, præsidio fere vacuam reliquerit. Præmiserat is jam Octobri mense, magno numero copias, quæ Polonos ulterius progredi vetarent, quas ipse brevi consequutus, ut sanguini parceret, evocato ad colloquium fratre, Glogoviensem Ducatum ei se cessurum promisit, si bello abstineret. Hoc dono pacatus, Hungaria excessit, tametsi concordiam non diuturnam fore, plerique existimarent, ut ex eventu patuit. a) 1490.

IV. Ipsa enim sequentis anni hyeme, rursus Hungariam ingressus, Cassoviam obsedit, sed pugna cum Stephano Zapolya congressus, semel, iterumque inferior, Legatis, a patre interea missis, obsequutus, pacem cum fratre, his conditionibus iniit: Wladislaus, legitimus Hungariæ rex haberetur, hic vicissim fratri Alberto, præter Glogoviensem Ducatum, etiam Saganensem jure hæreditario cedet, similiter post obitum Conradi Ducis Albi, quæ hujus sunt, obtinebit, interea au- 1491.

a) Bonfinius Dec. 4. l. 10. Sambucus in append. ad Ranzani indic. Ludovicus Tubero l. 3. Cuspinianus de Cæsarib. in Maximiliano I. Roo l. 10. Linck. l. cit. ad an. 1490. Litt. regis dat. Budæ in fest. B. Galli.

tem quotannis proventus ex ejus dominiis
1491. reddi solitos, numerato ære pensabit: pro Oppaviæ Ducatu, quoniam jure hæreditario Joannis Corvini esset, si alio non posset commutari, tria quovis anno florenorum millia a Rege percipiet; qui Tostensem quoque Ducatum eidem adjunget, salvis ubique incolarum immunitatibus, & prærogativis, atque hæc omnia juris fraterni sint, eousque, donec regnum Poloniæ obtinuerit, tum vero ad Hungariæ reges devolvantur, si contra eveniret, & hæredes relinqueret, ad hos æquo jure, ea tamen conditione, pertinebunt, ut regibus Hungariæ, clientelares sint, interea autem, dum possessionem Ducatus Glogoviensis adeat, Eperiessum, & Cibinium in Hungaria, pignoris loco tenebit; amnestia denique non ad eos solum, qui partes Alberti fuissent sequuti, sed illos etiam, quos Mathias olim exulare jussisset, pertineat. a)

Pace his conditionibus cum Fratre stabilita, Albam, aliaque loca a Maximiliano occupata, prius recuperare constituit, quam eidem auxilia in Comitiis Norimbergæ decer-

a) Litt. regis dat. Agria, Sabbath. prox. post octav. epiphan. item ex Mochy fer. 3. prox. ante fest. Vincentii M. rursus Cassovia fer. 6. prox. post Dominic. Reminiscere. 1491. Sommersberg diplom. Boh. Siles. Tom. I. apud Pray P. IV. pag. 219.

ternerentur. Stephanus de Bathor, cui eam curam Rex mandarat, urbem V. Junii eminus obſedit, quam ipſe cum XL. fere millibus non longe poſt ſequutus, undique cingens, diu, noctuque eminus, verberari juſsit. Germani, cum viderent, moenibus labefactis, locum defendi jam non poſſe, impetratis quinque dierum induciis, XIX. Septembris hac conditione dimiſsi ſunt: ut ſpolia templis erepta reſtituant, quibus redditis, facultas iis, cum omnibus ſuis impedimentis, abeundi dabitur, triginta plauſtris, ad vehendas ſarcinas, attributis, & manu militari, quæ illos, ne per iter colonorum injuriis pateant, ad Auſtriæ limites tuto deducet. Alba dedita, eadem celeritate Veſzprimium, & caſtrum ferreum recepta ſunt, nec minus feliciter Corvinus, profligato Székelyio, qui Maximiliani partes amplexus erat, rem ad Zagrabiam geſsit, Turcæ etiam ad Hunum amnem a Croatis magna clade affecti, & caſtra aliquot Auſtriæ, Danubio adſita, in poteſtatem redacta ſunt. *a)* 1491.

Res

---

c) Bonfin. Dec. 5. l. 2. Iſtvanfy l. 1. ad hunc an. Tubero l. 5. Litt. regis in vigil. feſt. viſitationis B. V. item in feſt. Margaritæ V. & M. *Dat. in caſtris exercit. noſtri ſub obſidione civitatis Albæ regalis* 1491. Manus coæva Breviar. Strigonien. *In feſto S. Bonifacii menſe*

Ju-

1491. Res secunda hactenus fortuna ab Hungaris gestæ, Cæsarem, & Maximilianum, ad ineundam cum rege pacem permoverunt, præsertim, quod auxilia ab Imperialibus promissa, nimis lente, nec rite sibi administrari viderent. Nec Wladislaus, quod inquies Alberti fratris ingenium novos in superiore Hungaria motus concitare videretur, *a)* ab ea abhorrebat. Constitutis igitur Posonii utrinque arbitris, pax his conditionibus, VII. Novembris coaluit. Wladislaus, semoto omni litigio, verus, & indubitatus Rex Hungariæ maneat; hæc ab ejus obitu, solum ad masculos hæredes devolvatur: concordia inter Principes, regnaque illorum, & incolas perpetua sit, mutuoque se adversus hostes

---

Junio Stephanus de Bathor obsedit civitatem Albam regalem contra Alemannos. Litt. regis Palotha in vigil. B. Laurentii M. *Ceterum, in Austria quoque, certa castra ad portum Danubii expugnari fecimus, propter quæ omnia jam etiam serenissimi DD. Romanor. Imp. & Rex, nobiscum de pace, & concordia agere coeperunt, & his diebus Oratores, & Consiliarii utriusque partis convenire debebunt.*

a) Litt. regis Buda in festo B. Andreæ Apost. Sed *hic* (Albertus) *nescimus, quo suscepto consilio — novas guerras, & flandras, in hoc regno temere exsuscitavit, &c.*

ſtes juvent: prædæ, ſpolia, vaſtationes, & damna a Mathiæ temporibus illata, pro abolitis utrinque habeantur. Wladislaus, caſtra, civitates, aliaque loca, quæ Mathias in Auſtria, Stiria, Carniolia, & Carinthia occupaverat, relictis ubique tormentis, bellicoque apparatu, Cæſari reſtituet, facietque, ne Corvinus in his reddendis moroſum, & difficilem ſe præbeat; Maximilianus vicifsim, quæ in Hungaria, Croatia, & Sclavonia armis ſubegit, bona fide cedet, ſumtum tamen belli, Rex Hungariæ intra biennium, centum millibus florenorum auri penſabit, condonabit etiam illa centum millia, quæ Cæſar Mathiæ regi debebat, litterasque, quibus fidem ſuam obſtrinxerat, eidem reddet, ſi inveniri poſsint, ſin contra, aliis litteris immunem ab hoc onere declarabit: præterea, omnibus, qui Maximiliani partes hactenus ſequuti ſunt, erratorum veniam faciet, neutri tamen poſthac fas ſit, rebelles, & alterutri Principi infideles, in ſuas ditiones recipere, protegere, aut re, conſiliove iis opitulari, quin adverſum tales ſibi vicifsim auxilium præſtabunt, captivos denique utraque pars liberos dimittet. *a*)

1491.

ſed,

a) Auctar. diplomatar. ad hiſt. Urſini Velii pag. 238. — 266. & ex hoc apud Pray, Par. IV. pag. 231. — 247.

1491. Sed nullum pacificationis caput, majore ſtudio, & pluribus cautelis declaratum erat, quam jus ſucceſsionis in Hungaria, de quo ita utrinque conventum, ut Wladislaus non ſolum vetera pacta de ſucceſsione, inter Cæſarem, & Mathiam inita, confirmet, ſed, indictis etiam anno futuro ad IV. Nonas Februarii, *a*) Comitiis, quibus Maximiliani oratores quoque interſint, ab regni Ordinibus, pro ſe, & ſuis hæredibus, edito ſacramento, & litteris exaratis, hunc in modum corroborari faciat: ſi Wladislaum ſine legitimis liberis maſculis decedere contingat, aut liberos quidem relinqueret, hi autem ſine legitimo hærede morerentur, Maximilianum, vel, hoc mortuo, aliquem ex filiis, aut ab his linea recta propagatum, pro vero, & legitimo rege Hungariæ, agnoſcant, eique, ubi regnum capeſsiverit, tamquam do-

a) Litt. regis ad Caſſovien. Buda in feſt. B. Andreæ Apoſt. *Quibus autem legibus, & conditionibus pacem ipſam pepigimus, neceſſarium putavimus, — etiam fidelitatibus veſtris, plane omnia communicare, ob quam quidem rem — ad feſtum Purificationis B. Mariæ V. proxime venturum, duximus generalem quamdam Dietam univerſis regnicolis indicendam &c.* Pacis hujus quidem mentio fit in Decret. Comitior. an. 1492. conditiones tamen nullibi memorantur.

domino ſuo, conſueta obſequia, & fidelitatem præſtent. Quia vero aliqui, præſertim, quorum id intereſt, ab his comitiis abeſſe poſſent, Rex alium eodem anno conventum die Pentecoſtes celebret, in quo, qui prius aberant, idem jure jurando, & ſcripto ab ſe concinnato, ratum habebunt, nemoque deinceps ad Prælaturas, & primas regni dignitates admittatur, niſi hæc pacta ſe ſervaturum promittat; cuſtodes quoque coronæ, quoties officium adibunt, juramento pollicebuntur, ſe coronam regni, Wladislao, ea, qua memoratum eſt, ratione, defuncto, nulli alteri, quam Maximiliano, aut hujus, qui ſuperſtites erunt, poſteris conſignaturos eſſe. Si vero hæres ab Wladislao relictus minorennis fuerit, tutores eadem ſe ſervaturos, fidem hujus nomine, facient, qui, ubi legitimam ætatem attigerit, idem præſtabit, qui modus ab hærede ad hæredem conſtanter deinceps ſervandus erit. Atque hæc Poſonii primum per pacis arbitros, VII. Novembris conſtituta, dein a potioribus, non tamen omnibus, regni Prælatis, Baronibus, & Proceribus, appenſione Sigillorum Budæ XXIX. roborata, & a rege VI. Decembris firmata ſunt, Maximilianus vero, cujus res inprimis agebatur, jam octiduo ante Oeniponti rata habuit. *a*) 1491.

a) Auctar. diplom. cit. Conf. Pray Par. IV. pag. 247. ſeq. Müller, l. cit. 6. Vorſtellung, §. 49. §. 5. pag. 195.

1492. V. Supererat Cæfar, qui, ut fere in rebus fuis lentus erat, fequente primum anno, cum Lincii ageret, pridie Nonas Januarii, fuo etiam nomine, pacta ftabilivit. Non eum tamen, qui fperabatur, exitum pacificatio habuit in Comitiis, quæ ad diem II. Februarii indicta erant. Ut enim capita illius legi coepta funt, multi palam obftrepere, fervitutem hanc, non pacem quiritari, & prope erat, ut violentas manus Legatis injicerent. Itaque ceffatum, nihilque aliud ex ea in Comitiorum Acta, quam pacem cum Cæfare, & Romanorum rege, confectam fuiffe, relatum eft. Cetera, quæ in iis acta funt, partim ad ea, quæ Rex in aditu regni *Farkashidæ* fe fervaturum receperat, partim quæ a decefforibus in bonum rei publicæ jam fancita erant, firmanda pertinent. Notata eft præterea Mathiæ, bona aliis præter juris ordinem adimendi facilitas, quæ ut indicio eft, quam arbitrarie imperitarit, ita quoque, ut licentiæ huic deinceps modus poneretur, ftatutum, ut quæcunque five ab illo, five Regina, aliisve, vi occupata erant, iis reftituantur, quorum antea fuiffe, judices compererint. Illud autem, ut reor, præter Majorum inftituta factum, quod regis poteftas donandi ad centum colonos folum, quos fuo arbitratu aliis conferre poffet, adftricta, fi vero hunc numerum excederent, confilio Præ-

lato-

latorum, & Baronum opus ei fuerit. a) Hactenus enim Andreas II. ſolum exteris nullas possesſiones ſe collaturum promiſerat, b) idem ab Alberto factum, qui præterea, jura regalia, & coronæ, nec cum, nec ſine aliorum conſilio, ſe pignori daturum, vel in perpetuum venditione alienaturum, pollicitus erat; c) ipſe Wladislaus quoque, dum ei conditiones offerrentur in regni aditu, non aliis, quam Hungaris de regno bene meritis, ſe bona donaturum, nulla iſthic, adſtrictæ ad certum numerum in donando regiæ poteſtatis, facta mentione, ſpopondit. d) Credibile eſt, regni Ordines fuiſſe veritos, ne ob profuſam deceſſorum regum liberalitatem, & nimium Mathiæ, quo in filium ſuum ferebatur, ſtudium, proventus regii ita ſenſim attenuentur, ut nec majeſtatem ſuam pro dignitate regia tueri, nec poteſtatem in rei publicæ commodum, exerere poſſet. 1492.

Agebatur Comitiorum tempore, privatim etiam de matrimonio inter viduam Reginam, &

a) Decret. an. 1492. art. 9.

b) Decret. an. 1222. art. 26.

c) Decret. an. 1439. art. 16.

d) Inter conditiones 13. Cod. patr. Tom. I. pag. 257. Niſi forte, dum Albæ coronatus erat, id promiſiſſet, cum diſerte iſthic addatur, *prout continetur in litteris juramentalibus ſuæ Majeſtatis.*

1492. & Regem ineundo, quod illa, corrogato Optimatum patrocinio, vehementer urgebat. Verum Wladislaus præterquam quod ſuopte ab hoc abhorreret, illud etiam ægre ferebat, quod viroſa mulier, apud Pontificem; quaſi ſpe facta matrimonii, rem cum ea habuiſſet, nomini ſuo maculam aſpergere, auſa eſſet. Itaque accepto ab iisdem, quorum patrocinio hactenus nitebatur, conſilio, in Italiam reverſa eſt. Vixdum a moleſtiis illius ſe expedierat, cum mors patris Caſimiri, VII. Idus Junias defuncti, novas ei curas confecit, verito, ne forte fratres regni cauſa inter ſe diſſidere inciperent. Quare miſſo in Poloniam Legato, Jus ſuum in fratrem Albertum transtulit; cum ut ea, quæ nuperna pacificatione eidem in Sileſia cedere coactus erat, juri priſtino aſſereret, tum, ut contra refractariorum conatus, ſibi illum conciliaret. Exſtabant enim jam tum quædam domi indicia, ex quibus ſe non eo, quo oportebat, loco apud eos, qui dignitate, & opum affluentia ceteris præſtabant, haberi intelligebat. *a*)

Redierat ſub idem tempus, quem anno priore Conſtantinopolim miſerat, Emericus Czoborius, qui inducias quidem ea conditione, ut neutris in hoſticum vi, doloveingredi, nec

a) Litt. Pontif. ad regem, apud Pray, P. IV. pag. 249. regis ad eund. ibid. pag. 253. Sommersberg Mantiſs. diplom. pag. 84.

nec castrum, urbemque occupare fas sit, pro-
rogatas affirmabat, parum tamen barbari in- 1492.
genio fidendum esse, qui ad Sophiam eos apparatus faciat, ut incertum sit, in quam partem belli molem transferre cogitet, videri tamen Hungariam ab eo designari. Idem Petrus Colocensis Archi-episcopus Regi significaverat, certis nunciis Belgrado ad se perlatum esse, Cæsarem Turcarum ad *Plodynum*, præter ingentem peditum, equitumque numerum, viginti Timariotarum millia, in suo comitatu habere, pluresque ex Asia illum subsequi jussos esse. Nihil proinde dubitatum est, quin, induciarum simulatione, bellum paret, præsertim, quod Szabacsum, nocturno assultu frustra ab hoste tentatum fuisse, recens significatum esset. Belgrado igitur inprimis, & Jayczæ, ac Severino provisum, Temesvarino item addita nova opera, & præsidium, quantum ad vim arcendam satis esset, impositum. *a)*

Verum Bajazetes, solitus alibi minari, &
vires alio convertere, hoc apparatu Transil- 1493.
vaniam in annum sequentem designaverat. Hanc illius jussu Jacupes, Bosniæ Præfectus, cum Alibego, ipsa hyeme transmisso Danubio, sed inauspicata fortuna, ingressus, cum se spoliis agendis occupat, a Bartholomæo Drag-

a) Litt. Colocens. Archiep. ad Regem apud Pray l. cit. pag. 250 & 252.

Dragfio, provinciæ Vajvoda, circumventus,
1493. amifsis quindecim fuorum millibus, caftris, ac impedimentis exutus, cum paucis in adverfam fluminis ripam evafit. Relatam ex hofte victoriam Wladislaus, datis Romam litteris, oratori fuo, Nitrienfi epifcopo, fignificavit, quas dum hic Pontifici, & Cardinalibus, in Beatricis caufa occupatis, legiffet, Pontifex felicem fucceffum Regi gratulatus, eum fimul a fponfione matrimonii, quam Beatrix prætexebat, liberum pronunciavit, vetuitque huic, ne ullam deinceps illius mentionem faceret. Simili fententia initam olim fponfionem inter Blancam Mediolanenfem, & Joannem Corvinum, irritam declaravit, fponfa, quæ non nifi Regi nuptura erat, non invita. *a)*

Dum hæc Romæ aguntur, rege, quod ab importuna muliere tandem liberatus effet, mire læto, Turcæ cladem nuper in Tranfilvania acceptam ulturi, Croatiam, & Carnioliam pervagati, fœde omnia populabantur, quos dum noftri hominum, rerumque præda onuftos, reditu intercludere vellent, diffentientibus inter fe ducibus, cum hofte congrefsi, defideratis quinque millibus, figna, & caftra amifere. *b)* Jacturam hanc Rex eo gravius tu-

a) Raynaldus ad. an. 1493.

b) Leunclavius hift. Mufulman. ad an. 1494. ob diverfam hegyræ rationem.

tulit, quo magis metuebat, ne, quod Ducum dissidio peccatum fuit, suæ, qua se alias jam a suis notari audierat, desidiæ tribuatur. Accessit, Cæsare XIX. Augusti defuncto, altera cura, ne Maximilianus proposito suo inhærens, pacta successionis in proxime futuro conventu ab regni Ordinibus, ut Posonii conventum erat, firmari postularet, quod quam arduum esset, ex nuperna Ordinum repugnantia prævidebat, quia tamen fidem suam liberare vellet, rem in aliud tempus, dum animi ipsa mora subsidant, differri optabat. Viennam igitur officii causa, Urbanum Agriensem Episcopum, & Nicolaum Bansium misit, qui Cæsaris funeri interessent, &, si usus ferret, quæ Maximiliani mens esset, periclitentur. Sed cum reversi, illum in proposito perstare, referrent, ingenti solicitudine regem implevere, cum facile conjicere potuerit, quem exitum res in Comitiis, mense Septembri celebrandis, habitura esset. Et re ipsa, vix sub ipsum conventus initium, de pactis cum Maximiliano initis, Ordinum consensu firmandis, sententiæ rogatæ erant, cum res jam prope tumultum fuit, palamque ignavia regis sugillata, &, Ordinum jussu per Zapolyam Palatinum, eidem oggesta est, cui Rex commotum animum colligens, respondit; culpam non tam in se, quam regni Proceres, qui contemta dignitate regia, suo arbitratu omnia agerent, malisque artibus regnum, quod mu- 1493.

tuis cædibus, fortunarumque direptionibus
1493. fatis jam labefactatum fit, conjiciendam effe, fe, amotis ex Hungaria Polonis, & Germanis, & facta cum utrisque pace, compreffis præterea domi feditiofis, regno optime confultum voluiffe, per illos proin ftare, ut fructus pacis, cui fub Mathia fimilem non habuiffent, in regnum redundet; *a*) magnos quidem in regni aditu proventus fibi fuiffe promiffos, nunquam tamen integre redditos, & quos ipfe hactenus in utrumque bellum impendiffet, a Bohemis fubminiftratos effe. *b*)

His altercationibus, nulla fere re, quæ ad firmanda pacta attinebat, foloque *Kishorvatho*, ob infidelitatis crimen bonis omnibus exuto; perfecta, conventus folutus eft. *c*) Fuere tamen, quamquam pauci, qui pacta fuccefsionis fuo affenfu firmarint, fed potior No-

---

a) Litt. regis ad Borfodien. d. 2. Pentecoft. 1492. *Peperimus denique tantam vobis pacem, & tranquillitatem, ut fimilem vos habuiffe, nemo ex vobis eft, qui recordetur.*

b) Auctar. diplomat. l. cit. pag. 323. Somersberg l. cit. ad hunc an. Litt. Colocenf. Archiep. apud Pray l. cit. pag. 252. — 258. Raynald. ad h. a. Peuterus in Maximiliano & Philip. l. 5. c. 2. Bonfin. Dec. 5. l. 3. Iftvanfi l. 1. in fin. & l. 2. init. Roo l. 10. & 11. Tubero l. 4. §. 14. Cromerus l. 30.

c) Decret. regis apud Pray l. cit. pag. 258.

Nobilium pars, a Palatino in ejus partes pellecta, adverſa erat, &, ut Maximiliano 1493. ſucceſsionis ſpem omnem præcideret, coronam, ſine qua regnum legitime adire non poſſet, mutatis, injuſſu regis, illius cuſtodibus, curæ Palatini, &, ne in hunc ſolum invidia recideret, Epiſcopi quoque Agrienſis, Thomæ Bakoczii, commiſerat, qui conſtitutos ab ſe arcis Wiſſegradienſis Præfectos, juramento adſtrinxerant, ne coronam loco moveri ſinant, neve illam, Palatino, & Epiſcopo inconſultis, ulli petenti, ne regi quidem, aut Prælatis, regnique Baronibus conſignent, officio, ſi cuſtodibus viſum fuerit, decedant, locumque dent iis, quos illi ſubſtituerint. Cuſtodes ipſos, ſi majore, quam in arce ſint, militum numero venirent, caſtrum nunquam ingredi patientur, niſi forte id ab hoſte obſideretur, tum vero totidem admittent, quot in caſtro morantur, meminerintque, ſe, non majori fide Epiſcopo, quam Palatino, & Joanni hujus filio, obſtringi. *a*) Cur hic Joannes Zapolya, Palatini filius, qui per ætatem nullo adhuc in re publica munere inclaruerat, partem in corona cuſtodienda habuerit, non ſatis liquet, niſi forte Palatinus hac ratione ei viam ad regnum ſenſim parare voluerit, quod ei vix e cunis

Kk 3 egreſ-

a) De Rewa comment. de corona Tom. II. ſcriptor. rer. Hung. pag. 458.

egreſſo, jam mortuo Mathia, deſtinaſſe fere-
1493. batur. *a)* Certe, qui hujus theſaurum olim ſuum fecerat, & nunc, non modo jus regium, cuſtodes enim coronæ conſtituere, ſemper regum erat, violente uſurpavit, ſed ſpreto etiam ſeveriſsimo regis mandato *Zomborinam* Corvini caſtrum, in ſuam poteſtatem redegit, & affinitate cum Laurentio Duce de Ujlak, regis adverſario, contracta, vires, conſilia, opesque conjunxit, non inani conjecturæ locum præbet, eum filio ſuo, ut ex eventu patuit, jam a teneris animum ad regiam dignitatem aſpirandi, ingeneraſſe. *b)* Sed de hoc alias uberior memorandi locus erit.

VI. Wladislaus videns, magnam ſuorum
1494. partem a nuperna cum Maximiliano transactione vehementer abhorrere, quin ſe deſpica-

---

a) Herberſtein comment. rer. Moſcov. pag. 148. *Memini enim me audiviſſe a Joan. Laſzky, qui Caſimiri reg. Pol. ſecretarius, ac poſtea Archiep. Gnesnen. fuit, hunc Stephanum* (Zapolya,) *cum, Mathia rege mortuo, — de creando novo ageretur, filium ſuum Joannem, adhuc infantem complexum, dixiſſe, ſi tantulus eſſes, fili, modo corporis paulo majore oſtenſo, nunc Rex Hung. eſſes, idque idem Archiep. ceu bene ominatum — non deſtitit jactitare, eum inter nos de pace inter principem meum* (Ferdinandum) *& Joannem concilianda, ageretur.*

b) Iſtvanfi l. 2.

ſpicatui etiam haberi, ut præſidium ſibi contra horum molitiones pararet, cum fratre Alberto Leuchoviam, Poloniæ finibus propinquam urbem, condixit. Convenere eo etiam Sigismundus, & Fridericus, Alberti fratres, regioque more accepti ſunt. Palatinus Zapolya, quod regem ob vi occupatam Corvini arcem, ſibi iratum vereretur, non prius, quam impetrata impune redeundi venia, adfuit, neque tamen, dum illi inter ſe agerent, in conſiliorum partem admiſſus eſt, quod ei ſuſpicionem moverat, quaſi Rex *Kiliam*, & *Bielogradum*, quæ juris Hungarici in Moldavia erant, Polonis cedere velit, quod ut facile a multis creditum eſt, ita novam occaſionem eorum animos a rege alienandi præbuit, licet reges id ſolum in eo conventu inter ſe transegerint, ut ſibi contra inteſtinos hoſtes, & refractarios, mutuo auxilio eſſent. Rex ſalutatis poſtremum fratribus, Caſſoviam, & hinc in Tranſsilvaniam profectus, pacata provincia, & imperata incolis pecunia, Temesvarinum veniens, bellum in Laurentium Ducem, qui regem bovis nomine compellare per contumeliam ſolebat, decrevit, cura gerendi illius Dragfio credita, qui transmiſſo Danubio, *Uilakum*, præcipuam Ducis arcem, expugnavit, & cum hac multos ab ejus ſocietate abſtraxit. Hac jactura Dux territus, Palatini opem implorabat, qui, cum perſonam magis imperantis, quam de- 1494.

Kk 4 pre-

precatoris præferret, caufamque ad fe per-
1494. tinere, Regi nunciaffet, hic graviter offenfus, capto Uilako, oppidum S. Demetrii, reliquasque Ducis arces in Sirmio occupari juffit, eademque celeritate Kishorvatus, quatriduo omnibus arcibus exutus, mox tamen, poftquam fe de damnis fatisfacturum, & in Regis fide manfurum receperat, interventu Maximiliani Cæfaris in gratiam receptus eft. *a*)

Non eadem benevolentia in Ducem ufus
1495. eft, cujus arces Capofvarum, Rahociam, & Németujvarinum, fequente anno, eidem adimi mandavit, qui, cum fe omnibus bonis privatum videret, clementiam regis tandem implorare coactus eft, a quo erratorum quidem veniam facile impetravit, de reftitutione bonorum autem in Comitiis proxime futuris, quod Legatus a Bajazete adeffet, cum quo de prorogandis induciis tractandum erat, agi voluit. Legato, poft impetratas trium annorum inducias, dimiffo, initium Comitiis datum. In his, quæ triennio abhinc in regni conventu, ob temporis brevitatem, affecta erant relicta, nunc fecundis curis cognita, auctariis locupletata, &, quæ dubiis locum præbere poterant, illuftrata funt. De proventibus regiis, magnopere jam attenuatis, il-

a) Miechovius l. 4. c. 74. Cromerus l. 30. Tubero l. cit. l. 5. §. 10.

illud constitutum, ut, qui illis præficiuntur, Regi quotannis, redituum, & erogationum 1495. rationes reddant. Comitiorum quoque ratio, ne tempus inani garritu, & confabulatione teratur, coganturque mediocris census Nobiles, sumtibus exhausti, ante finem eorum discedere, paulo alia a priore instituta est. Ad hæc, non jam delecto numero, sed omnes Prælati, Barones, & Nobiles, uno prius mense, a Rege evocandi erant, qui interea, donec præstitutum tempus adesset, convocatis Prælatis, & Baronibus, qui ei a consiliis esse solent, necessitates suas, regnique, procul semotis privatorum causis, proponet, qui has deinde ad regni Ordines, dum collecti fuerint, referant, ut cum moderamine, &, quæ viros, quibus Patria cordi est, decet, gravitate, deliberent, quodque ad publicum emolumentum pertinere videbunt, constituant. Si in opinionum conflictu non omnibus conveniret, Magister Janitorum, suffragia viritim rogabit, secundum quæ, sanior pars sententiam feret, ut, hac ratione, Comitia citius solvi, & negotia tempori, necessitatique rei publicæ cum fructu accommodari possint. a) Saluberimum Institutum, sed postea, dum factionibus in dies magis invalescentibus, res strepitu magis, ac vociferatione, quam consi-

a) Decret. an. 1495. Tom. I. Cod. jur. patr. pag. 283.

filiis, ageretur, magno semper regni damno
1495. neglectum, ut ex eventu patebit.

De bonis Laurentio Duci restituendis, nihil in Comitiorum actis consignatum reperio, Rex tamen precibus multorum flexus, & quod reus se eorum consilio, qui ex turbata re publica, lucri compendium solent facere, seductum ingenue fateretur, privatim ita cum eo transegit, ut possessionem quidem bonorum, ei adire liceat, sed si sine liberis decederet, ad Fiscum devolvantur, Præfectis arcium juramento adstrictis, ut has, illo defuncto, sine mora regi consignent Sub conventus finem, Bartholomæus *Berizlous*, Auranæ Prior, ob adulteratam monetam, & vim honestissimis matronis, ac virginibus illatam, consiliaque cum Turcis communicata, variorumque, rapinarum, & perfidiæ criminum reus, in carcerem conjectus est. *a*)

Cum fine Comitiorum quies quoque do-
1496. mi restituta videbatur, cum Joannes Corvinus,

a) Bonfin. Dec. 5. l. 5. Istvanfi l. 3. hic hominem sceleftum culeo insutum, & Danubio mersum perhibet. Legitur tamen Decreto an. 1505. de non eligendo Rege extero, subscriptus, & Julius II. an. 1507. d. 20. Mart. scribens *Judicibus regni Protonotariis nuncupatis*, ut captivum, datis fidejussoribus, dimittant. Conf. Pray Differtat. de Prioratu Auranæ, Vien, 1773. pag. 57. seq.

nus, jacturam arcium, quas a patre aquisivevat, ægre ferens, conducto in Polonia milite, accitisque ad signa, qui utriusque regni limites insederant, latronibus, ac facinorosis hominibus, superiorem Hungariam, ipsa hyeme, actis prædis, sed non impune, infestabat. *a*) Palatinus enim periculo mature occurrens, eam hominum colluviem prælio fractam, regno facile exegit, &, quod victoriæ anteferendum est, Corvinum Regi opportune conciliavit, qui per id tempus, quod Bajazetem ingentes iterum apparatus facere, rumor vulgaret, nec induciarum tempore ei satis fidendum esset, vires omnes collectas habere cupiebat. Cum autem de sumtibus ad bellum, si ingrueret, necessariis consultatio institueretur, & ærarii rationes fuissent subductæ, compertum est, Sigismundum Quinque- 1496.

Ec-

a) Litt. regis ad Bartphens. dat. Posonii fer. 2. post fest. B. Dorotheæ ad an. 1496. *Cum his diebus accepissemus Illustrem Joan. Corvinum — gentes in regno Pol. ad stipendia convocare, atque omnes latrones, & alios flagitiosos homines — confluere, eo consilio, ut ad hoc regnum nostrum hostiliter venirent &c.* item litt. Steph. Zapolyæ ad eosd. ex Rosenberg, fer. 5. ante Dominic. Oculi, 1496. *Sciatis, quod inimici hujus regni, qui — damna, & spolia inferebant, — habito cum eis campestri conflictu, prostrati, & expulsi* sunt.

Ecclesiensem Episcopum, id non ea, qua par
1496. erat, cura, & diligentia administrasse. Habita igitur quæstione, repetundarum damnatus, & custodiæ traditus est, nec ante dimissus, quam quadringenta florenorum millia numerasset. *b*)

1497. Dissipato, qui diditus erat, belli Turcici rumore, Wladislaus magna curarum parte se liberatum videns, Bohemiam, quam a suo in Hungariam ingressu non adierat, magno Procerum, sibi familiarium, comitatu stipatus, revisit, Pragamque veniens, res vicariorum, quos per sui absentiam constituerat, desidia collapsas, in integrum restituit, inde in Silesiam profecto, ab Ordinibus provinciæ, & Moraviæ, juramentum fidelitatis præstitum est, sed, cum dubitaretur, utrum Hungariæ, an Bohemiæ Regis, nomine dictum fuerit. multis rursum occasio, Regi obloquendi, non tam data, quam studiose quæsita fuit. Commorantem apud Silesios, clades fratri Alberto a Moldavis illata, in Hungariam revo-

b) Bonfin. Dec. 5. l. 5. sed male ad an. 1495. Cod. enim Ms. de proventibus regiis, qui in Biblioth. Cæs. Vien. exstat inter hist. Prof. Lat. Nro. 487. hæc ad d. 29. Dec. an. 1495. diserte notat. *Eodem d. de commissione D. Thesaurarii*, (erat is Episc. Quinque-Eccles.) *manibus M. Pauli Sartoris D. Thesaurarii — dati sunt fl.* 17.

vocavit, cumque per iter intellexiſſet, Turcas Tartaris conjunctos, Moldavorum exemplo incitatos, vaſtata Polonia, fere centum Chriſtianorum millia in captivitatem abduxiſſe, veritus, ne fratris cauſa, ſibi etiam a Turcis moleſtia conficeretur, ut primum Budam redierat, Legatum ad Bajazetem miſit. Mandatorum hæc ſumma erat, quæ Legati curæ, & fidei credidit. *a*) 1497.

Ante omnia, ut regiæ dignitatis ſemper memor, cum ei aditus ad Bajazetem patuerit, primum de violatis per Alibegi filium induciis, qui nuper mercatores Belgradenſes necari juſſerit, & caſtrum *Comothin* in Bosnia vi occuparit, libere, graviterque queratur; hæc ſe hactenus amicitiæ cauſa diſsimulaſſe, licet Chriſtiani Principes operam dederint, ut vires ſuas iis contra Turcas conjungat, potiorem ſibi tamen fuiſſe induciarum fidem, quibus regno, & ditionibus eidem adnexis, conſultum voluerit. Præterea, non ignorare Bajazetem, Poloniam jure primogenituræ, ad ſe magis, quam fratrem Albertum, cui eam volens ceſſerit, pertinere, proin damna hujus ſua itidem eſſe, cupereque, ut a vaſtanda Polonia deinceps ſuos abſtineat, ceteroquin facile ſe effecturum, ut cum ipſe, tum

a) Miechow l. 4. c. 75. Cromerus l. 30. Inſtructio Legati apud Pray, P. IV. pag. 274. ſed non rite ad an. 1496. locata.

tum ceteri Principes Christiani, salva induciarum fide, fratri auxilio sint futuri: qui si nu-
1497. per in Moldaviam hostiliter ingressus est, eam injuriam non tam Bajazeti, quam regi Hungariæ illatam esse, ad quam Moldavia vetusto jure, & trium fere seculorum usu pertineret. *a*) Quibus ordine expositis, petet deinde, quæ induciarum tempore a Turcis occupata erant, Hungaris restitui, captivos quoque, quos ex Carinthia, aliisque ditionibus regis Romanorum abduxissent, quod has per regis provincias contra pacis conventionem invasissent, in libertatem vindicari, nec Oratores Hungaros, quos Constantinopolim deinceps mitti contigerit, captivorum more, ut ante, haberi. Sub hæc, captata opportunitate, rursus induciarum, &, quæ his debetur, fidei, mentionem, tamquam aliud agens, injiciet, agetque diligenter, ut his non solum Polonia, & Lithuania; sed Cæsaris quoque ditiones comprehendantur, si in postremo hoc concedendo obstinatum videret, id certe operam dabit, ne ditiones illius, per regis terras posthac infestentur; denique illud præprimis efficere conabitur, ut Polonia, & Lithuania iisdem, quibus Hungaria, induciis frui possit, nec sinet illis tributum imponi, alioquin regem ita

a) Recole, quæ Tom. I. ad an. 1227. sub Andrea II. de jure in Moldaviam dicta sunt.

ita obfirmatum declarabit, ut extrema malit experiri, quam indecore pati, ut fratris sui, 1497. aliorumque Christianorum Principum ditiones, cum quibus illi fœderum conjunctio est, per induciarum simulationem, periculo objiciantur.

Hæc Legationis ad Bajazetem, nullo tamen fructu susceptæ, capita erant. Tartari 1498. enim cum Turcis rursus sequentis anni hyeme Poloniam, prædas acturi, sed non ea, qua prius, fortuna ingressi sunt, quod plerique eorum, aeris inclementia, annonæ, & pabuli defectu interierint, pauci, qui in Moldaviam, evaserant, cum Polonos habitu mentirentur, a Valachis trucidati sunt. Ferunt, quadraginta millia absumta fuisse. *a*) Tantam jacturam, cum vix credibile videretur, Bajazetem impune laturum, Wladislaus in omnem belli eventum necessarios apparatus occupare volens, Comitia ad XXIV. Aprilis Budam indixit. In his certus copiarum numerus, quæ *Banderii b*) nomine solent venire, constitutus. Erat autem horum ratio tam sacræ, quam profanæ reipublicæ viris hæc definita: ut Archiepiscopus Strigoniensis, & Agriensis Episcopus, duo, quodvis quadringentos equites complexum, ceteri unum,

aut

---

a) Sarviczius in append. ad Dlugossum Tom. II. col. 1189.

b) Conf. Notit. prævi. §. 23.

aut hujus dimidium, vel pauciores equites, 1498. pro redituum ſuorum ratione, in bellum educant. Rex mille equites ſub ſignis habebit, totidem Deſpota Serviæ, Vajvoda autem Tranſsilvanus, Banus item Croatiæ, Siculor., & Temeſienſis, Comites octingentos, reliquis Optimatibus, ſecundum majorem, minoremve colonorum copiam, militia imperata. Illud nove additum: ut, quoniam deinceps tam Prælati, quam Barones, aliique, qui jure *Banderii* ſtringuntur, ſtipendiarios ex ſuis colonis alere debeant, hi, ſi regni neceſsitas poſcat, etiam ultra hujus limites, cum regiis ſtipendiariis, militiam profiteantur. Conſtitutum præterea, ne limitibus regni tuendis præfecti, ſi arces deſidia ſua amitterent, impunes ſint. Cura hæc Palatino, & Judici Curiæ mandata, qui omni anno ſemel, iterumque alternis quosdam ex ſuis familiaribus mittent, qui, quo in ſtatu arces, an præſidiariis, annona, reliquoque apparatu neceſſario proviſæ ſint, explorabunt, ſed inſciis Præfectis, ne ullus corruptioni locus detur, &, ſi hos mala fide egiſſe compererint, capite, & bonis mulctentur. *a*) Hæc bello, ſi quod a Bajazete ingrueret, arcendo comparata. Nec Poloni, ſuo periculo docti, ſegniores, miſſa Legatione ad Friburgenſem conventum, auxilia ab Imperialibus contra Tur-

---

a) Cod. jur. patr. Tom. I. pag. 292.

Turcas folicitabant. Promiffa quidem erant, mandatumque Archiepifcopo Magdeburgenfi, 1498. Saxoniæ, & Pomeraniæ Ducibus, ut Polonis, ingruente a Turcis periculo, adeffent, fed dum hi moras nectunt, nec appareret, tempori affuturos, Albertus interventu Wladislai, fœdus cum Moldavo contra Bajazetem pepigit, quod fequente anno rurfus Cracoviæ, XIV. Aprilis, his conditionibus inftauratum eft: fi Hungariæ & Poloniæ reges 1499. bellum commune Turcis moverent, Vajvoda quoque focium fe eis adjunget; fi reges ipfi, & non Legati illorum, copiis præfuerint, ipfe etiam fuas in hoftem ducet, & nequaquam Legato fuo ducendas committet: quod fi contingeret, illum provincia fua ab hofte exigi, & is feu in Hungariam, feu Poloniam, fecuritatis caufa vellet concedere, tum ei, uxori, prolibus, &, quos fecum habuerit, Proceribus, tutum, & dignitati conveniens hofpitium, reges præbebunt, illumque contra Turcarum infeftationes tuebuntur. a) Confecto fœdere, reliquum anni tempus, comparandis ad bellum rebus neceffariis datum, in cujus exitu Stephanus Zapolya Palatinus, extremum diem clau-

a) Freherus Tom. II. fcript. Germ. pag. 235. apud Pray l. cit. 289. Raynald. ad an. 1498. Dogiel, Tom. I. pag 603. Sommersberg Mantifs. diplom. pag. 84.

1499. claufit, a Mathia rege, qui ad comprimendam Magnatum arrogantiam, crebro equeftris ordinis viros illis præferre folebat, e tenui fortuna ad fupremum honoris, ut memoravi, faftigium, & opulentiam evectus. Reliquit ex Hedvige, Ducis Tefsinenfis filia, liberos, Joannem, Georgium, & Barbaram, quæ poftea Sigismundo Poloniæ Regi nupta, magnum pondus inteftinæ factioni adjecit, ut frater illius, Joannes Zapolya, ad Hungariæ folium eluctaretur.

1500. VII. Ceterum, Bajazetis apparatus, quorum caufa Hungariæ, & Poloniæ reges cum Moldavo focietatem armorum inierant, alio, quam ad Hungariam, vel Poloniam, fpectabant. Cum enim bellum in continenti gefturus videretur, improvifo claffem Aegeo, Jonioque mari immifit, & Methone, Corona, Dyrrachio, omnique fere Peloponefo in poteftatem redacta, Italiæ incubiturus metuebatur. Tam celeres hoftis progrefsiones, Pontificem permoverant, ut cum Ludovico Galliæ, & Ferdinando Hifpaniæ regibus, Venetis item, ac Rhodiis, & quæ adhuc a jugo Turcico immunes erant, archipelagi infulis, commune fœdus contra Turcas iniret, ad quod Wladislaus quoque, oblatis Sacerdotiorum per Hungariam decimis, vocatus erat. Hærebat primum, licet fumtus in bellum clam, ne indicium ad Turcas perveniret, regiis urbibus imperarit, mox tamen, hortatu Rhe-

gi-

gini Cardinalis, qui quadraginta aureorum millia quotannis Regi pendenda, nomine Pontificis, pollicitus erat, ipse quoque fœderi accessit, missoque ad Venetos, & in Galliam, Petancio Segniensi Cancellario, de belli rationibus cum Rege, & Venetis consultabat, quas a reditu suo, in hunc modum constitutas fuisse, retulit: ut Wladislaus, dum Galli, Hispani, Veneti, & Rhodii, mare infestum servabunt, terrestri itinere, cum Hungaris, &, quas Pontifex missurus esset, cruce signatorum copiis, hostem aggrederetur. Petancio præterea Rex in mandatis dederat, ut de affinitate inter se, & Regem Galliæ concilianda ageret. Ludovicus facile assensus est, & Annam de Candale, vetusta Navarræ regum stirpe ortam, Regi destinavit, *a*) qui, ut primum id ex Petancio intellexit, confestim Oratores, qui pacta dotalitia constituerent, sponsamque in Hungariam deducerent, in Gal- 1501.

a) Cujus familiæ fuerit, scriptores dissentiunt, ex regia ortam esse, Wladislaus ad Cæsarem an. 1502. fer. 4. prox. post fest. Pentecost. scribens, affirmat. *Audivisse jam, & intellexisse M. V. minime ambigimus, nos cum Christianiss. Francorum Rege certam affinitatem iniisse, — nobisque sereniss. Virginem, & Dominam Annam de Candale, ex regia vetusta stirpe, & familia originem trahentem, in conjugem, Deo aspirante, conjunxisse* &c.

Galliam misit. Hos nuptiarum apparatus mors
1501. Alberti fratris tantisper interrupit, Polonis partim in Wladislaum, partim, præterito Alexandro, in Sigismundum natu minorem inclinantibus, potior tamen, consentiente Wladislao, eorum pars fuit, qui jure geniturae Alexandrum Sigismundo præterendum judicabant. *a*)

Pacato familiæ regiæ dissidio, temere col-
1502. lecta Turcarum manus, Jaiczæ imminebat, actisque spoliis, Savum parabat transmittere, cum Joannes Corvinus cum suis accelerans, prædæ intentos magna clade affecit, simulque Bulgariam ingressus, Vidino, Cladova, & Nicopoli, igne corruptis, vastataque ea, quam Turcæ insederant, Serviæ parte, ingentem prædam, & captivos ducens, Belgradum rediit. Turcæ venumdati, reliquis ea Temesiensis provinciæ plaga, quam hostes crebris incursionibus vastam reddiderant, ad colendum data. Verum hi postea, ut est nationis illius genius, agriculturæ mercatum prætulere, suntque hodiedum fere soli in Hungaria, qui se huic, magna fortunarum suarum accessione, dedunt, aliis emolumenta sua aut ignorantibus, aut fastidiose spernentibus. *b*)

In-

a) Raynaldus ad an. 1500. & 1501. Cromerus l. 30. Sommersberg. scriptor. rer. Siles. pag. 373.

b) Istvanfi l. 4.

Interea, cum Rex certior ab Oratoribus, in Galliam missis, redditus esset, sponsam, rebus ex sententia confectis, in Hungariam proxime adducendam esse, datis ad Cæsarem litteris, ut, si illam per ditiones Austriacas venire contingeret, ei tutus, liberque commeatus daretur, orabat, a) verum illa per Allobroges iter capessens, ad Venetos delata, & regio more ab his accepta, Budam veniens, inde Albam ducta, ritu sollenni X. Augusti coronata, & regi ex more Ecclesiæ conjuncta fuit. Nuptiæ, quas, prisca consuetudine, universi per regnum donis cohonestare solebant, regio splendore, non ea tamen, qua Mathiæ, pompa, & prodigalitate celebratæ sunt. b) 1502.

Ll 3 Ma-

a) Litt. cit. an. 1502. ad Cæs. *Si forte eidem serenissimæ — per terras, & dominia M. V. venire, & proficisci contingeret, velit ipsa M. V. pro eadem, proque universa comitiva, & familia sua, oratoribusque nostris, secum existentibus, plenum, & sufficientem, salvum & securum conductum — dare, & concedere.*

b) Pray, Hierarch. Hung. P. I. pag. 289 Litt. regis ad Bartphen. fer. 4. prox. post fest. B. Lucæ Evang. 1502. *Non fugit vos, ex veteri hujus regni consuetudine id esse, ut ad celebrationem nuptiarum, universi regnicolæ, aliquo subsidio ipsis regibus subvenire soleant,* &c.

Quid

Matrimonium ſatis auſpicato initum fuiſ-
1503. ſe, ſequens annus declaravit, cum ei conjux XXIII. Junii cognominem filiam enixa eſt, quæ ut patrem lætitia affecerat, ita factioni illorum, qui parti regiæ clam infenſi erant, & miras, ſi Rex improlis decederet, ſpes fovebant, minus grata fuit. a) Sub hæc mors Alexandri Pontificis, commune fœdus contra Turcas inter Principes Chriſtianos nuper percuſſum, diſſolvit. Veneti, Corona, & Methone amiſsis, veriti, ne deteriora pati cogerentur, primi inducias cum Turcis iniere, duris quidem conditionibus, ſed temporis neceſſitati accommodatis, præter enim nuper amiſſa, etiam Neritus inſula, ut liberam navigationem per Pontum retinerent, hoſti dedenda fuit. Honeſtiori ratione Wladislaus cum iis transegit, ad quem cum Bajazetes, ob diſcordiam inter filios exortam, oratores, induciarum cauſa, miſiſſet, has in ſeptennium, generatim pro ſe, & univerſis Principibus Chriſtianis, tum, ut ſpeciatim Hungaria, Bohemia, cum Moravia & Sileſia iis comprehendantur, prorogavit, idque poſtea, quam li-

---

Quid Siculi in Tranſsilvania, tempore nuptiarum regibus offerre conſueverint, vide Notit. prævi. §. 24. Conf. etiam Pray Diſſert. VI. in annal. veter. pag. 124. 125.

a) Dubravius, qui Regi a ſecretis erat, hiſt. Boh. l. 32.

litem cum fratre suo Poloniæ Rege, Moldaviæ causa, composuisset, ad Galliæ Regem, & Chienses, fœderis socios, perscripsit. a) 1503.

Dissidio autem, quod Regi, Moldaviæ causa, cum fratre erat, Stephanus provinciæ Vajvoda occasionem præbuit, qui terram *Sepinensem* cum arce *Choczym*, quas Elias Vajvoda olim Moldaviæ, Polonis cesserat, b) iis rursum eripuit. Violentum facinus Rex Poloniæ, qui jus suum lædi existimabat, graviter tulit, jamque armis etiam ulcisci parabat, cum Wladislaus jure suo in clientem usus, Stephano Telegdio, Francisco Balassa, & Emerico Czoborio, ad fratrem, & Vajvodam missis, dissidium ita temperavit, ut, quæ frater sibi erepta, & Vajvoda sui juris esse, contendebant, tamdiu neutrius, & in potestate Regis essent, donec, cognita uberius causa, lis secundum æquitatem dirimi possit. c)

a) Sabellicus Eneade XI. l. 2. Litt. regis dat. Bud. 20. Aug. item 26. Dec. apud Pray, P. IV. pag. 305.

b) Nempe an. 1447. ut habet Dogiel diplom. Pol. Tom. I. pag. 601. ubi præterea *Czeninum*, & *Chmielovia*, censentur.

c) Litt. regis ad fratrem Alexandrum Pol. Regem, & suos Legatos, dat. Bud. in fest. S. Galli, 1503. apud Pray, Differt. VII. in annal. vet. pag. 148. & seq.

1504. Induciis cum Bajazete confectis, & lite inter fratrem, & Vajvodam compoſita, conventus ad VIII. Calendas Maji, univerſis indictus eſt. Cauſa illius convocandi eadem, quæ prius, erat, ut, quæ in prioribus Comitiis imperfecta erant relicta, rurſus cognoſcerentur, *a*) cognitaque, vim legis a Regia auctoritate obtinerent. Tria præcipue ſunt, quæ ad pernoſcendum temporis illius habitum, inprimis pertinere videntur. Primum attinet ad ſubſidia, quæ Regi ad levandas neceſsitates publicas offerri alias ſolebant. Cum plures Comitatus fuerint, qui ſuopte, & extra generalem regni conventum, ſubſidia, & contributionem, tametſi hæc ob contrarias deliberantium ſententias in Comitiis nondum decreta eſſent, domum tamen reverſi, dum his opus eſſe putabant, Regi offerre conſueverint, invidiæ primum apud reliquos Comitatus, quaſi boni publici ceteris minus ſtudioſi eſſent, tum ſimultati etiam occaſionem dedere, ut ſæpe parum abfuerit, quin in apertas ſeditiones prorumperent. Quare, ut his malis deinceps modus ponatur, ſtatutum eſt, ut, ſi tam grave regno periculum immineret; ut huic aliter, niſi convocato generali conventu, non poſſet conſuli, tum primum communi Prælatorum, Baronum, & Nobilium conſenſu, ſub-

a) Eadem cauſa redditur, Decret. an. 1495. præfat. §. 3. & an. 1498. §. 6. rurſus an. 1500. §. 4.

ſubſidia Regi decernantur, qui ſecus facerent, non ſolum perjuri, & amiſſo honore, a reliquo Nobilium cœtu excluſi habeantur, ſed in futuris quoque Comitiis, niſi legitimo teſtimonio, innocentes comperti fuerint, diminutionem rerum, & bonorum ſubirent. *a)* 1504.

Alterum ad militiam: de hac ſexennio ante, ſanctio in hunc modum condita erat; ut univerſim, Prælatorum, Baronum, aliorumque regnicolarum ſtipendiarii, ſi regni neceſsitas poſceret, regiis ſtipendiariis conjuncti, militiam etiam extra limites regni profiteantur, nunc contra, ſi bellum regno ingrueret, & Rex illud cum ſuis ſtipendiariis tueri non poſſet, tum Archi-Eiſcopi, Epiſcopi, aliique Eccleſiaſtici, qui, ſecundum rationes proventuum, ſtipendiarios alunt, vel decimas percipiunt, Regi cum ſuis auxilio adſint, ſi neque hi junctim, hoſti propulſando pares fuerint, tum primum Barones, ceterique regnicolæ, ad ſigna concurrant. *b)* Belli igitur onus, quod alias omnibus, qui beneficio regum bona obtinuerant, commune fuit, nunc Regi, & Ordini Eccleſiaſtico ferendum erat.

Tertium denique ad Sileſiam, Moraviam, & Luſatiam pertinebat, de quibus Ordines, utrum ab his juramentum fidelitatis, Hungariæ, an Bohemiæ, Regis nomine, acceperit, cer-

a) Decret. hujus an. artic. 1. §. 1. — 7.

b) Decret. an. 1489. art. 17.

certiores fieri cupiebant, neque enim ſine ma-
1504. gno regni damno fieri poſſe, ut tam inſignes provinciæ, non depenſo ſecundum pacta conventa, precio a) ab Hungaria avellantur. b) Quo animo id rex acceperit, certioresne, an contra, Ordines, exaratis, ut petebatur, litteris, reddiderit, non habeo, quod in utramvis partem affirmare poſsim, illud conſtat, ſoluto conventu, Sigismundum fratrem, collato eidem Glogovienſi Ducatu, univerſæ Sileſiæ præfectum a Rege fuiſse. c)

VIII. Cum id multis ſuſpicionem ingeſſe-
1505. rit, quaſi Rex Ordinum precibus parum deferre vellet, ſimultas utrinque ſenſim orta, occaſionem præbuit, ut ſequente anno, frequentiores regni Conventus haberentur. Primum quidem Peſtini ad diem XXII. Februarii, d) ſerius poſtea in Sclavonia, ſub quod tempus Joannes Corvinus obiit, e) cujus bona ſecundum

a) Recole, quæ ſub Mathia ad an. 1479. & ſub Wladislao ad an. 1490. memorata ſunt.

b) Decr. hujus an. art. 20. & 21.

c) Sommersberg, ſcript. rerum Sileſ. pag. 381.

d) Litt. regis an. 1505. *quod nobis in præſenti congregatione generali — pro feſto cathedræ B. Petri Apoſt. in civitate noſtra Peſtien. de noſtro regio edicto celebrata &c.*

e) Litt. ejusd. fer. 4. prox. feſt. B. Ambroſii, ad Bernard. de Thurocz: *his diebus cum Illu-*

dum pacta, quæ Rex in aditu regni firmaverat, in Fiſcum, magno ærarii regis commodo, redacta ſunt. Ejus vidua Frangepanici generis, ætate, & fortunæ bonis florens, Georgio Brandenburgico, regis ex ſorore nepoti, poſtea matrimonio juncta fuit, qui, ut erat luxui ſupra modum deditus, opulentiſsimam conjugis hæreditatem, duobus ex ea relictis liberis, decoxit. *a)* 1505.

Alia rurſus Comitia ad III. Calendas Octobris, eam præcipue ob cauſam, indicta erant, ut, quod tot Comitiis celebratis, hactenus impetrari non poterat, quies regno tandem reſtituatur. *b)* Plerique enim antea cum armis comparere ſoliti ad conventus, libertatem ſuffragantium interturbare conſueverant, ut nihil facile, quod ſpem ſtabilis, &

luſtr. condam Joannes Corvinus Dux, &, Banus noſter ab hac luce deceſsiſſet &c.

a) Cum hoc, documenta litteraria familiarum Hunyadianæ, Garayanæ, Zrinianæ, & Frangepaniæ ad archivum Anſpachinum venere, ſub Joſepho II. Imp. primum reſtituta.

b) Hanc cauſam ipſe Rex fer. 4. prox poſt. feſt. B. Jacobi Apoſt. ad Bartphens. perſcripſit: *quo jam tandem tot, & tam frequentibus Congregationibus, — finis, aut ſaltem aliqua ſuſpenſio, & vacantia dari poſsit, & regnum hoc, conſequenterque vos omnes in bona pace reponi poſsitis &c.*

& folidæ tranquillitatis præberet, decerni
1505. poffet, eoque prætereа jam fimultates, inter Ecclefiafticos, qui fibi folis belli onus cum rege ferendum, haud fatis æquum putabant, & reliquos regni Ordines excreverant, ut hi illis decimas negare, &, quæ ad Ecclefias pertinebant, rapere, nihil penfi haberent. *a*) His igitur malis ut confuleretur, Rex, qui fæpe, & alieno tempore, nimium connivendo, auctoritatem fuam fere prodegerat, Comitia Peftinum indixit.

Promiferat Rex Pontifici, fe in his operam daturum, ut dos, quam Mathias, nuptiarum caufa, Beatrici conftituerat, eidem reftituatur, nihil tamen promovere poterat, *a*) quod, qui ad conventum publicæ tranquillitatis cau-

a) Litt. Pontif. 23. Aug. ad regem: *percepimus, quod — Proceres, Barones, Nobiles, ac demum omnis fere multitudo laicorum iftius regni Hung. decimas Ecclefiafticis non reddendo, rapiendoque, quæ ad Ecclefias pertinent, & Clerum ipfum apertis jam minis perfequendo, omni conatu diminutionem, imo verius oppreffionem Ecclefiaftici ftatus in eodem regno tuo magis in dies moliuntur &c.*

b) Ejusd. ad eund. 22. Aug. *refpondit majeftas tua caufam hanc reftitutionis non tam ad fe, quam Proceres, & Optimates pertinere, curaturum tamen, ut his coram in futura Dieta proponeretur, &c.*

caufa convenere, facta fecefsione, fpreta pactorum, quæ primum inter Fridericum Cæfarem, & Mathiam, poftea inter Maximilianum, & Wladislaum coaluerant, fide, decretum conderent, fe, fi Rex fine hærede mare obiret, nullum exteræ nationis, fed Hungarum regem electuros effe, addita atroci comminatione, ut, fi qui adverfus hanc conftitutionem aliquid moliri auderent, perpetuæ fervituti addicerentur. *a*) Id, velut pomum Eridis inter Proceres, tam facri, quam profani Ordinis jactum, perpetuis deinde factionibus regnum involvit. Fuere tamen ex his ipfis decreti conditoribus, qui cum viderent, plures ex Hungaris futuros, qui fe regio folio dignos exiftimare poffent, itaque parum hac conftitutione quieti publicæ in pofterum confuli, feorfim, auctore Cardinale Thoma Bakaczio, Strigonienfi Archiepifcopo, focietatem inierant, ad quam præter Palatinum Emericum de Perén, ipfe etiam Joannes Zapolya, & Dux Laurentius de Ujlak, ut invidiam, uterque enim fe præ ceteris,

1505.

a) Decret. exftat apud Pray Par. IV. pag. 313. Præcipua caufa inde petebatur, quod regnum fub exteris regibus femper periculo expofitum fuerit & provinciæ regno conjunctæ, eorum focordia fenfim amiffæ effent. Si quis gefta regum I. II. & III. Periodi inter fe contulerit, facile caufas regni a priftino fplendore defluentis, & diminuti, deteget.

teris, eligendum ſperare poterat, a ſe aver-
1505. terent, aliique acceſſere, dataque, & acce-
pta mutuo ſtipulatione, ſe non modo vicisſim contra quemvis adverſarium defenſuros, ſed fidem regi, & reginæ intemeratam ſervaturos, & quæ in utriusque commodum, utilitatem, honoremque facere videbuntur, procuraturos, quin voluntati, & deſiderio eorum ſemper, & ubique, ſalvis regni immunitatibus, morem geſturos, ac ceteros regnicolas in hanc ſententiam pertracturos, polliciti ſunt. *a*)

Quæ cauſa hujus ſubitanei receſſus a re-
1506. liquis fuerit, incertum eſt, videtur tamen, ſi Iſtvanfio, ut eventu poſtea firmatum eſt, fidem habemus, omnis molitio Joannem Zapolya, ut ei aditus ad regnum ſenſim paretur, ſpectaſſe, *b*) quin ea quoque conſilia fuiſſe agitata, ut Anna regis filia, nondum trimula, Zapolyæ deſponderetur, memoriæ eſt proditum. *c*) Wladislaus, etſi hæc ſolita indolentia ferre videretur, Reginæ tamen, quæ digniores filiæ nuptias optabat, hortatu, ut has molitiones contrario ſtudio elideret, incitatus, cum Maximiliano per nuncios egit, ut Anna Ferdinando, ejus nepoti, aut hac decedente, altera filia naſcitura, deſponderetur, ſi autem

---

a) Dat. Budæ die Dominico prox. poſt feſt. B. Dionyſii ep. & M. 1505. Sigillis 8. munitum.

b) Iſtvanſi l. 4.

c) Gerard. de Roo l. 12.

autem Regina, quæ uterum ferebat, filium pareret, huic Maria Ferdinandi foror in manus conveniret, Maximilianus autem, fi regem præmori contingat, filiæ, & alterius, quam conjux editura effet, prolis, curam, & tutelam fufciperet. Pacta conventionis a Maximiliano Neoftadii, XX. Martii, & feptimo poft die, ac fequenti Budæ a Rege, & Regina, rata habita funt. *a*) Ut clam plerisque hæc acta funt, ita Maximiliano quoque nihil prius de decreto, quo a fuccefsione excludebatur, conftitit, quam id ei, apud Tyrolenfes commoranti, Rex fignificaffet. *b*) Quo comperto, reditum ex Tyroli maturavit, graviterque per litteras, de injuria fibi, fuisque pofteris illata, queftus, *c*) militiam interim, do- 1506.

---

a) Auctar. diplom. ad hift. Urfini Velii, pag. 324. ex Tab. Aug. Viennen.

b) Id patet ex refponfo Cæf. ad Regem: *nos proxima fcripta ferenitatis veftræ, factum, feu negotium debiti, quo nobis corona regni Hung. ratione tractatus Pofonii conclufi obligatur, tangentia intelleximus, &c. Dat. Wyschberg*, 1. *d. Maji*, 1506.

c) Ejusd. litt. ad eund. *intelligat ferenitas veftra, nos — eandem avizafse de injuria nobis per aliquot ex regno Hung. capita feditionis, contra nos, & fucceffores noftros, in proximo conventu, feu Rakos, illata, quam absque remedio* pra-

donec adeſſet, finibus Hungariæ admoveri
1506. juſsit, quæ cum injuſſu Præfectorum prædas ageret, nec ab Eccleſiis violandis ſibi temperaret, Rex autem hæc impune fieri pateretur, Optimates hac deſidia offenſi, Albam, ut ingruenti periculo mature occurrerent, coivere, regemque, ut Maximilianum per Hungariam, Bohemiam, Moraviam, hoſtem rei publicæ declararet, coegerunt. a)

Qua denunciatione nec ſuos penitus pacaſſe videbatur, nec Cæſarem, qui jam ad caſtrum ferreum armatus conſtiterat, ab ulteriori progreſsione, licet ei copias oppoſuerit, retenturus erat, niſi Regina ipſis calendis Junii, filium Ludovicum enixa, ſpem conciliationis præbuiſſet. Vicina partui, ne de ſuppoſititio fœtu, id enim in vulgus ſparſum erat, ſuſpicio oriretur, aliquem ex Optimatibus, Zapolyam fuiſſe ferunt, adeſſe voluit, ſed nimia hæc, & pudori noxia ſolicitudo, matri aliquamdiu poſt, quam partu levata fuiſſet, mor-

præterire nullatenus poſſumus, &c. dat. in oppido noſtro Leuben, d. 5. *Maji* 1506.

a) Ejusd. ad eund. *cum videamus, eos coegiſſe ſerenitatem veſtram, ut per publica edicta ſua nos in regnis Hung. & Boh. & in provincia Moraviæ. hoſtem ſuum promulgari fecerit, &c. Dat. in oppido noſtro ferreæ civitatis d.* 11. *Jun.* 1506.

mortem confcivit. *a*) Infanti Medicorum ope cutis inducta eft, & Rex amiffæ conjugis, & immaturi fœtus caufa, gemino dolore oppreffus, negotium de pace cum Maximiliano tractandi, regni Ordinibus commifit. Delecti igitur funt, cum regis, tum regni nomine, Oratores, *b*) iis mandatis inftructi, ut, quidquid transacturi efsent, Rex, regnumque ratum haberent. Maximilianus, qui ob natum recens Hungariæ hæredem, nihil caufæ habuit, cur jus fuum in regnum porro perfequatur, & æqua poftulantibus negaret, his conditionibus amicitiam cum Rege inftauravit: uterque militem a limitibus confeftim deducat, injuriæ illatæ univerfim oblitterentur, nec, qui Cæfari adhæfiffent, præfertim vero Joannes de Frangepanibus, Joannes item de Corbavia, & Joannes de Kanyfa, ex urbibus autem, Pofonium & Sopronium, id eis fraudi vertatur, damnove fit; quæ nunc ob temporis brevitatem expediri fatis non poffunt, de iis poft Cæfaris Roma reditum, arbitri utrin- 1506.

a) Joan. Michael Brutus hift. Ms. rer. Hung. apud Pray, l. cit. pag. 322.

b) Erant hi Greg. de Frangepanibus, Colocen. Archiep. Georg. Szakmary Epifc. Quinque-Eccles. & Hung. Cancellar. Petrus C. de S. Georg. Vajvoda Tranfsilv. & Moyfes Buzlay, Magifter Curiæ regiæ.

utrinque constituendi, deliberabunt, jura de-
1507. nique Domus Austriacæ in Hungariam, si nullus hæres legitimo thoro editus superfuerit, salva, integraque maneant, nec censeantur hac pacificatione antiquata esse. Conditiones Maximilianus, & Oratores Viennæ XIX. Julii, rex vero Budæ, V. Augusti, subscripsere. *a)* Hac ratione constitutioni de non eligendo Rege extero, præcipui illius conditores, regni totius nomine, derogarunt.

IX. Non minimam partem in conficiendo fœdere, Cuspinianus Maximiliani Consiliarius, & Joannes, olim episcopus Varadiensis, nunc institutum divi Francisci amplexus, quem Cuspiniano Buda Viennam redituro socium Rex adjunxerat, habuere. Depulso hac parte belli metu, Rex nihilominus, ob amissam conjugem luctu tabescebat, curamque rei publicæ negligentius, quam par erat, gerere videbatur. Id in causa fuit, cur in conventu XXIV. Aprilis habito, ei, præter solitos Consiliarios, etiam Assessores adderentur, quibus insciis, si quid statueret, faceretque, irritum esset. *b)* Vetus quoque, & a Mathiæ tempori-

a) Auctar. diplom. ad hist. Velii, pag. 266. — 275. apud Pray P. IV. pag. 320. — 325.

b) Decr. art. 5. Regisne, an privata auc oritate conventus hic fuerit habitus, non est satis compertum. Deest enim, quæ in aliis Decretis re-

ribus, de restitutione bonorum, quae vi ablata essent, saepe repetita, & nunc iterum suscitata querela, tandem in legem relata est, cautumque, ut qui judicum sententia convictus, nollet bonis decedere, is ad ea possessori legitimo reddenda armis compellatur, si vero aliqui temerario ausu huic auxilio venirent, illorum bona armorum supremi Praefecti, erant hi, Palatinus, & Joannes Zapolya, occupent, sibique, ob impensum laborem, in perpetuum vendicent. *a*) 1507.

Haec inter Legati a Sigismundo, qui fratri Alexandro ante biennium successerat, ex Polonia Budam, conciliandi foederis causa, venere. Fluxa Vajvodae Moldavi fides Sigismundum non minus, quam Wladislaum, solicitos habuit, ne si is aperte ad Turcas deficeret, Hungariae, & Poloniae periculum acМ m 2 cer-

regiis accurate servata est, praefatio, in qua plerumque causae redduntur, cur regni ordines convocati fuerint, deest etiam magistratuum subscriptio, quae in aliis Decretis constanter usurpatur, nec videtur credibile, regem fuisse passurum, ut potestas sua in modum fere pupillorum constringatur. Haec intra conjecturam.

a) Cur Zapolya, Palatino, qui vetere instituto supremus armorum Praefectus est, consors, nulla adhuc re militiae patrata, additus sit, nemo prodidit. Forte causa ex rebus deinde dicendis patebit.

cersatur. E re igitur utriusque visum, ut
1507. Vajvodam quoque in fœderis partem vocarent. Prius tamen, quo is animo esset, explorandum uterque censuerunt, monitusque est Vajvoda Transsilvaniæ, ageret per nuncios cum Moldavo, ut is quoque Legatum suum Budam mittat, cum quo de ineundis conditionibus transigi possit. *a*) Morem gessit, &, ut primum Legatus aderat, fœdus in hæc pacta coaluit: inter utrumque regem, & regna, perpetua sit amicitia, & armorum contra quemvis hostem societas; si bellum Turcis obmovendum esset, id petitis a Pontifice, & ceteris Principibus Christianorum auxiliis, communi consilio, & viribus geratur: de Moldavia, quæ crebro dissidiis inter Hungaros, & Polonos occasionem dederat, ita conventum: ut, quamdiu ex utroque rege filii superstites fuerint, Moldavia ad Hungariam pertineat, interea autem utrique rationem inibunt, ne, nullo utrinque relicto hærede, Hungari, provinciæ illius causa, cum Polonis bello implicentur. Moldavus, si Turcæ aut Tartari, alterutrius regnum invaderent, auxilio erit, reges vicissim illum contra illos tuebuntur, quibus Moldavia exactis, Poloni militem domum deducent: ere-

ptæ

a) Litt. regis ad Petrum C. de Bozyn, Judicem Curiæ, & Vajvodam Transsilv. Buda, fer. 3. prox. ante Cosmæ & Damiani, 1507.

ptæ hosti ditiones, illius erunt, cujus antea fuere, quæ denuo occupari contigerit, ex 1507. æquo dividentur. Si Bajazetes, vel Chanus Tartarorum, copias in alterutrum regem ducerent, ipsi etiam per se, non per Legatos suos, bello intererunt; neuter in alterius præjudicium, fœdus cum aliis sanciet, de controversis denique utriusque ditionum finibus, Commissarii cognoscent. a)

Rediit interea a Maximiliano Joannes, Episcopus olim Varadiensis, quem Cuspiniano, Viennam redituro, socium a rege additum memoravi, qui rebus ex sententia confectis, pacta nuptialia anno priore inita, gemini connubii sponsione firmata, retulit; quorum alterum inter Annam regis filiam, & Carolum, vel Ferdinandum, Philippi Hispaniarum regis filios; alterum inter Ludovicum, & Catharinam, Philippi posthumam, vel, si hæc præmoreretur, inter Mariam, natu majorem, Caroli, & Ferdinandi sorores, coalesceret: is, qui Annam duxerit, in Austria, Tyroli, ceterisque Principatibus Maximiliano succedet: de dote, quæ regiis prolibus digna sit, ubi justam ætatem attigerint, utrinque statuetur, dabiturque opera, ut Ferdinandus, Arragonum, & utriusque Siciliæ Rex, nepotum Maximiliani avus maternus, consensum præbeat, qui si invitus esset, vel prius obiret,

 spon-

a) Sommersberg, l. cit. Mantiss. diplomat. pag. 85.

ſponſio nihilominus de futuro matrimonio, rata, firmaque maneret. a)

1508. Hæc clam plerisque, & paucis ſolum, qui regi, & tranquillitati rei publicæ ſtudebant, in conſilium adhibitis, agebantur, cum ut tam potente, & in plures Europæ Principes diffuſa parentela, regno conſultum eſſet, tum ut regis filio tuta, & pacata ſucceſſio redderetur. Recens enim adhuc erat memoria, quibus calamitatibus, Ladislao poſthumo, & Mathia defunctis, partim inteſtina factione, partim vicinorum Principum ambitione, regnum jactatum fuerit, quibus vix aliter conſuli poſſe, quibus regni felicitas cordi erat, exiſtimabant, quam ſi vivo patre filius, regni totius conſenſu coronaretur. Horum conſiliis & ſuo etiam in filium amori, Rex obſequutus, conventum pro XXIV. Apr. Albam indixit, ut Ludovicum Ordinibus coronandum proponeret. Conſentientes omnes habuit, modo Rex publicis litteris, nomine infantis polliceretur, regni immunitates ab eo ſalvas, integrasque ſervatum iri, nec prius illi regia autoritas conceſſa cenſeatur, quam idem, ubi adoleverit, ſe ſervaturum, fidem fecerit. Illud præterea flagitatum, ne a ſuo obitu filium, Maximiliani, alteriusve exter-

ni

a) Auctar. dipl. ad hiſt. Velii, pag. 277. Dat. Bud. d. vener. 12. menſis Nov. apud Pray, l. cit. pag. 329.

ni Principis, ſed Prælatorum, ac Baronum regni, curæ, & tutelæ committat; quibus ubi 1508.
ſe ſtaturum promiſerat, *a*) profectio Albam ſuſcepta, & inauguratio, incredibili patris lætitia, pridie Nonas Junii peracta eſt. Budam redux, ſeparatam liberis aulam conſtituit, cui gubernandæ jam ante annum Joannem *Pethö de Gerſe* præfecerat, *b*) in litteris vero inſtituendos primum Stephano *Iſtvanſio*, tum Hieronymo *Balbo* tradidit. *c*)

a) Ex autogr. dat. Bud. quinto decimo die Dietæ, ſeu generalis congregationis prænotatæ. 1508.

b) Litt. regis, dat. Budæ fer. 4. prox. poſt feſt. B. Matthæi Ap. & Evang. 1507. quibus eidem arma gentilitia auxit, ubi hæc: *ad cujus quidem aurati ſolii noſtri latera, duo infantes regii, liberi videlicet noſtri ſuaviſsimi ſtare conſpiciuntur, a latere quidem dextro inclytus Dux Ludovicus, filius noſter chariſſimus, ſceptrum ſimiliter dextra regale tenens, capillulis albis, & nunc primum pullulantibus coronam, & diadema capiti impoſitum, altera corona ſimiliter imminente deſuper: a latere ſiniſtro ſtat illuſtris Anna, reginula, filia noſtra jucundiſsima, unica duntaxat corona capite redimito &c.*

c) Iſtvanſi hiſt. l. 4. & litt. Ludovici regis ad Cæſ. ſ. an. veriſimilter tamen 1516. inter ope-

ra

1508. Bohemi, qui coronationi intererant, hac peracta, regem magnopere orabant, ut regni quoque illius causa, Pragam vellet concedere, quod quamquam ille libenter se facturum diceret, ob negotia tamen cum Bajazete nondum expedita, differendum erat. Miserat jam priore anno, post confectum cum fratre, & Moldavo fœdus, Matthæum Horváth Jurisics, qui cum Bajazete ageret, ut induciis, quas secum pepigisset, etiam fratrem Sgismundum Poloniæ Regem, comprehensum esse velit, quod ille, bellorum jam pertæsus, Wladislai gratia libenter præstitit, nihilque, induciarum tempore, se in Poloniam moliturum promisit. a)

Hac

ra Hieron. Balbi, Vien. anno 1791. edita, Vol. 1. pag. 3. *Justissimis ex causis ven. Hieron. Balbum, Præposit. Posoniensem, ac Secretarium nostrum, carissimum — habemus, tum ob fidissima — obsequia, quæ per tot annorum lapsus, clariss. mem. genitori nostro præstitit, & in dies nobis exactius, officiosiusque præstare non cessat, tum quod nos ipsos etiam, carissimamque sororem nostram primis litterarum elementis erudivit, per integrumque biennium solertissimi Præceptoris munus explevit*, &c. commendat illum pro Præpositura Viennensi.

a) Litt. Bajazetis an. 1508. ex Turcico versæ: *prædictam pacem, vel treugam, amicitiam, fraterni-*

Hac cura folutus, iter in Bohemiam parabat, cum illum Ludovicus Helianus, Regis Galliæ Legatus, qui tempore coronationis Ludovici infantis, luculentam ad Ordines, temporique accommodatam orationem habuerat, acceptis a rege fuo mandatis, ut Regem in partem fœderis Cameracenfis pertraheret, aliquamdiu retinuit. Fœdus id, auctore Cæfare, contra Venetos, qui Tergeftum, & Gurcenfem Comitatum, occupaverant, conflatum fuit. Socii erant, Julius II. Pontifex, qui aliquot urbes ex ftatu Ecclefiaftico per Venetos decerptas querebatur, Ludovicus Galliæ, & Ferdinandus Siciliæ, Reges, ille in Ducatum Mediolanenfem, hic in Brundufium, & Hydruntum, celebres portus regni Neapolitani, jus prætexebant, acceffere etiam fœderi Alfonfus Dux Ferrarienfis, & Franciscus Gonzaga Mantuanus. Parum tamen id ad coercendos Venetos facere videbatur, nifi in Hungaria quoque eis hoftem pararent. Id nunc Helianus apud Wladislaum agebat. Hæfit primum, tum quod fœdere illis junctus effet, tum quod hujus caufa, certam pecuniæ fummam, quo hamo etiam Mathias olim captus 1508.

nitatem, & confœderationem, pro voluntate ferenifsimi domini regis Hung. præfentibus litteris noftris, cum prænominato ferenifsimo domino Sigismundo, Poloniæ Rege, & cum fuis dominiis, confirmamus, & corroboramus &c.

ptus erat, quotannis perciperet, *a)* poſt tamen, quam ei non dubia ſpes recuperandæ Dalmatiæ facta eſt, ipſe quoque fœderatis ſe adjunxit, *b)* iterque in Bohemiam circa finem anni ingreſſus, Tirnaviam pervenit. *c)*

X. Inde, ipſis calendis Januarii, litteras
1509. in Hungariam ſcripſit, quibus cauſas, cur cum prolibus, & Conſiliariis ſuis ad limites regni conceſſerit, & ob gravia negotia in Bohemiam profecturus eſſet, ſignificavit. *d)* Mox Bru-

a) Litt. regis anno 1502. ad Epiſcop. Zagrabiens. ejusque Capitulum, quibus de 2000. flor. quos mutuo ab illis acceperat, cavet, *verbo, fideque regiis, de pecuniis, a ſerenisſima Republica Veneta, vigore confœderationis ad feſt. S. Michaelis, deponendis.*

b) Raynaldus ad hunc annum. Tubero l. 9. §. 4. Andr. Mocenicus de bello Cameracenſi, l. 2. pag. 37. in Theſaur. antiquit. Italiæ, Grævio-Burmaniano, Tom. V. P. II.

c) Litt. Palatini ad Georg. de Kanyſa Dalm. Croat. & Sclavon. Banum: *ſcripſit Sua Majeſtas de Nagyſzombat, quod in futuro feſto Purificationis B. V. M. Pragæ conſtitui, & ibi filium ſuum, D. Ludovicum Regem, cum corona regni Boh. coronari facere vellet. Dat. in caſtro noſtro Walpo, feſt. S. Thomæ Apoſt.* 1508.

d) Balbinus epit. rer. Boh. l. 5. c. 11. Litt. regis dat. in Tirnavia in die circumciſionis Domini. 1509.

Brunam, & hinc Pragam profectus, filium XI. Martii, Friderico Brandenburgico infantem tenente, coronari fecit. Ferunt sub ipsa inauguratione fletum edidisse, quod, ut ea ætas erat, a plerisque mali ominis instar acceptum fuit. Hic commorantem Pontifex, & Cæsar, identidem concitabant, ut, quoniam socium se fœderi junxisset, bellum Venetis inferre, ne cunctaretur, confœderatos interea rem alia parte pro virili gesturos esse. Scripsit propterea ad Georgium de Kanysa. & Joannem Ernust, Dalmatiæ, & Croatiæ Banos, viderent, quo loco res Venetæ in Dalmatia essent, rationemque secum inirent, qua, si bellum gerendum sit, recuperari posit, se idcirco Emericum Czobor mittere, qui mentem suam eis apertius esset declaraturus. Dubium non est, nunquam alias tam opportunam recuperandæ Dalmatiæ occasionem Hungariæ oblatam fuisse, si Regi optime animato, & volenti Mathiæ errorem corrigere, vel optimates, quibus cura faciendi apparatus mandata erat, operam suam diligentius locassent, vel Pontifex, & Cæsar, præcipui auctores fœderis, 1509.

1509. Ejusd. dat. Pragæ, fer. 4. prox. ante fest. S. Margaritæ V & M. eod. anno apud Pray. P. IV. pag. 336. Ejusd. dat. in civitate Broda Hungaricali, in die conceptionis V. M. 1510. Pessina l. 7. c. 6. Goldastus de regno Boh. Tom. II. in additament. N. 72. pag. 319.

ris, de classe, sine qua frustra omnis de re-
1509. cuperanda Dalmatia, cogitatio erat, mari
Adriatico immittenda, soliciti fuissent, vel de-
nique ipsi confœderati constantiori fide Cæsa-
ri adhæsissent, sed postquam Pontifex clam
cum Venetis de pace cœpit agere, & Rex
Galliæ, Brescia, Bergamo, Crema, aliis-
que urbibus occupatis, præcipuam militiæ
partem, domum deduxit, nihil mirum est,
si non is, quem spe plerique præceperant,
hoc anno, nec sequente, quo Cæsar conven-
1510. tum Augustam indixerat, fructus ex Came-
racensi fœdere consequutus sit. Miserat qui-
dem Rex suos quoque oratores ad Conven-
tum Augustanum, ipseque alium, spe subsidii
in bellum Venetum obtinendi, Cutæ habuit,
sed cum ob Picardorum dissidia nihil impe-
trari posset, condito testamento, quo Annam
filiam, si Ludovicus improlis decederet, hæ-
redem regnorum scripserat, Cremsium discef-
sit, indeque ineunte post anno Wratislaviam
1511. divertens, cum inter Hungaros, & Bohemos
disceptatio de jure in Silesiam, & Moraviam
suscitata fuisset, hac, ne utrinque offenderet,
in aliud tempus dilata, in Hungariam, post
duorum fere annorum absentiam, reversus est.
Hanc utcunque pacatam, sed Moldaviam rur-
sus periculo objectam reperit. Selimus Ba-
jazetis filius, Cafla in Taurica Chersoneso
occupata, Kiliæ, & Bielogrado, quod situ,
ad illam retinendam, opportunæ essent, mi-
na-

nari ferebatur, ancipitique motu regem dubium reddidit, hasne, an Poloniam petiturus esset, donec ab oratore regis Poloniæ edoctus esset, Kiliam re ipsa designari. Itaque confestim Vajvodam Transsilvaniæ, & Comitem Temesiensem stationes suas jussit repetere, datisque ad vicinos Comitatus litteris mandavit, ut, qua possent celeritate, copias ex legum præscripto colligant, Varadinumque deducant, laborantibus Moldavis, si res posceret, auxilio futuras. Serum tamen id jam erat, utrumque enim castrum Selimus opinione citius intercepit, armisque in patrem versis, regem metu liberavit. *a*) 1511.

Dissipato belli Turcici metu, res domi, clam primum, post aperte agitata est, quæ Joannis Zapolyæ ambitionem mirum in modum auxerat. Hedvigis mater illius, jam dudum cum Sigismundo Poloniæ rege, de filia Barbara ei collocanda agebat, ipse etiam Wladislaus his nuptiis ineundis favere videbatur, etsi, ut quisque animatus erat, non defuerint, qui parum rege dignas, & fatales olim 1512.

a) Litt. regis, Bud. fer. 3. prox. post fest. B. Urbani Papæ. 1511. apud Pray, Differt. VII. in annal. vet. pag. 150. Henelius annal. Siles. ad an. 1511. Sommersberg, script. rer. Siles. pag. 385. Jodoc. Decius rer. Polon. Tom. II. pag. 313. Leunclavius hist. Musulman. l. 16. & in Pandectis, c. 228.

olim regno futuras existimarent, alii contra
1512. velut fulcrum, quo Hungaria periculo ingruente, tuto niti possit, extollerent. Quidvis hujus rei fuerit, matrimonium eo anno coaluit, licet tædas nuptiales Tartari, & Turcæ suis procursionibus fere interturbarint, sed utrique dissimili eventu fortunam experti: illi a Polonis pene ad internecionem cæsi, hi contra *Zrebernicum* ignavia Præfecti, & vicina castra occuparunt, ac vastitatem ad Spalatum protulere. Wladislaus, quantum in subitaneo periculo poterat, militem Savo vicinum colligi, & hostem fluminis transitu arceri jussit, &, cum minime dubitaret, Selimum, patre per veneficium sublato, arma in Hungariam conversurum, Thomam Bakaczium, Strigoniensem Archi-Episcopum, Romam pro implorandis a Julio II. subsidiis misit, quæ quidem ab illo, ut erat in bellum Turcicum optime animatus, facile impetrari poterant, nisi XI. Februarii sequente anno exstinctus, Leoni X. locum fecisset, ab hoc
1513. autem, etsi Rex crebras ad illum, & Strigoniensem Archi-Episcopum, eandem ob caussam litteras dederit, exigua tamen subsidiorum spes affulgebat, quod ipse, in Pontificatus aditu, aliquot ex Cardinalium collegio adversarios nactus esset, tametsi polliceretur, se cum Cæsare, Hispaniarum, & Angliæ regibus acturum, ut, pace inter Principes redintegrata, vires communiter in Turcas convertant,

tant, nec Strigonienfem Archi-Epifcopum penitus vacuum a fe dimittendum effe. Sed 1513. cum hæc incerta effent, & ex eventu folum penderent, animum ad inducias cum Selimo ineundas adjecit. Miffus eft primum Felix Petancius, qui mentem illius exploraret, tum qui certiora referret, Joannes Zfoltay, ac denique Czoborius, fæpe alias legationibus jam perfunctus, qui, cum ex difsidio inter fratres orto, fpem induciarum non inanem effe nunciaffet, hanc Zapolya, five de his tractari ignoraret, five immodico gloriæ ftudio duceretur, fere intercepit, dum injuffu regis, cum XIX. millibus transmiffo Danubio, ad Zezinum, erat id Turcicæ ditionis, caftra metaretur, qua irruptione Selimus graviter quidem offenfus eft, fed quod fibi cum fratre Achmete de Imperio contendendum effet, non invitus, triennales inducias concefsit. a)

X. Interea Strigonienfis Archi-Epifcopus Roma reverfus, nihil fubfidiorum, præter 1514. facultatem promulgandi per regnum cruciatam

a) Jodoc. Decius l. cit. ad hunc an. Litt. regis, Bud. in feft. B. Clementis Pap. & M. 1513. Ejusd. apud Pray Par. IV. pag. 348. & Pontif. ad regem, ibid. pag. 349. Orat. Bernardini Zane, Archiep. Spalaten. in act. Concil. Lateran. apud Binium Tom. IV. Par. II. pag. 7. Iftvanfi. l. 5. Kerchelics hift. Eccl. Zagrabien. pag. 211. Leunclavius hift. Mufulman. l. 16.

tam expeditionem, retulit. Re in consultationem, præsente rege, adducta, variis sententiis, an, recens initis cum Selimo induciis, e re publica esset, expeditionem promulgare, disceptatum fuit. Erant, qui barbaris fidem, quam ipsi crebro violassent, non servandam putabant, utendum esse tempore, quo Selimus, traductis in Asiam copiis, ditiones Europæas milite fere vacuas reliquisset; contra alii, datam semel fidem etiam barbaris servandam, nec hostem potentiorem temere, & cum regni periculo irritandum esse, ac proinde expeditionem promulgare, nunc quidem supervacaneum videri, existimabant. Disceptantibus intercessit Stephanus Telegdius, qui, quod ærario regio præfectus esset, & proventuum rationes haberet in numerato, eosque gerendo bello non sufficere videret, promulgationem bullæ cruciatæ magnopere dissuasit. Nec enim alios ad signa conventuros, quam perditorum hominum, qui, cum sua decoxerint, rapto solent vivere, tumultuariam colluviem, horum exemplo agricolas spe prædarum incitatos, neglecto rure, ad castra convolaturos magno numero, quos si domini ad exercendas operas verberibus, & carcerum ærumnis coegerint, facile futurum, ut jugi alioquin impatientes, in hos arma convertant. Hæc ille; vicere tamen alii, &, bulla promulgata, quæstio de duce, qui cruciatæ militiæ præesset, orta est. Forte fortuna

1514.

na Georgius Dofa ex Siculis Tranfsilvanis ortus, qui nuper, fingulari certamine, Alim Epirotam ad Belgradum vicerat, Budam, fortitudinis fuæ præmium poftulaturus venit, hic idoneus, qui ceteris præficeretur, vifus eft, dataque ei facultas, ut, qui armis apti reperirentur, hos militiæ cruciatæ auctoraret. Didita fama, facile quadraginta hominum millia, inter quos & facerdotes præcoci religionis ftudio abrepti fuere, in Peftano agro, alibique, ductoribus arbitrio fuo delectis, *a*) confluxerant, brevique hæc concurfatio, per Comitatus, velut contagio quædam propagata, plerisque fufpicionem ingefsit, ne non vulgus, aliud, quam præferret, forte moliretur. Fruftra archiepifcopus, diditis per provincias litteris, immodicum fervorem temperare, fruftra domini fuos minis, & vi adhibita domum compellere, fatagebant, tanto magis numerus augeri, & arma, quæ barbaris opponenda erant, in dominos converfa, quod Regi folum, non item dominis, fe fubjectos effe, fparfis in vulgum litteris, jactarent. *b*) 1514.

Ita-

a) Præcipui ex his, poft Dofam, fuere, Franc. *Bagos*, Thom. *Kecskés* de Afzalo, Laur. *Méfzáros* de *Megyező*, quorum litt. exftant, in quibus fe *Principes*, & *campi ductores* crucifer. fcribunt.

b) Id vel ex titulo, quo Dofa ufus eft, patet: *Georgius Zékely*, *ftrenuus miles*, *benedictæ gentis Cruciferor. Princeps & fupremus Capita-*

1514. Itaque laxato licentiæ fræno, Nobiles, quos nancifci poterant, ultra quadringentos ferunt fuiffe, immaniter cæfi, violatæ matronæ, ftupratæ virgines, templa profanata, incendiis graffatum, & quæcunque furor incunditæ multitudini fuggerere poterat, fcelera patrata. Serum erat, poft præcipitatam deliberationem, confilium. Multi auxilium a Maximiliano Cæfare, alii e Polonia advocandum, cenfebant; primus omnium Joannes Bornemifza, Ludovici pueri Præfectus, oftendit, domi effe, unde malo, fi animi confentientes fint, mature confuli pofsit. Arrepta Legione Prætoriana, cui fe Paulus Tomoreus quoque junxerat, in rebelles invectus, brevi Peftanum agrum hac pefte purgavit, cujus exemplo Nobiles per provincias coorti, unitis viribus feditiofos perfequuti, magnam colonorum partem, præcipiti nimium fervore, cum fine his egena Nobilitas fit, neci dederunt. Septuaginta millia periiffe, proditum eft. Sed ut memorabile, ita barbarum feveritatis exemplum, Zapolya edidit, qui victo ad Temefiam, captoque Dofa, hujus primipilos longa inedia macerari, illum autem lento igne uftulari, ejusque carnibus famelicos vefci coegit. *a*) Com-

taneus, *Regis Hung*. *tantummodo fubditus*, *&* *non dominorum*, *cet*. *dat*. *in Czegléd*. 1514.

a) Litt. regis, & Archiep. Strigon. dat. Strigonii. d. 15. Maji. 1514. Steph. Taurinus Canon. Albens. in Trans-

Compressa rusticorum seditione, iisque, qui supererant, dilapsis, aut domum compulsis, ut omnis invidia in Strigoniensem Archi-Episcopum, expeditionis cruciatæ autorem recidit, ita Zapolyæ ingens gloria parta est, Stephano *Verböcio*, & Michaele *Zobio*, facinora illius bello rusticano patrata, passim, in circulis præsertim Nobilium, quos occultis largitionibus in suas partes pertraxerat, palam efferentibus, &, ut in hujus laudes diserti erant, ita regem, quasi nullo mali publici sensu tangeretur, domique, dum regno extrema pernicies imminebat, deses hæsisset, apud vulgum criminari, vituperiisque insectari solebant. Strigoniensis Archi-Episcopus, & Joannes Bornemisza, aliique ex regni Baronibus Consiliarii, qui ex his initiis metuebant, ne Zapolya populi favorem, in perniciem regiæ domus convertat, eo magis regem, hujusque partes defendendas susceperant, quo majora incrementa factionem oppositam capere intelligebant, tametsi vitari non potuerit, quin Rex vitæ discrimen adiret. Cum enim tempus Comitiorum, quæ in diem XVIII. Octobris indixerat, jam adesset, multique ex variis regni partibus confluxissent, facinorosi homines, qui fuerint, detegi non potuit, dum 1514.

Transsilv. in Stauromachia passim. Istvansi. l. 5. Jovius hist. sui temp. l. 13. Tubero, l. 10. §. 3.—6. Cuspinianus in Diario de congressu Maximiliani Cæs. & trium regum, §. 2.

Rex sacris interest, in regium cubiculum, ra-
1514. ti illum adesse, duas glandes majores, displo-
serant. Atrox facinus ut diditum est, continuo in eos, qui Zapolyæ favebant, suspicio a plerisque conjecta est. Strigoniensis Archi-Episcopus, & Bornemisza, supervacaneum esse rati, tempus suspicionibus terere, autores regi erant, ut, nisi Zapolyam sibi parem fieri vellet, ex auctoribus factionis, nec enim jam latebant, supplicium sumeret, ita futurum, ut ceteri, qui insolentiores spiritus gererent, horum exemplo territi, ad officium redeant, aut, si id pro miti suo ingenio aversaretur, certe id ante omnia ageret, ut, quod cœperat, affinitatis vinculum cum Maximiliano, firmatis prolium connubiis, ad finem perducat, præsertim, quod Maria Ludovici sponsa, nuper admodum ex Belgio Viennam venisset, hac una re sibi inprimis, tum prolibus, ac regno etiam optime consulturum. Hoc præ illo maluit, Cuspiniani, qui rursus Cæsaris nomine aderat, & cum iis, qui Regis auctoritatem tuebantur, crebro consilia agitabat, hortatu persuasus. *a)*

Suppressa igitur in vitæ suæ insidiatores quæstione, initium Comitiis datum, quibus ut præcipuam occasionem rusticorum seditio præbuerat, ita fere pleraque in his ad illos in ordinem redigendos, damnorum, quæ Nobi-

a) Istvansi l. 5. Cuspinianus in Diar. cit. in Freheri script. rer. Germ. Tom. II. pag. 594.

bilibus intulerant, compenſationem, & pœnas infligendas conſtituta ſunt. Ut patrati 1514. ſceleris memoria ad poſteros transiret, ſublata illis deinceps libera migrandi facultas, & ſervitus perpetui ruſticatus conſtituta, auctus etiam centum denariis cenſus annuus, item, ut nonam rerum partem dominis ſuis poſthac præſtent, intercluſus etiam ad Prælaturas Eccleſiaſticas aditus, ſi qui tamen ad eas aliquando eluctarentur, his decimæ alias præberi ſolitæ, omnino negentur. Proventuum regiorum, qui fere omnes in pignore, vel aliis locati erant, hæc ratio eſt inſtituta: *Triceſimæ* cum *vigeſimis*, Cameræ item ſalium, fodinæ auri, argentique, ac liberæ civitates regiæ jubentur reſtitui, hac tamen conditione, ut mediam proventuum partem Rex quotannis percipiat, alteram vero, qui hos fundos in pignore, vel locatos haberent. Hoc uno, ſi rite, & ab omnibus ſervatum fuiſſet, ærario regio, itaque & publicæ neceſsitati conſuli poterat, verum conſtat, hæc fere omnia etiam tum, cum Ludovicus regnum adiit, in ære alieno fuiſſe. Joanni Zapolyæ ob compreſſam ſeditionem *Triceſimæ* regales, & urbes liberæ, quas in pignore habebat, tamquam navatæ operæ præmium, etiam deinceps permiſſæ, dum redimantur, ad hæc autem ex omnibus tam regis, quam reginæ, Prælatorum item, & Baronum, ac Nobilium, & ipſius etiam Zapo-

 lyæ

1514. lyæ bonis, viginti denarii ad conſervandam militiam, decreti, ex quibus ſi eam ſummam collegerit, quam pro pignore exhibuerat, regi Triceſimas, & liberas civitates reſtituet, nec integrum deinceps regi ſit, quæcumque neceſsitas id ſuadere videretur, proventus ſuos, quin rem prius cum Conſiliariis ſuis conferat, aliis fœnori locare, &, ſi qui eſſent, qui nihilominus regios proventus ſibi a rege locari impetraſſent, non modo ſummam, fœnerationis cauſa exhibitam, amittant, ſed tantundem præterea mulctæ inſtar dependere cogantur, ne quis autem errorem poſsit prætexere, bona omnia, quæ ad regiam coronam, tam in Hungaria, quam Tranſsilvania pertinent, in legem nominatim referre, viſum fuit. a)

1515. XI. Conventu ſoluto, Cuſpinianus mandata, quæ habebat, regi apertius indicavit, Cæſarem nimirum libenter viſurum, ſi cum prolibus ſuis, & fratre Sigismundo, rege Poloniæ, in loco utrisque opportuno conveniret, illum etiam adfuturum, qui ea, quæ matrimonii utrinque ineundi cauſa, nondum ſatis expedita videbantur, ad optatum finem perduci cupiat. Re cum *Sydlovic̨zio*, Poloniæ Legato, & conſiliariis regis collata, Ladislaus *Sternbergius* in Poloniam miſſus, ut, quæ Cæſaris eſſet deſtinatio, Sigismundo referret, qui cum ſe adfuturum nunciaſſet, Cuſpinia-

a) Decret. exſtat in Cod. jur. patr. T. I. p. 325.

ſpinianus ad Cæſarem reverſus eſt, & Wladislaus, rebus omnibus ad iter comparatis, 1515.
Poſonium, in hanc enim urbem condictum erat, XVIII. & Sigismundus XXVII. Martii, ſplendido uterque, & frequenti comitatu ſtipati, venere, Matthæus Gurcenſis Cardinalis, cui Cæſar plenam poteſtatem fecit, cum regibus tranſigendi, ſerius adſuit. Menſis Aprilis, & præcipua pars Maji, in conſultationibus, & conditionum deliberatione abiit, donec XX. ejusdem menſis, in certa capita, conſentiente utroque rege, coaluiſſent.

Hæc iſtiusmodi fuere: Anna Wladislai filia, alterutri nepotum Maximiliani, Carolo, vel Ferdinando, intra anni ſpacium deſpondebitur, ſi hoc elapſo impedimentum aliquod intervenerit, Cæſari in manus conveniet, licet hic jam quinquageſimum ſextum, & illa duodecimum ætatis annum ageret: dum annus hic decurret, Cæſar cum Wladislao, tempus ineundi re ipſa matrimonii deſignabunt, ſponſa vero interea Mariæ, Cæſaris nepti, Ludovico deſtinatæ, ad nubilem ætatem contubernalis erit, atque hæc omnia ſi ad præfinitum tempus non fuerint completa, Cæſar pollicebitur, ſe intra biennium trecenta aureorum millia ſponſæ ſoluturum, ac ſecuritatis cauſa, theſaurum familiæ Auſtriacæ, qui millionem auri æquet, Ordinibus Auſtriæ depoſiturum, non ante reddendum, quam trecenta aureorum millia rite perſoluta fuerint.

Dotis autem nomine ducenta aureorum mil-
1515. lia ſponſæ quidem obvenient, ſed non prius exhibenda, quam Ludovicus Mariæ re ipſa matrimonio junctus fuerit, tum vero dos dotem mutuo compenſabit: nuptiarum tamen cauſa cuivis ſponſæ, viginti vel viginti quinque millia aureorum, conſtitutis utrobique certis proventibus, quovis anno pendentur, quarum una ſi prius, quam nuptiæ coaleſcant, obiret, alteri nihilominus, quæ jam matrimonio juncta erit, ducenta aureorum millia, dotis nomine, perſolventur, quæ, ſi maritus ejus improlis decederet, eidem ſalva, & integra manebunt, ut pari, ſi volet, cum dignitate nubere poſsit. Hæc Wladislaus ſuo, & prolium ſuarum, Gurcenſis autem Maximiliani nomine, rata habuere, & Sigismundus pro utroque fide juſsit.

His conſtitutis, & confecto rite documento, partiumque ſubſcriptionibus firmato, Gurcenſis ad Cæſarem rediit, qui non ſine utriusque regis tædio, primum X. Julii Viennam reverſus eſt, cujus ſalutandi cauſa reges, quisque ſuæ Nationis Oratores, Viennam miſit, compertoque, ubi, & quo modo cum Cæſare conveniendum eſſet, Wladislaus Leitæpontum, Sigismundus vero Heinburgum, conceſſere, & XVI. Jul. Maximiliano ad Trautmansdorfium, in planicie, æquo inter memoratas urbes ſpacio, diſsita, obviam profecti ſunt. Peractis ſalutationis mutuæ offi-

ciis,

cils, poſt moram aliquot dierum, Viennam itum. Ingreſſus dignus erat Cæſare, & regibus: primi dies inter hilaria exacti, & pactis nuptialibus ſecunda cura cognoſcendis dati, ac unanimi paciſcentium conſenſu roborati, mox XXII. ejusdem menſis die, ad Divi Stephani matrimonia anulorum mutatione confirmata, ſextoque poſt die, per Cuſpinianum, Latino, & Germanico ſermone promulgata ſunt. Cæſar ut vinculum affinitatis firmius redderet, Ludovicum, patris, patruique conſenſu, ſuum in Imperio Vicarium declaravit, facturumque, ut Rex Romanorum, poſt ſuum obitum, ab Imperii Electoribus renuncietur, vetera item mutuæ ſucceſsionis in Hungaria, Bohemia, & Auſtria quondam inita pacta, denuo inſtaurata, & Annæ, hujusque futuro conjugi, ſors hæreditaria in Hungaria, & Auſtria, ſolito Domui Auſtriacæ ſucceſsionis ordine ſervato, confirmata. *a)* 1515.

Dum

a) Auctar. diplomat. ad hiſt. Urſini Velii, pag. 282. — 300. & apud Pray, P. IV. pag. 366. 381. Cuſpiniani Diar. & Bartolini Hodœporicon apud Freher. T. cit. pag. 587. 672. Fugger annal. Ferdinand. l. 6. c. 17. Jovius ſui temp. hiſt. l. 16. de Roo l. cit. l. 12. Sambuci append. ad Bonfinium pag. 539. — 542. Iſtvanfi l. 6. Tubero l. cit. l. 10. §. 6. Jod. Decius l. cit. in Sigismundo. Raynaldus ad annum 1515.

1515. Dum hæc Viennæ agebantur, Palatinus, & Zapolya res novas in Hungaria moliebantur. Ille hujus, ut creditum eſt, ſubornatione, vel quod id e re publica eſſe putaret, poſtquam, quid Viennæ factum eſſet, comperit, pactis, Poſonii per plateas vectus, palam, contentaque voce intercesſit. Ea res, ne aliquando nepotibus ſuis fraudi eſſet, Maximiliano non exiguas primum curas conſcivit, poſt, habita cum Wladislao deliberatione, hominem muneribus, & largitione tentandum cenſuere. Rex arcem Saroſienſem, & Cæſar, titulum, honoremque Principis Romani Imperii ei collaturos promiſere. Captus hoc illicio, pactis, privato ſuo, non item Palatini, nomine, ſe ſubſcripturum receperat. Verum, ſi pacta æquitati erant conſentanea, nec alieno juri præjudicabant, inanis, & ſupervacanea erat vulgata Poſonii intercesſio, ſin contra, nec ſuo quidem nomine, ulla præmiorum ſpe adduci debebat, ut ſe pactis ſubſcripturum promitteret, quando æquitatis leges Palatinum non minus, quam privatum, obligant, ne, quod ſibi injuſtum videtur, ratum habeat. Atque hæc quidem a Palatino ge-

1515. Du Mont corps diplom. Tom. IV. P. I. Nro. 99. Lunig Cod. dipl. Germ. Tom. I. Nro. 89.

gesta fuisse, memoriæ est proditum. *a*) Zapolya autem, qui spes suas, quas de Anna obtinenda hactenus aluisse videbatur, congressu Viennensi penitus sibi succidi videns, incertum, mœrore ne animi actus, an congressum interturbare vellet, collecto decem millium exercitu, Danubium transmisit, & arcem *Sarnonem*, Belgrado, & Szemendria æquo spacio dissitam, Rege inscio, & durantibus induciis, obsedit. Verum pro laude, quam spe præceperat, cladem retulit, ex qua ipse saucius, castrisque, & impedimentis exutus, cum paucis ægre evasit, insigni, quam sibi bello rusticano peperisse visus est, gloriæ detrimento; licet amici illius, jacturam apud vulgum elevare niterentur. *b*) 1515.

Prius, quam reges Vienna discederent, magnopere optabant, ut Cæsar commune secum fœdus contra Turcas iniret, sed cum ille, nondum confecto cum Venetis bello, id rebus suis nunc quidem minime profuturum ostenderet, Wladislaus daturum se per Legatos suos operam pollicitus est, ut Veneti non solum ei concilientur, sed in partem quoque com- mu-

a) Istvanfi l. 6. sed id non recte, quod Palatinum Regi præmortuum putet, qui anno 1518. adhuc superstes erat. Vid. Pray. Differt. de Prioratu Auranæ, pag. 73.

b) Istvanfi, & Bartolinus l. cit. Joan. Dantiscus in poemat. Sigismundo Regi dicato.

munis fœderis libenter veniant. Hac ſpe facta,
1515. Cæſar, diſceſsuros reges, Neoſtadium comitatus eſt, ubi Rex, illo, & fratre poſtremum ſalutatis, filiamque, quaſi futuri præſagus, inter lacrimas complexus, Sopronium, indeque Budam rediit. Hic ei oratores a Selimo cum litteris miſsi, qui inducias prorogari peterent, præſtolabantur. Nam cum is militiam fere omnem in Syriam, & Aegyptum traduxiſſet, magnopere illius intererat, ut induciarum tempus, quod prope finem jam erat, prorogetur. Rurſus igitur conſultatio habita, & in ſententiis variatum, eſſentne concedendæ, an negandæ, præſertim, quod Pontifex ſuperiore anno ſpem ſubſidiorum feciſſet, quo inconſulto nihil tentandum, & oratores interim ſpecioſa protelatione detinendos, plerique exiſtimabant. Miſſus igitur Legatus in urbem fuit, qui de promiſsis ſubſidiis certiora referret. *a*)

XII. Pontifex, qui jam alias mentem ſu-
1516. am ſatis aperte, quid de hoc induciarum genere ſentiret, prodiderat, Florentia XXVII. Januarii, reſcripſit, non placere ſibi cum hoſte, qui ex commodo ſuo datam fidem ſervare, violareque ſoleat, inducias conciliari, exploratum quidem ſibi eſſe, quam parum præſidii ad reſiſtendum hoſti, & defendenda regna propria, domi repoſitum Regi eſſet, cura

a) Leunclavius hiſt. Muſul. l. 17.

raturum se tamen, ut datis ad Principes Christianos litteris, brevi tantum pecuniæ confletur, ut non modo vis propulsari, sed inferri etiam posſit. In eamdem sententiam XIV. Februarii, ad Petrum *Berizlo*, Episcopum Veszprimiensem, Dalmatiæ, & Croatiæ Banum, scripsit, eique indicavit, Franciscum Regem Galliæ omnia libenter facturum, quæ ad salutem Hungariæ facere videbuntur, se autem commeatum interea urbi Sibenico jussisse imponi, quo, ut necessitas postulaverit, libere uteretur. a) Sed dum Pontifex, Hungariæ causa, regum, & Principum Christianorum opem solicitat, Rex podagricis doloribus, quo morbo sæpe alias laborabat, pene oppress- 1516.

a) Raynaldus ad hunc annum. Bembus, epistolar. l. 11. epist. 25. & 27. ad regem hæc inter alia: *quoniam exploratum nobis est, sine nostro, ceterorumque Christianorum regum, & virorum Principum auxilio, non posse te a Turcarum impetu regna tua tueri, atque defendere, externis præsertim, internisque bellis defessa jam prope, & debilitata, dedi regibus singulis, & Principibus litteras, quibus petii diligentissime ab iis, ut te pecunia, una nobiscum juvarent. — Quare bono animo es. Confide enim tantum tibi pecuniæ in tempore communiter subministratum iri, ut nihil tibi verendum sit, ne repellere hostem possis, tuosque fines facile tueri.*

pressus, cum se, accedente mox febre, gra-
1516. vius habere, sensit, accersitis utriusque regni Primatibus, fratrem Sigismundum filio tutorem constituit, curæque Pontificis commendavit, nec multo post, die XIII. Martii, anno ætatis LXI. decessit. *a*)

Naturam nactus est ad mansuetudinem suapte proclivem, quæ in Principe, nisi cum res, & tempus poscit, rigore temperetur, facile in ignaviam abit. Mathiæ, decessori suo, dissimillimus: ille, ut erat armis deditus, severitate, hic vero pacis studia complexus, benignitate, regebant, sed, cum neuter modum teneret, ille Nobilium prærogativas, ubi poterat, accidit, hic contra, non modo has in integrum restituit, sed auxit etiam, *b*) quibus cum

---

a) Ludovicus in epist, ad patruum, apud Bel. Notit. Hung. Tom. III. pag. 242. diserte III. Id. Mart. obiisse scribit, eundem diem tabula ærea Bibl. Cæs. apud Pray P. IV. pag. 390. Sed annus ætatis videtur erroneus esse, cum Decius, natum esse, anno 1456. d. 1. Mart. scribat. Error quoque Istvanfio obrepsit. qui regem 8. Mart. defunctum scribit.

b) Litt. regis an. 1495. d. 2. festi Pentec. *quin potius, ut ipsi memores estis, — nec pristinas solum, & disjectas, atque immutatas libertates vestras, restituimus, & roboravimus, verum etiam plures insuper alias addidimus, &* ad-

cum non nulli immodice uterentur, regia auctoritas ſenſim vilipendi, &, quo quis potentior fuit, eo minus dicto audiens eſſe, *b)* &, ſe inferiores vel opprimere, vel largitionibus in ſuas partes allicere, factionibus omnia permiſceri, & ſuum quisque potius, quam regni, commodum præ oculis habere. Quo factum, ut militaris diſciplina ſenſim labaſceret, & plerique ocium ſectarentur, niſi cum fortunarum compendia erant facienda, ut adeo ne a regiis quidem proventibus abſtinerent, eſſetque ærarium regni, miniſtrorum peculatu, ita exinanitum, ut pecunia, cum hac opus erat, vel precario a Pontificibus petenda, vel ſumenda mutuo, vel denique e Bohemia, aliisque provinciis accerſenda fuerit, & Rex ipſe, dum alii luxu, & deliciis diffluebant, ob penuriam domeſticam, privatorum conviva eſſe cogeretur. Ita opulentum alias regnum, ſed partim regis conniventia, partim Magnatum faſtu, & avaritia, male comparatum, filio Ludovico, nondum exacta pueritia, reliquit. 1510.

LU-

adjecimus, quas neque quisquam regum Hung. unquam contulit ante nos, neque deinceps vix ullus fortaſsis eſt tantum collaturus.

a) Litt. ejusd. an. 1506. fer. 4. prox. poſt feſt. viſitat. B. M. V. *Scimus autem, quod iſti tenuiores, & inferiores Nobiles non ſunt culpabiles, quia certum eſt, quod ipſi de bonis ſuis pecunias exercituales ſolverint* &c.

LUDOVICUS II.

Ab anno 1516. — 1526.

I. Nondum decimum ætatis annum egres-
1516. sus, patri succesſit, itaque necdum iis animi viribus præditus, ut factionibus palatinalium, qui aulam patris versabant, resiſtendo eſſet. Juſtis Albæ persolutis, ante omnia Pontificem, Cæſarem, & Sigismundum patruum, Poloniæ regem de parentis obitu edocuit, ſimulque auxilia contra *Selimum*, qui Moldaviæ, Valachiæ, fruſtra tentatis ad defectionem Waywodis, incubiturus metuebatur, imploravit. Mox pro veteri more Comitia Budam in XXIV. Aprilis indixerat, de re publica in medium conſulturus. Verum ante, quam hæc coirent, res prope tumultum ſpectabat. Fuere enim, &, ut non vana ſuſpicio erat, a Zapolya ſubornati, qui, donec puer adoleſceret, regni Gubernatorem conſtitui vellent. Satis apparebat, Zapolyam ab iis deſignari, peneque erat, ut iis, qui in contrariam partem nitebantur, ſuperiores evaderent; niſi commodum Joannes *Laſcus* cum Chriſtophoro *Sydlovicզio* e Polonia, Andreas *Baronius* cum Sigismundo *Herberſteinio*, a Cæſare intervenisſent, qui in hoc animorum æſtu cenſebant in aliud tempus differri oportere, Ludovico non invito, qui ſibi Gubernatorem adjungi

jungi ægre ferebat. Consilii hujus ei autor *Bornemisza* fuit, qui Zapolyæ ambitionem jam tempore rusticani belli cognitam, Wladislao suspectam reddiderat. Itaque dilatis in aliud tempus Comitiis, coactoque frequenti Magnatum senatu, unanimi consensu, Georgius Marchio Brandenburgicus, & Joannes *Bornemisza* constituti, qui Cæsaris, & Sigismundi nomine, tutorum partes agerent, ne autem, cum dispares moribus essent, Marchio teneram pupilli ætatem ad luxum, & mollitiem deflecteret, cura Cardinali Archi-Episcopo Strigoniensi data est. Id multi, qui se hoc Triumviratu exclusos dolebant, adversus conventionem anni 1508. qua cautum erat, ne pupillus tutelæ exterorum crederetur, fieri, palam vociferari, & insectari etiam cœpere, Bohemi contra ratum habebant, &, ut Rex Pragam Comitia in annum sequentem indiceret, orabant, quibus cum ob Turcarum molitiones interesse non posset, ipsi his semel, iterumque coactis, Nuncios ad Cæsarem, & Sigismundum misere, qui communi nomine Ludovicum, ejusque regna, si quid periculi Hungariæ immineret, eorum curæ commendarent. *a*) Et erat id, quam

1515.

1517.

a) Raynald. ad an. 1516. & 17. Bohusl. Balbinus hist. Boh. Dec. 1. L. 8. & Epitom. l. 5. c. 11. Istvanfi l. 6. Fugger l. 7.

quam putabatur, vicinius ob *Jayczæ*, rebus
1517. pene omnibus ad defenſionem deſtitutæ, diſcrimen, quam Turcæ arcta obſidione premebant. Cum regi ſumtus neceſſarii ad ſuccurrendum obſeſsis non ſuppeterent, &, qui iis abundabant, tenaciores eſſent, quam ut commune periculum, etiam ſuum arbitrarentur, imperato regiis urbibus extra ordinem tributo, &, quæ ſupererant, caſtris item regiis pignori datis, ægre duodecim aureorum nummum millia conflare potuit, quæ tamen vix ſuffectura erant, niſi *Jaycza* virtute Nicolai *Zrinii*, & Franciſci *Berizloi* ſervata, & hoſti negotium cum Perſis obortum fuiſſet. *a*)

II. Periculum obſeſſæ *Jaycza* Pontifici oc-
1518. caſio fuit, ut convocatis Regum Legatis inducias

a) Kerchelics hiſt. Zagrab. Eccl. pag. 212. Litt. reg. ad Barthphen cives, Buda in feſto diviſion. Apoſtolor. *ſed quoniam nobis ad id magna vis pecuniarum exiſtit neceſſaria, proventus vero noſtros regales pro nunc nullos habemus &c.* Litt. Capit. Eccleſiæ S. Petri de Poſega an. 1522. teſtantur caſtra regia hoc tempore fuiſſe oppignorata 12000 fl. auri. Tubero comment. ſui temp. L. 11. §. 4. invehitur in avaritiam plerorumque Magnatum, quaſi metus fuerit, ne, ſi Rex militia, & ære abundaverit, his ad tyrannidem ſenſim abutatur. Leunclav. hiſt. Muſulman. l. 17. ad an. Hegyræ 923.

ducias quinquennales, inter dissidentes Principes conciliaret, & erectis ad averten- 1518. dum commune periculum animis, ad suppetias Hungariæ ferendas, plerosque non difficulter adduceret. Certiorem de hoc proposito regem datis ad eum VII. Januarii litteris fecerat, monuitque, ut ipse, quo propinquior hosti erat, eo magis etiam ad ceterorum commune hoc studium operam suam conferret. Obsecutus Pontifici, semel, iterumque conventum regni mense Januario, & Februario celebravit, a) sed cum plerique magno armatorum numero comparerent, nihilque propterea liberis suffragiis posset decerni, rursum conventus ad XXIV. Aprilis indictus est, & omnes, imprimis Zapolya, commonefacti, ut conveniente quidem numero, sed non cum exercitu, Comitiis adessent. b) Perculit

a) Bembus epistolar. l. 16. Litt. regis ad Zapolyam Bud. Dominica Lætare. *Quamquam duas hoc anno conventiones habuerimus in eum finem, — ut in illis de avertendis hujusmodi periculis consuleretur, undecunque tamen contigit, nostra hæc tam bona voluntas, ut notum est omnibus, perduci ad effectum non potuit.*

b) Ibid. ad eund. *Quare fidelitatem vestram hortamur — sub poena decreti, — quatenus — ad prædictum festum B. Georgii M. huc Budam — non cum exercitu, sed convenienti numero, animo ad bonum rei publicæ propenso, & bene disposito venire debeatis.*

culit Zapolyam tacita hæc reprehensio, & re
1518. cum Palatino Perenio communicata, venturum se quidem Budam, sed non ante, quam Rex *Bornemiszam* inde exigeret. *a*) Nec hic, quid ille per hoc cuperet, ignarus, pro tutoris officio rem omnem ad Cæsarem Oenipontum perscripsit, qui, misso Budam *Herbersteinio*, regi significavit, quatuor peditum millia, & quingentos equites, ad limites Austriæ, præsto ei futura, si Zapolya cum suis aliquid contra regem moliretur. *b*). *Herbersteinii* improviso adventu, quem a Cæsare missum esse, in vulgus studiose editum erat, Comitia satis pacate inchoata, sine fructu tamen soluta, & rursum pro XXV. Julii *Tolnam* concita sunt. In his pars regia, ut videbatur, Zapolyanæ prævaluit, quæ cum in medium proposuisset, militiam magnopere a pristina disciplina defluxisse, & legum sanctimoniam universe videri fere conculcatam, plerisque etiam, quorum tamen esset, patriæ con-

a) Litt. Zapolyæ ad Steph. Bathor, C. Temesien. ex Tokai fer. 5. major. hebdomadæ. *Daretur locus nostris verbis, ut dixeramus, ut scilicet interim, quoadusque ipse Bornemisza castrum Budense possidebit, in eam non intrabimus &c.*

b) Senkenberg Coll. document. Par. IV. sect. 2. n 3. Vide etiam Hieron. Balbi opera Tom. IV. Epist. 9. & reliquas, ab Josepho de *Retzer* S. R. I. Equite, & Nob. Prov. Austr. edit. Vien. 1791.

consulere, commodo suo intentis, & ad commune malum obtorpescentibus, hostium progressiones ita in dies augeri, ut in Bosnia præter *Jayczam*, & *Banyalucam*, nihil supersit, his autem amissis facile hosti aditum in Sclavoniam, ex hac in Hungariam, ultraque patere, statuit majore suffragiorum numero, ut Prælati, Barones regni, Comitatus, & qui ex legum præscripto militiam profiteri debent, copias suas in promtu semper habeant, ne, si hostis jam jugulo imminet, tunc primum eas, sero nimis, & sine fructu, sub signa cogi oporteat, ad hæc, ne stipendia, necessarius militiæ nervus, deessent, subsidium quinquaginta nummorum omnibus imperatum, cautumque, ne quid ex hoc Quæstores, ut hactenus, intervertant. *a*) De proventibus regiis, quod fere omnes in pignore essent, decretum, ut in futuro Conventu *Bachiam* pro XXIX. Septembris indicto, transigatur. 1518.

Hæc quidem constituta fuere, verum, ubi ad condictum diem, & locum, minori, quam ante, numero convenere, nihil fere ipso ope-

a) Decr. anni 1518. Triste est ingressum illius, qui, ut plura, in Corpore jur. patr. deest, legere: *Quoniam*, ita habet, *omne regnum duobus instrumentis regitur, & conservatur, scilicet, armis, & legibus, quorum in hoc regno nostro Hungariæ, hoc tempore neutrum habetur*, &c.

re præstitum fuisse, graviter questi sunt,
1518. quibus rei publicæ salus cordi erat. *a*) Itaque priora secundis curis cognita, & stabilita: delecti Quæstores duo, qui juramento adstricti, subsidia pecuniaria prioribus Comitiis decreta, colligant, proventus regii, qui, in pignore erant, & plerique in ære Zapolyano erant, jubentur restitui, quibus liberandis si ærarium non esset sufficiens, tam Ecclesiastici, animarum curæ destinati, majoris tamen census, quam ceteri, de suo suppleant, iis denique, qui contemto regis mandato, Comitiis non interfuissent, mulcta, Magnatibus octingenti, Nobilibus vero quadringenti floreni, inter egentiores Nobiles distribuendi, dictata. Atque hæc quidem satis concorditer, at ubi rursum mentio de Tutoribus inciderat, multi in eam sententiam inclinabant, ut iis aliquot præterea collegæ, ex Prælatorum, Magnatum, & Nobilium ordine adjungerentur. Vicit opposita factio, & Zapolya ex Magnatibus, ex Nobilibus autem Michael de *Zob*, delecti sunt, qui

a) Art. 1. ibid. *Quamquam haetenus quoque multa, & multoties, bona, utiliaque statuta, salutem & quietum statum totius regni, & imprimis quidem incrementum regiminis Majestatis Regiæ concernentia, ordinata fuerant, quia tamen observatio, & executio earum constitutionum subsequuta nunquam fuit, ideo in irritum omnia transierunt* &c.

quī Regi asfifterent, curam haberent illius educandi, poteftatem diftribuendi regni offi- 1518.
cia, penes quos denique rerum fumma univerfe effet, qua re non modo regiæ dignitati derogatum, fed tutorum, quos Cæfar, & Rex Poloniæ conftituerant, fides in dubium vocata, &, quo omnia fpectabant, Zapolyana factio magnopere aucta fuit. De *Jaycza* quoque actum, ut annona, milite, & neceffario ad defenfionem apparatu, provideretur, *Berizloo* Vefzprimienfi Epifcopo Croatiæ Bano, mandatum, ut horum curam haberet. Neque is hanc provinciam detrectavit, fed cum videret, nec annonam, nec militem pro ea copia, & numero, ut imperatum erat, adeffe, quoniam hæc omnia per hofticum *Jayczæ* importanda erant, non aliter fe id facturum fignificavit, nifi Rex, fi quid adverfum eveniret, fibi id minime fraudi dandum, polliceretur. a) Hic Comitiorum exitus erat, a principio fuo magnopere difsidens, & olim extremum fere exitium regno allaturus. Depreffa enim Regis, & Tutorum auctoritate, fenfim privatæ potentiorum focietates exortæ, quæ, ut diverfis ftudiis, & fine, inter fe differebant, ita mutuo clandeftinis machinationibus fe exagitabant, quarum illa, quam

a) Litt. regis Bud. in fefto S. Joan. Evangel.

Zapolya jam ante cum pluribus inierat, *a*) nunc aliorum etiam accefsione celebrior, & periculofior fuit.

1519. III. Non poterant id tutores regis, præfertim *Bornemifzam*, qui Zapolyam acriter obfervabat, diutius latere, qui propterea etiam Regi autor fuit, ut inducias iis conditionibus, quas Barnabas *Belaius*, ab Wladislao Legatus Conftantinopolim miffus, inde nuper perfcripferat, cum *Selimo* iniret, ita futurum, ut parta foris quiete, rebus domefticis, quæ non fatis tutæ viderentur, magis pofsit confulere. Deliberanti in utram partem fe daret, nuncium allatum eft, Maximilianum Cæfarem *Velfii*, XII. Januarii obiiffe. Non ignorabat, illum, dum viveret, magno ftudio conatum fuiffe, ut alteruter nepotum, Carolus, vel Ferdinandus, fibi in Imperio fuccedat. Itaque, cum ipfe Elector effet Bohemiæ, & ad eam deftinationem multum conferre poffet, Ladislaum *Sternbergium* fuo nomine oratorem, qui fuffragium pro Carolo ferret, ad Imperii Comitia mifit. Adjunxerat huic eadem de caufa Georgium Marchionem Branden-

a) Zapolyæ ad Steph. Báthory fupra cit. *Reliquum autem eft, quod multæ nos tentationes ab eo tempore, quo ab invicem fejuncti fumus, circumvenerunt, tamen nos, auxiliante Deo, fequimur noftram fectam, & D. quoque veftra Magnifica fit firma in fide.*

denburgicum, & primi Ordinis Hungariæ Barones, qui inter reliqua, de fororis fuæ nuptiis cum Carolo, fi adeffet, tranfigerent, &, fi abeffet, in Hifpaniam proficifcerentur. Ac horum quidem ftudio ceteris conjuncto, Carolus, præ Francifco Galliæ Rege, electus, nuptiarum autem transactio in aliud tempus dilata eft. *a*) 1519.

Interea Selimi Legatus, *Kamal* nomine, Budam venerat, ut de induciarum conditionibus, fecundum exemplar a *Belaio* miffum, cum ipfo Rege tranfigeret, nec is, *Bornemifza* autore, qui alumno fuo, ut tunc res domi erant, vehementer metuebat, fe difficilem præbuit. Hæc earum capita fuere: induciæ a calendis Aprilis triennium durent, interea neuter principum alterius ditionibus damnum inferre audeat, in ditionibus autem regis, præter Hungariam, Dalmatiam, & Croatiam, Bo-

a) Litt. regis ad Georgium Marchionem Brandenb. Bud. f. d. *Poftquam itaque hæc ipfa Catholicæ M. electio pro animi noftri fententia, non fine auctoritate, & favore noftro, per veftrum præcipue & aliorum Oratorum noftrorum ftudium, ut ipfimet Commiffarii Catholicæ M. teftantur, feliciter peracta jam fit, reliquum eft, ut negotium fororis noftræ charifsimæ vobis optime notum, cum ipfo Carolo, jam Rom. Rege — tranfigendum curetur, de qua re habetis a nobis omnimodam informationem.* &c.

Bohemia quoque cum Moravia, Lusatia, &
1519. Silesia utraque, quidquid item in Bosnia, Servia, & Bulgaria superesset, quamquam id permodicum, & laciniæ solum essent, comprehendi censeantur. Liberum præterea sit, Christianis Principibus, Pontifici, Carolo, & fratri Ferdinando, Duci Burgundiæ, & Regi Neapolitano intra anni spacium fœderis socios esse, idque litteris publicis testatum facere, sin abnuerent, nullam in eo partem habeant: mercatoribus ultro citroque commeandi secura facultas sit. De Ragusio, Moldaviæ, & Valachiæ Vayvodis ita conventum, ut, quod hactenus regibus Hungariæ, & serius Turcis etiam solvissent, deinceps etiam quotannis pendant, nihilque præterea novi oneris eis imponatur. Conditiones Rex Budæ XXVIII. Martii, & *Selimus* Adrianopoli XXX. Maji, juramento firmatas signarunt. *a*)

Fuere, quod rebus domi in ambiguo constitutis mirum videri debet, qui inducias deproperatas fuisse quererentur, indeque occasionem sumerent, non tam Regem, quam Tutores, qui earum auctores fuissent, sugillandi, in quos paulum post, dum in Comitiis magna contentione ageretur, quis defuncto Pa-

a) Utrumque induciarum exemplum exstat in Tabular. Vaticano, ex quo hæc compendio retuli.

Palatino *Perénio*, a) subrogandus esset, acerbius invecti fuere. Magna Nobilium pars 1519. Transsilvaniæ vicinior, Zapolyam designabat, Rex contra cum Tutoribus, & regni Baronibus, quibus arrogantia illius jam molesta erat, & potentiores Nobiles fere plerique Stephanum de *Báthor*, qui quidem opulentia illo inferior erat, sed sanguinis vetustate præstabat, Palatinum elegere. b) Inde implacabiles inter utrumque inimicitiæ ortæ, quæ Regem cum regno postea in summum discrimen adduxere. Constituto Palatino, eadem, quæ prius, decreta, & firmata sunt, interdictum quoque privatas societates inire, quibus confœderati suum magis, quam commune regni, bonum & utilitatem præ oculis haberent, &, quæ hactenus coaluissent, dissolvi jussæ sunt; præterea, ut mulcta pecuniaria ab iis, qui Conventui Bacsiensi non intererant, exigatur, imperatum.

IV.

a) Dorothea de Kanysa, in litt. 7. Martii 1519. ad Gregor. Horváth, Castellanum suum in Onod datis, se *relictam* Emerici Palatini diserte affirmat.

b) Istvánsi hist. l. 6. id ad annum 1517. non recte occupat. Supersunt enim litt. Emerici Perénii anno 1518. Dominica *Lætare*, quibus testatur, sibi a Castellano suo in Onod pecuniam rite administratam fuisse.

1520. IV. Sed cum hæc negligentius, quam par erat, exhiberetur, nec copiæ militares essent justo numero completæ, iterum conventus ineunte Februario habitus, *a*) iterumque gravissima data mandata, ut ad designatum tempus miles, & huic alendo necessaria stipendia adessent. Cupiebat enim Rex prius, quam ad Bohemos, qui illum crebris nunciis invitabant, *b*) proficisceretur, hæc omnia opere ipso præstita videre, ne tot Comitiis nihil pro salute regni actum videretur. Parantem se itineri cædes *Berizloi* Veszprimiensis Episcopi, Croatiæ Bani, retinuit, qui, dum Turcas in Croatiam irrumpentes reprimere conatur, in insidias præcipitatus, occubuit. *c*) Itaque, cum

a) Litt. Assessor. regis ad Comitat. Weszprimien. fer. 5. post Mathiæ 1520. *Etiam in hac novissima Dieta pro festo B. Dorotheæ V. & M. celebrata, unanimiter decretum est, ut ipsæ gentes — præterea ordinatum est, quod in quolibet Comitatu super hujusmodi pecuniis ratio justa & recta erigatur.*

b) Litt. reg. ad Bartphenses fer. 6. prox. ante Trinitatis. *Intellexisse jam potuistis, quali apparatu nobis ad præsentem profectionem nostram versus Posonium, & deinde ad regnum Boh. quo jam sæpius vocati sumus, existat* &c.

c) Ibid. *Quod a vobis quoque necessarium subsidium repetamus, & præsertim hoc tempore, quo lo-*

cum parum in fide Turcarum durantibus etiam induciis reponendum esset, dilata in Bohemiam profectione, quæ ad defensionem Croatiæ pertinebant, occupare conatus est. Curas auxit mors *Selimi*, quæ in diem a) XXI. Septembris inciderat, ejusque successoris *Solimani* armorum, & belli appetens indoles, domi vero, si periculum ingrueret, nihil fere eorum, quæ tot Comitiis statuta erant, comparatum, ut adeo corrogare auxilia ab exteris necesse esset. Missi ad Cæsarem, & Ferdinandum propterea Legati, Romæ autem Stephano *Broderico*, Oratori regis cura data, ut de subsidiis diligenter cum Pontifice agat, &, ne pondus deesset, missus est in urbem *Werböczius*, qui, in quo statu res Hungariæ sit, coram uberius explanaret, re autem vera, quoniam apud factionem Zapolyanam præcipuus consiliorum auctor habebatur, ut speciosa legatione aliquamdiu a regno abesset, ne illa majora, illo præsente, incrementa sumeret. Hæc inter *Berghamus* a So- 1520.

loco Bani nostri Croatiæ, qui nuper ibidem in conflictu cum Turcis habito occubuit &c. Putida fabula est, nec tempori consentiens, quam de cæde hujus Bani, *Turnschvamius* MSS. suis memoriis inseruit, quamque hic referre nihil attinet.

a) Leunclav. hist. Musulmanicæ pag. 753. habet 7. mensis *Scheval*, quæ hoc anno fuit 21. Sept.

Solimano missus explorator magis, quam mor-
1520. tis paternæ nuncius, adfuit, ut, quæ regis mens esset de prorogandis induciis, rescirét. Responsa ambigua fuere, quod per idem tempus per Ambrosium *Sarkanium*, & Hieronymum *Balbum*, Posoniensem Præpositum, de conflandis inter *Mariam* cum Ludovico, & hujus sororem *Annam* cum Ferdinando nuptiis, & decernenda utrique dote, Oeniponti tractaretur. *a*)

Quæ postquam mutuo pacifcentium con-
1521. sensu constituta fuisset, & Carolus Cæsar, condita, quæ deinceps familiæ propria esset, sanctione pragmatica, fratri Ferdinando Austriam, Styriam, Tyrolim, Carnioliam, & Carinthiam, velut partem hæreditatis cessisset, Anna Ferdinando XXVI. Maji, Maria autem serius postea Ludovico, collocata fuit. Turcicus Legatus interim, dum hæc aguntur, responsa, & missionem frustra sollicitabat, & Zapolya, qui regis sororem olim prensaverat, æger animo, factioni suæ plures socios adlegere conabatur. Accessit non multo post aliud, mentem depascens malum, invidia, quod Stephanus Bathorius *Sophiam*, Ducum *Mazoviæ* sororem, Ludovico conciliante, matrimonio

a) Auctar. diplom. Kollarii ad Hist. Velii, & apud Pray annal. Par. V. pag. 38.

monio ſibi junxiſſet, *a)* ut, quemadmodum dignitate hactenus ſuperior erat Joanne Zapolya, affinitate etiam ſanguinis, quo ille Ducis Teſsinenſis ſorore editus, ſe jactabat, par haberetur. Novum hinc æmulationis, & odiorum ſemen utrinque jactum. 1521.

Solimanus, qui Legatum ſuum tam diu Budæ teneri, indigne ferebat, in Serviam movens, *Rumeliæ* Præfecto mandaverat, ut *Szabacſium* tentaret, quod ut primo impetu captum eſt, ipſe copias Belgrado admovit. Quo comperto Ludovicus, incertum, quo ſuaſore, *Berghamum* trucidari juſsit, quaſi cæde unius contra jus gentium patrata, locus ab omnibus ad defenſionem imparatus, ſervari potuerit. Conclamatum quidem ad arma eſt, militia undique concita, & caſtra ad *Tolnam* poſita, ſcriptum ad exteros Principes pro auxilio, Palatinus cum parte copiarum præmiſſus, ut hoſtem Savi tranſitu arceret, ſed cum ei omnia lente adminiſtrantur, & ex agreſti plebe collectus tumultuarie miles, diſciplinæ impatiens diffluit, fruſtraque ad *Tolnam* conſidetur, Belgradum, *Hedervarii*, qui arcis præfectura, etſi ſæpe juſſus, decedere nole-

a) Cuſpinianus in Cæſ. ſub Maximiliano; & Streinius annal. Auſtriæ ad h. an. Contractus matrimonii an. 1520. Varſaviæ 17. Sept. initus, & an. 1521. die poſt Magdalenæ ratihabitus a Bathorio.

nolebat, pervicacia, & Michaelis *More*,
1521. quem ſibi Legatum, invito rege, ſubſtituit, proditione, IV. Nonas Septembris, Solimano deditum eſt, *a*) quo occupato, cæſisque contra datam fidem præſidiariis, ille Conſtantinopolim, & Rex Budam reverſi ſunt. *b*) Nolim, quod aliqui exiſtimabant, affirmare, Turcas ab ipſis Hungaris ad obmovendum bellum fuiſſe incitatos, nec enim hac perfidia *Solimano* opus erat, qui probe cognitum habebat, quæ diſcordia Nationem ſcinderet, quæ eſſet ærarii inopia, & quantopere Rex ob ætatem deſpicatui haberetur. Illud extra dubitationem eſt, culpam omnem amiſsi Belgradi in *Morei* proditionem, & *Hedervarii* contumaciam fuiſſe conjectam, quos Rex pro-

---

a) Iſtvanfi hiſt. l. 7. diem 29. Aug. ſtatuit, quo Belgradum occupatum ſit, contra autem annal. Turcici apud Leunclavium l. 18. diem 2. Septembris, ſive 27. menſis *Ramazan*, qui hoc an. fuit 2. Septembr. Conſentiunt litt. regis ex caſtris ad Tolnam in feſto Ægidii, ſeu 1. Sept. ſcriptæ.

b) Surius in ſuis Comment. ad h. an. & Tubero Comment. ſui temporis toto l. 11. Litt. reg. ad Papam Buda 29. Jun. & ad Portugal. regem: *rogamus M. V. ut fratrem, & affinem cariſſimum, velit & ipſa in Turcas quam maximum poteſt auxilium rebus noſtris pene extremis afferre.* Sic ad alios Principes.

propterea, postquam in Conventu Albensi juramentum, quod pater illum, si legitimam ætatem attigerit, præstiturum pollicitus erat, Ordinibus dixisset, *a)* & regina fuisset coronata, insidelitatis nota perstrinxit. *b)* Subsidium quoque LXXV. denariorum in bellum Turcicum, *Werbòczio* consignandum, viritim decretum, quod & lente exhibitum est, *c)* nec quadraginta quinque mille, septingentos, & quadraginta septem florenos excessit, *d)* exiguo in tanta, communique necessitate, emolumento 1521.

V. Rebus domi aliquantum, ut videbatur, jam pacatis, iter Bohemicum ingressus, vix *Brodam* attigerat, cum Turcæ anni prioris fortuna allecti, pars *Orsovam*, metu desertam, occupavit, pars, Sclavonia percursata, 1522.

a) Litt. regis: *Datum in civitate nostra Alba regali, fer.* 4. *post festum conception. Virginis gloriosæ*, 2. *scilicet die præstiti a nobis juramenti.* 1521.

b) Acta Processſ. Hedervariani.

c) Litt. reg. ad Palatin. ex Broda Alemanica, d. 17. Mart. *Illud autem nobis plurimum molestum est, quod subsidium tarde exigitur, nam ex ea turdatione periculum regno nostro poterit evenire.*

d) Registrum pecuniar. h. an.

1522. ſata, Quinque Eccleſias obſederat. *a)* Palatinus, ut hoſtis progreſsiones moraretur, Zapolyam in Tranſsilvaniam, Banos ad ſuam quemque ſtationem, abire juſsit, ipſe *Zevrinum*, *Temesvarinum*, & *Titulium*, militiæ ſupplementa, & annonam miſit, præ ceteris vero, ut *Jayczam*, *Banyalucam*, & *Orbosvaram*, hoſtibus vicinas, Præfecti diligenter cuſtodirent, mandavit, *Scardonæ* a Turcis circumſeſſæ, *b)* quod longe diſsita eſſet, ſero conſulere poterat, domi quoque, ne factiones alerentur, privatas ſocietates, pro ratione ſui officii diſsipavit, quæ Ludovicus, qui interea cum regina Pragam pervenerat, rata habuit, utque deinceps eadem diligentia, & fide, res curaret, hortatus eſt, præſertim autem, ut ſubſidio pecuniario, quod Ordines promiſerant, mature, riteque exhibendo invigilet, negligentes, aut refractarios, tanta bonorum parte mulctet, quanta dimidio annui proventus reſponderet. *c)* Addidit, a Bohemis

a) Litt. reg. ad Palatin. fer. 2. poſt *Oculi*. *Id autem vehementer dolemus, quod Turci caſtrum Orſova expugnarunt, & Pech obſederunt.*

b) Litt. Marci Juſsich ad reg. Scardona ſabb. ante *Judica*.

c) Regis ad Palatin. Broda 17. Mart. *Quod autem conventiculam illam diſſolvendam curaveritis cum D. Vayvoda* (Zapolya) *grato animo*

mis, & Moravis, ex Silesia item & Lusatia, proxime auxilia Hungaris adfutura, misisse 1522. se ad Conventum Imperialem Norimbergam eadem de causa Oratores, Cæsarem, & Principes ea fuisse benevolentia, ut stipendia pro Romano itinere ei designata. *a*) in bellum Turcicum libenter impensuri sint, modo ipse ageret, ut, quæ aliquoties jam in Comitiis statuta erant, præstentur, ne, si auxilia exterorum adfuerint, & promissa non servari intelligant, nobis ipsis volentes defuisse arguamur. Palatinus sine mora regis voluntatem per Comitatus vulgaverat, egitque, ut copias, & promissum pecuniæ subsidium quisque in numerato habeat; ob dissensiones tamen, quæ Rege absente majora incrementa sumserant, parum, aut fere nihil, contemta Palatini, & Regis

a vobis accepimus, nam certe ejusmodi conventiculæ nunquam aliquid boni attulerunt.

a) Ejusd. ad Comitat. Sarosien. Praga 23. Apr. *Cæsar Carolus, frater & sororius noster — illud auxilium certum, & non contemnendum, quod Principes I. R. Majestati suæ Cæs. pro accipienda corona Imperiali, & pro recuperandis juribus suis in Italia obtulerant, consideratis regnorum nostrorum periculis, annuit, & promisit, ut in nostrum subsidium convertatur.*

gis auctoritate, præstitum est. *a)* Quare non
1522. pauci Prælati, & Barones, qui regni calamitatem miserabantur, inter se fœdus inivere, quo regnum, & regis dignitatem se omnibus viribus tuituros promiserant. *b)*

Eadem Principum Imperii, Hungariæ causa, solicitudo erat. Responsa, quæ Oratoribus Hungaris dederant, hæc fuere: se gravibus eorum rationibus permotos, copias auxiliares missuros, ob pericula tamen, quæ ipsi Germaniæ nunc imminent, tot mitti non posse, quot alias in Conventu Wormatiensi decretæ erant, interim quater mille pedites, in sex menses, esse destinatos, qui XXV. Maji an-

---

a) Litt. Palatini ad Comitat. Sarosien. Bud. 14. Maji.

b) Conventio Prælator. & Baronum fer. 6. prox. ante diem B. Augustini Budæ, in qua hæc leguntur: *quod nos considerantes varias dissensiones, injuriarum illationes, item damna illata, & inferenda, diversosque actus potentiarios, præsertim propter absentiam regiæ M. in dies emergere, neque ab iis desisti, sed potius crescere quotidie, ad talem inter nos unionem devenimus. Imprimis, quod serenist. Principi, Domino Ludovico, fideliter, & sincere, ut alioqui tenemur, serviamus, ejusque statum, dignitatem, & auctoritatem in quibuslibet rebus curare, seu promovere, totis viribus, omnique conatu debeamus* &c.

anno ſequente ad defendenda Croatiæ præſidia adfuturi ſint, modo Hungari neceſſarium 1522.
apparatum adminiſtrent, ſtipendia a Germanis præbitum iri, quibus ipſi annonam ſibi juſto, & parabili precio comparare poſsint: cupere ſe etiam, ut duo primi Ordinis Hungari, qui rationem cum Turcis belli gerendi cognitam habent, Præfecto Germanorum adjungantur, &, ubi præſtitutum ſex menſium tempus fuerit elapſum, auxiliariis liber, ſecurusque reditus præſtetur. *a*)

Cum his reſponſis Oratores dimiſsi, an- 1523.
no ſequente Budam redierunt, quos haud multo poſt, Rex cum conjuge e Bohemia conſequutus, ut exſpectationi Principum reſponderet, Comitia in XXIV. Aprilis indixit. Hæc, periculi vicinitas, nam Turcæ interim *Oſztroviczam*, caſtrum *Zagoriæ* poſt *Cliſſam* munitiſsimum interceperant, *b*) frequentiora, quam alias, reddidit, animosque ad tempus

a) *Acta Norimbergæ die* 22. *Dec. anno Dom.* 1522. Subſcripti ſunt: Ferdinandus Archid, Auſtr. Cæſaris in Imperio Locumtenens, Albertus Cardin. Mogunt. Ludovicus Dux Bavar. Ladislaus de Macedonia el. Epiſcop. Sirmien. Petrus Korlatkewy de Buchán. Mag. cur. reg. Steph. de Werbewcz in Judićiis Locumten. regiæ M. Sigism. Pogán de Cheh.

b) Litt. reg. ad Brodericum, ſuum Romæ oratorem Bud. ſ. d.

conjunxisse videbatur. Res militiae impri-
1523. mis curae erat; decem *Sessiones*, ita fundos nostri Jureconsulti vocant, sine personarum discrimine, unum equitem, clypeo, hasta, vel arcu & pharetris instructum sistent, in iis praesertim Comitatibus, qui plana occupant, qui montana, peditem: Nobiles unius *Sessionis* viritim equites, vel pedites aderunt, si periculum fuerit, nec licebit eis curru proficisci; in quovis Comitatu Rex Praefectum militarem constituet, qui copias, cum mandatum fuerit, regiis conjunctas ducet, si qui mandato regis reluctarentur, eos hostium loco habebunt; expeditione promulgata nemo abesse ausit, si abfuerit, bona amittat: infirmi & senes sibi alios subrogabunt. Quoniam autem confiniis praecipue metuendum erat, statutum, ut duo Praefecti sint in quovis praesidio, quibus poena capitis, & bonorum amissio decreta, si simul abessent, nec unus deinceps duobus praesit, ne, si unum defendere opus sit, alterum amittatur; his tuendis Rex militiam vexillo suo adscriptam, in limitibus collocabit. *a*) Haec fere sunt, quae his Comitiis decreta fuere, *b*) sed, ubi tempus, quo auxiliares copiae

a) Decretum hujus an. in Corp. jur. patr.

b) De subsidio pecuniae nulla in eo fit mentio, quod tamen Rex sibi exhibitum esse in litt. fer. 2. post fest. S. Annae testatur his verbis: *ad cujus*

piæ e Germania adfuturæ erant, jam prope esset, nihil de tormentis, pulvere nitrato, reliquoque ad defendenda præsidia necessario apparatu, quod tamen Imperiales flagitabant, adhuc comparatum. Atque his quidem, si unquam alias, certe anno sequente 1524. opus erat, dum *Solimanus* confecta cum Persis pace, ingentes rursum apparatus faceret, & Croatiam designare videretur. Erat regni hujus, tot hostium incursionibus frequentati, conditio sane misera, & nunc ob annonæ, quondam ab Hadriano Papa submissæ, sed per Præfectos *Segnienses* interversæ, penuriam, summo periculo exposita, cujus defectu arx *Osztrovicza* Turcis dedita, & nisi Clemens Pontifex recens commeatum opportune misisset, etiam *Clissa* peritura erat. Magno tamen nostro commodo accidit, quod *Archmethus*, qui expugnata nuper *Rhodo* inclaruerat, arrepta in Aegypto tyrannide, ulteriores *Solimani* progressiones interceperit, præbueritque Regi

 spa-

---

jus (hostis) conatum repellendum, viribus nostris propriis diffisi, cum ad externorum etiam auxilium petendum nos confugere oportuerit, nullus est subditorum nostrorum ordo, qui non aliquid subsidii nobis in defensionem communis nostræ Patriæ dederit. Adeo manca hujus ætatis Comitiorum decreta habemus.

spacium respirandi. *a*) Fecit, etsi ea ætate
1524. esset, quæ laborum, & curarum impatiens esse solet, omnia, seu suo, seu *Bornemiszæ* consilio, quæ ad servandum regnum pertinere videbantur. Indictus rursum Conventus est, *b*) iterumque tempus magis altercatione, quam opportunis necessitati consiliis, insumtum. In pecuniæ nervo maxime adhæsum; qui, etsi quidem subsidium priore anno decretum, tandem fuisset exhibitum, & Pontifex præterea non exiguam æris summam Nuncio suo, Baroni Antonio de *Burgio*, crediderit, ut, si Hungaros viderit, serio curam salutis suæ, & regni habere, hanc in eum finem impendat, vix tamen in tam varias belli necessitates suffecturus erat. *c*) Itaque infectum argentum,

a) Litt. Pontif. ad Joan. Bornemisza, & Capitaneos Segniens. d. 20. Febr. Regis ad Brodericum Romam, Buda, 8. Mart.

b) De hujus anni conventu dubium exortum, dissolvit Nuncius Apostol. Baro Burgio in litt. sequ. an. ad Sadoletum Pontif. secretar. scriptis, in quibus hæc: *dixerunt (factiosi) velle se interrogare, — quæ causa fuerit, quod decreta anno præterito edita, non fuerint observata.*

c) Litt. Ant. Burgio ad Sadoletum, Buda 6. Dec. *Quod attinet ad erogandam pecuniam, sua sanctitas novit, me semper ejus fuisse opinionis — ut*

tum, & vetus moneta, undique regis nomine conquiri jussa, domus monetaria præter ordinem *Efzekini* ad feriundam ex his pecuniam instituta, *a*) nec, si hæc non sufficerent, quo defectus argenti suppleretur, æs cyprium neglectum. 1524.

Actum etiam, suasu præcipue Pontificis, ut Hannibal Cyprius, erat is inter regis familiares, pacis, bellique studiis apprime excultus, ad *Solimanum* Legatus mitteretur, ut, sin minus consilia pacis admitteret, qui apud Turcas fierent apparatus, quove illi spectarent, diligenter rimaretur, & Hungaria tempore interim ad necessarios etiam faciendos apparatus, uti posset. *b*) His curis regem domi

ut omni opera hos (Optimates intelligit) *inducerem ad honestam aliquam deliberationem, offerens eis auxilium D. nostri, &, quia id hactenus efficere non potui, totam pecuniam detinui, — & toti regno cum publice in congregatione, tum privatim in consilio, cunctisque Nobilibus palam feci, sanctitatem suam non deesse defensioni Hungariæ, — ut nemo in Hungaria sit, qui mentem suæ S. non sciat, non laudet &c.*

a) Regis litt. patentes ad comitatus. Bud. 27. Octobr.

b) Ejusd. ad Brodericum Romam: *Si SS. domino nostro videatur, nobis profecto non displicet,*

domi occupatum, mirum eſt, etiam Daniæ
1524. regis patrocinium, in conſortio aliorum, ſuſcepiſſe. Ejectum, religionisne novatæ; an alia cauſa? incertum, anno priore a ſuis regno, cum conjuge Pontifex, Cæſar, Rex Angliæ, ceterique Principes, ne inaudita multis ſeculis ſeditio ad alias Nationes, & in exemplum transiret, communiter tuendum ſuſceperant. Conventum propterea *Hamburgum* indixere, quo Ludovicus ſuum quoque Legatum eandem ob cauſam miſerat, additis ad reliquos Oratores litteris, quibus, nullam ſibi meliorem rationem ad reſtituendum regem videri, ſignificat, quam ſi operam dederint, ut concitatæ multitudinis animos mitioribus conſiliis ad manſuetudinem, & obſequium ſenſim flecterent, hanc viam ſe arbitrari eſſe commodiſsimam ad æſtum temperandum, qua ſi nihil effici poſſet, ſe cum Cæſare, & patruo ſuo, rege Poloniæ, aliisque Principibus, communem cauſam facturum, nec admiſſurum, ut Princeps, dignitate, & regno inique ſpo-

cet, ut Hannibal Cyprius legationem ſuam exequatur, proderit enim fortaſſe nunc, vel impoſterum, ſi ille Princeps de noſtra voluntate fuerit factus certior. Poterit inſuper ad nos ex illis partibus explorata reportare, quod magno uſui nobis, ac toti Chriſtianitati eſt futurum &c. Bud. 8. Mart. Intermiſſa tamen fuit Legatio.

ſpoliatus, calamitoſam exilii conditionem diutius perferre cogatur. *a)* Hæc ille, ex animo ſuo alios metiens, conſilia ſuggeſſerat, quæ quidem, ſi confeſtim in principio adhibentur, aliquando prodeſſe, ſin autem ſero, quod ipſa mora jam nullus auctoritati locus ſit, plerumque obeſſe ſolent, quemadmodum ipſe non multo poſt fere expertus erat. 1524.

VI. Interea Turcæ, quos nihil fere eorum, quæ in Hungaria agebantur, latebat, 1525. expugnato *Zevrino*, ingentem claſſem in Danubio, & Savo parabant. *b)* Minime dubium erat, quin, ut Rex ad Pontificem perſcripſerat, apparatus hi ad ſubjugandam penitus Hungariam pertinerent. In Bulgaria nihil jam juris Hungarici ſuperfuit, in Bosnia & Servia quædam ſolum, eæque hoſtibus circumſeptæ reſtabant laciniæ, Croatia tot incurſionibus propemodum exhauſta, Valachia, & Moldavia maximam partem jam ſub-

a) Ejusd. ad Convent. Hamburgen. Bud. 1. Maji.

b) Litt. Ant. Burgio ad Sadoletum Bud. 6. Dec. 1524. *Moldavus miſerat huc nuncium ad regem, & ſignificat, quemadmodum in Danubio in confinio Moldaviæ Turcus, neſcio quas triremes conſtrui faciat, & ab Archiep. Colocen. ſua M. intellexit, quod in Savo — Balibegus multorum hominum opera naves militi transferendo idoneas apparari faciat, & quod undique audiatur apparatus contra Hungariam.*

ſubacta erat, ut adeo nihil hoſti jam obſtaret,
1525. quo minus in ipſa regni viſcera grafſetur. Huc quinquennio conatus illius pertinebant, dum vicinas regno provincias, quæ hactenus tutamentum Hungariæ erant, ſenſim carperet. Hæc palam fiebant, quibus tamen ſomnolente obviam itum fuit. Nunc quoque ad tantos aqua, terraque hoſtis apparatus, domi omnia fere imparata. Nec ex Germania, etſi promiſſum fuerit, magna auxilii ſpes affulgebat, quod Cæſar cum Gallorum rege, bello implicitus eſſet, & Principes Imperii ob novum doctrinæ genus, a *Luthero* monacho recens invectum, inter ſe diſsiderent, & ruſtici in Germania tumultuarentur, Poloni autem ægre ſe ipſos defenderent. Soli igitur Hungariæ cum hoſte formidando luctandum erat, nec, conjuncto cùm Bohemis, *a*) Moravis, aliisque regis ditionibus, ſtudio, ei impar erat futura, ſi animi diuturnis factionibus ſciſsi, in tam vicino, & communi omnibus periculo, conciliari potuiſſent. Tentatum id ſæpe eſt per Comitia, nihil tamen

a) Id. ad eund. Bud. 26. Apr. 1525. *Exiſtimo ſignificandum ſuæ ſanctitati, quod e Bohemia haberi poſſent a* 25. *ad* 30. *millia peditum optimorum, ac florentiſsimorum, — &, ſi ad eum finem exercitus eſſet conſcribendus, id mihi convenientiſsimum videretur, — quia gens illa eſt admodum bellicoſa &c.*

men profectum, magno eorum dolore, qui futuros eventus profpiciebant, & horrebant. Rurfum igitur ad Comitia, velut ultimam falutis anchoram, perfugium factum, quorum acta fide eorum, qui illis intererant, & magnam in eis partem habuere, *a*) quoad fieri poteft, paucis complectar, ne, quantum pofteri a Majorum gravitate in confiliis, & communi in bonum publicum ftudio, quæ Comitiorum anima effe debent, fenfim deflexerint, ignoremus. 1525.

Indicta fuere ad XXIV. Aprilis. Confluxerat in campum Peftienfi urbi adfitum, *Rákos* ei nomen, frequentifsima Nobilitas, fed præter morem armata, quod non optimi exitus præfagium erat. Primus congreffus, quod nuncius a *Solimano* per idem tempus advenerit, utcunque pacatus abiit, hoc autem digrefso, cum X. Maji, erat is dies Mercurii, ad Divi Petri Ecclefiam in urbe, antefignano *Werböczio*, convenilfent, unanimi confenfu decreverant, fe, fi Rex arma poni juberet, nihilo-

a) Fuere autem hi: *Ant. Baro de Burgio* ad aulam regis Nuncius Apoftolicus, cujus ephemerides Comitiorum, item epiftolæ annor. 1524. 25. & 26. ad Sadoletum Pontif. fecretarium in Ms. exftant, inter Vaticana Tom. XXV. Alter *Michael Csáfzár*, qui inter regem, & conventiculum Hatvanienfe, internuncium egit, cujus *Diarium* itidem in Ms. exftat.

losecius hæc servaturos esse, in novam mo-
1525. netam perinde, ut in Emericum *Szerencsenium* a) non ita pridem Christianum ex Judæo factum, & monetariæ rei præfectum, invecti; nec Palatino parsum, in quem culpam amissi nuper Belgradi conjecerant. Hæc præludium quoddam futurorum erant. Rex, misso ad eos Nitriensi Episcopo, causam adventus petiit, monuitque, ab armis abstinerent, his contra hostem uterentur, nunc consiliis ad communem regni salutem opus esse; responsum est, de his, &, si quid præterea Rex proponendum haberet, die Veneris actum iri, sibi autem in animo esse, arma conservare. Sequenti die Budam ad Divi Joannis eadem frequentia profecti, eadem regerebant, poscebantque, ut integrum sit colonis, ad quem volent, dominum migrare, auctores, qui causa fuissent, cur anni prioris statuta non serventur, ad necem deposcebant, Germanos quoque, nisi ab aulæ ministerio removerentur, se trucidaturos, comminati sunt. Die Veneris in Strigoniensem Archi-Episcopum ira conversa; b) eum regni depilatorem esse, in-

a) Istvanfi ad annum 1521. illum, voce ex Hungarico in Latinum traducta, *Fortunatum* appellat, & post Joan. Bornemiszam ærario præfuisse scripsit.

b) Diar. Ant. Burgio: *in questo giorno mi scrisse Strigoniense una polisa che dicea* „Hæc Dieta ha-

indignum videri, ut sutoris filius tanto Sacerdotio fruatur, cupere se, ut Rex, uno e Proceribus comite, ad Nobiles venire ne gravetur. Abnuit, & primum, qui eos ad concordiam hortaretur, Nuncium Apostolicum, mox Episcopum cum uno ex Baronum Ordine, misit, qui subsidia in bellum Turcicum peterent. Dilatum responsum est, & LX. oratores delecti, qui a Rege postularent, primum, ut Germanis, aula exesse jussis, Hungaros substitueret; id m enim fecisse Ferdinandum Archiducem Austriæ, qui, ducta regis sorore, Hungaros, suffectis Germanis, amoverit: alterum, ut Cæsaris, & Venetorum, Oratores, quorum ille se rebus Hungaricis, non rogatus, ingereret, hic vero exploratoris potius, quam Oratoris, personam ageret, confestim domum remittantur, tertium, Consiliarios, etsi Comitiorum suffragio constituti prius fuissent, ut mutet, quartum denique, ut *Szerencsenium*, cujus fortunas paulum ante diripuerant, rogo addicat. Ad respondendum induciæ quatuor dierum datæ, nec se passuros, ut, quod in vulgus sparsum erat, Buda, & Pestinum milite armaretur, alioquin, concitis e vicinia rusticis, se utramque urbem commeatu interclusuros significabant. 1525.

Rex

habet satis turbulenta principia, nescio, quis erit finis."

1525. Rex, ut vidit, rem huc rediisse, responsa studiose differebat, ratus, quindecim dierum tempus, Comitiis præstitutum, prius elabendum, quam ad ea reddenda cogeretur. Nec illi, quid hæc procrastinatio sibi vellet, ignorabant. Rursus igitur, CXX, oratores missi, qui idem peterent: de *Szerencsénio* quæstionem habendam, Rex promiserat, Oratores autem, & Germanos, quin Principes eorum graviter offendantur, nunc dimitti non posse, respondit, facturum tamen se, ne deinceps justam propterea conquerendi causam habeant. Cum his responsis ad suos regressi, non perinde ab omnibus accepti sunt, additæ etiam minæ, &, nisi Rex ad Conventum veniret, se, ne regnum pereat, seorsim constitutiones ad id servandum edituros. Sub hæc illud perincommode evenit, quod Orator regis Poloniæ se rebus ingesserit, &, ut lis de bonis Laurentii Ducis ab *Ujlak* ad finem perducatur, a Rege peteret. Facile intelligi poterat, a Zapolya subornatum fuisse. Nam is bona Ducis ab intestato mortui, quæ ad Fiscum regium redierant, ad se pertinere contendebat, quod Dux ea sibi ante mortem dare pollicitus fuisset. *a)* Rejecta est petitio, quod

a) Diar. Mich. *Császár. Wayvoda* (Zapolya) *cum Laurentio Duce jam mortuo sic pactum fecisse dicit Majestas sua, ad hæredem regium descen-*

&c.

quod Orator nequaquam ex mente Principis, a quo miſſus erat, loquutus fuiſſe videretur. 1525.
Difflata hac machina, iterum CXX. Oratores poſtulatum ad regem miſsi, ut ad Nobilium congregationem veniret. Venit ſequenti die, erat XVIII. Maji. Hic petitiones ſuas in plura capita diſpeſcere cœperant, inter quæ illud quoque, ut moneta, cupream indicabant, aboleatur, & Transſilvanis immunitates confirmentur, magis de hac, quam Hungaria ſoliciti, hoc eſt, in partem Zapolyæ potius, quam regis proclives, ceterum paſſuros ſe, ut poſtulata quatuor capitibus, quæ jam prius propoſuerant, abſolvantur; de Conſiliariis hanc Regi gratiam ſe facere, ut de iis, quemadmodum promiſiſſet, conſtituat. Rex ſpacium diei ad reſpondendum petiit; occlamatum eſt, &, intermixto fremitu, poſtulatum, ut ſine mora reſponderet. Satellites, ut viderant, tam parum dignitati regiæ deferri, pauca pro tempore loquentem, paulatim e medio ſubductum

dere, & juſte dicit, nullum enim denarium propter jam dictum bonum Laurentii Ducis, Wayvodam ſolviſſe ſua Majeſtas dicit, — præterea varias fodinas, quas hucusque Wayvoda minus recte tenuit, Sua M. certe juſtiſſime reoptat, cum & antiquum Decretum talia omnia ad aulam regiam deſcendere dicat. &c.

ductum, navique impositum, Budam reduxere.
1525. Abhinc æstuare animi, nihil fieri certo consilio, &, ut evenire solet, cum impetus rationem prævertit, secessione facta, alium Conventum, ad diem XXIV. Junii *Hatvaninum* indixere, viris, qui non essent adfuturi, pœnam capitis, & bonorum amissionem, eorum vero uxoribus, filiis, & filiabus perpetuam ignobilitatem comminati. Hæc a X. Maji, ad vicesimam secundam acta fuere.

VII. Dilapsa Nobilitate, arduum erat in re ancipiti consilium, quod pars Prælatorum a Magnatibus, & hi a Nobilitate dissentirent, nec hæc inter se penitus consentiens esset. Fuere, qui Zapolyæ potentiam veriti, eum officio *Vayvodatus* Transsilvaniæ privatum cupiebant, ille contra Palatinum gradu movere, eique *Werböczium* substituere, cujus opera facilius dominatum arripere possit. Hinc uterque contrariis studiis agi, parare largitionibus clientes, prensare Nobiles, & in consortium Prælatos, & Magnates concire. Nec Strigoniensis, cui cum Agriensi Episcopo simultas intercesserat, culpa vacasse credebatur, quem dissoluti cum tanto tumultu conventus auctorem plerique habebant, & contumelias prius in illum jactatas, solum simulatas fuisse. Rex inops consilii, jam hanc, jam illam partem amplecti visus est, nec palatinales satis expeditas rationes habebant, donec paucorum, qui regis, regnique sortem mise-

miserati, & neutri factionum addicti erant, suasu, literas V. Junii per provincias vulgasset, quibus præceperat, ne Conventui *Hatvaninum* indicto interessent, aliumque in XXIX. Septembris, auctoritate regia præstituit. *a*) 1525.

Serum id jam erat. Convenere ad condictum diem, & locum, ac postulata tanto acrius instaurabant, quanto ægrius se antea pollicitationibus circumduci patiebantur, regemque, ut ad Conventum venire vellet, rogabant. Ivit, licet multis, qui ejus saluti metuebant, invitis: euntem comitati sunt, Nuncius Apostolicus, regis Consiliarii, & Principum Oratores, quos prius regno ejectos cupiebant. Acceptus est pro regia dignitate, & in patentem campum, more amphitheatri, lignis circumseptum, inductus, supremo loco cum Consiliariis consedit, extra septum, ne quid obturbari posset, septem millia Nobilium equ tum excubabant, cetera vulgus erat. Tum *Verböczius* manu silentium poscens, orationem patria lingua non

 in-

a) *Nam nos*, inquiebat, *illuc non ibimus — neque dominos illuc ire patiemur; solus autem ordo vester, aliis Ordinibus absentibus, concludere aliquid perfecte non posset. — Nos enim, qui sumus Rex, & Princeps vester, auctoritate nostra regia decernimus, illos omnes, qui ad præscriptam Dietam non venerint, salvo eorum honore domi manere posse.*

indisertam habuit. Orsus est a malis, qui-
1525. bus Hungaria aliquot jam annis premeretur, horumque causas longo ordine retexens, quantumque Nobilitas, ut his consuleret, hactenus fuisset solicita, explicans, sensim eo delapsus est, ut, collaudato rege, invidiam omnem in ejus Consiliarios conjiceret, qui studio corradendi divitias, curam rei publicæ in postremis habuerint, unde factum, ut ærarium regium sensim evacuaretur, nec aliam his medelam esse, quam ut Rex se respiceret, &, Consiliariis loco motis, alios subroget, quibus & bene consulendi facultas, & ea Patriæ charitas sit, qua sola ducti curam omnem neglecto privato commodo, rei publicæ impenderent, quod si fieret, polliceri se, neminem Nobilium esse, qui non paratus sit pro rege, & regno vitam, & fortunas profundere. Hæc cum solidas duas horas perorasset, ad circumstantes conversus, quæsivit, an, quæ oratione complexus fuisset, vera, firmaque haberent? vera, firmaque haberi affirmabant, sed qui se a *Verböczio* notari senserant, pauca pro se loquuti sunt, inter quos Strigoniensis etiam Archi-Episcopus erat, non iis tamen, quibus ante, conviciis petitus, Palatinus contra illiberaliter habitus, qui indignum esse ajebat, ut, quos Rex delegisset, Nobilium judicio priventur officiis, se, si jure standum fuerit, facturum, ut umbræ, quas aliqui illis objicerent, facile dissipentur, plura parantem loqui convicia,

&

& fremitus exceperant. Rex, ut indecoro litigio finem faceret, consessum dissolvit, & Palatinus ob concitatam in se multitudinem, ægre celeri equo Budam eluctatus est. 1525.

VIII. Postridie, duo ad Conventum missi, qui regis nomine nunciarent, iniquum videri, ut, quos ipse publicis regni officiis præfecisset, non auditi, iis priventur, finerent illos secundum leges patrias jure experiri, & innocentiam suam testatam facere, quod non eodem ab omnibus animo acceptum erat. Fuere, & hi numero trecenti erant, qui regem æquam rem petere, eique morem gerendum, ajebant, alii contra vociferatione adversum nitebantur, & ne tergiversationi locus esse posset, *Werböczium* palatii Comitem creant, mittunt ad regem nuncios, qui orent, ut electionem ratam habere vellet. Is, ut tempori serviret, quid enim, quando huc res jam venerat, aliud faceret? Agriensem, & Veszprimiensem, Episcopos, Joannem item *Dragsi*, & Ladislaum *Kanisay*, ad eos ablegat, qui Palatini electionem sibi probari significarent, a) illi confestim *Werböczium*

 hu-

a) Confirmatam illi fuisse dignitatem, testes sunt regis litteræ, quas sabbat. prox. post festum B. Michael. ita inscripsit: *RR. in Christo Patri D. Ladislao Archiep. Eccles. Strigonien. nec non spectabili, & Magnificis, Stephano de Wer-*

humo ſublatum, priſco more, Palatinum ſa-
1525. lutant, & conniventia regis abuſi, Agrienſem renunciant Cancellarium, Judici Curiæ regiæ *Dragſium*, & *Kaniſajum* regni *Theſaurario* ſubſtituunt. Diſsimulandum id quoque regi fuit, & ſequenti die in medium Nobilium ſe inferens, eorum, quæ ſtatuiſſent, ſibi capita prælegi juſsit. *Werböczius* nihil moratus, contenta, ut ab omnibus audiri poſſet, voce, in hanc ſententiam ex ſcripto recitavit: Rex Conſiliariis, quibus hucusque uſus eſt, alios ſubſtituat; his octo adjungantur ex Nobilium ordine, quorum in ferendo ſuffragio æqualis ſit cum Magnatibus auctoritas: in quovis Comitatu deligatur vir belli peritus, qui copiis præſit, equitibus ad menſtruum ſtipendium addatur florenus auri, duæ monetæ cupreæ unam argenteam deinceps æquent: fodinas, & rem monetariam *Szerencsenius*, quem prius rogo addixerant, pro *Fuggeris* adminiſtret: *Segniam*, quod commodum portum habeat, Rex a *Frangepanum* familia recipiat, & deſignatis alibi fundis compenſet, denique, quo omnia a principio ſpectare videbantur, ut bona Laurentii Ducis de *Ujlak*, reſecta penitus lite, Zapolyæ confirmet,

---

Werbewcz, prædicti noſtri regni Hung. Palatino — Joanni Draghffi Jud. curiæ noſtræ &c. Hodie tituli *Magnificus*, & *Spectabilis* præpoſtero ordine uſurpantur.

met. *a*) Hæc, ut *Verböczius* finiit, Rex, quod ſibi nullum deliberandi tempus eſſet datum, rata habuit, queſtus tamen eſt, jus ſuum regium, quod Nobilitas hactenus ſumma fide intemeratum ſervare conſueſſet, graviter læſum fuiſse. Viſus plerisque eſt, deferveſcente ſenſim animo, jure queri, &, ſi quæ ſtatuenda ſupereſſe viderentur, ejus arbitrio permiſere, adjecto in quamvis domum unius floreni auctario, cujus quarta pars, reginæ dono obveniret. Re huc adducta, ſoliciti, ne ob ſeceſsionem, apud regem Poloniæ invidia laborarent, Paulum de *Arthandy*, & Michelem *Kendereſsy* de *Gyal*, utrumque Zapolyæ familiarem, ad Sigismundum miſerant, qui actorum cauſas redderent, &, quam poſſent, ſpecioſe extenuarent. *b*) 1525.

Nobilibus Hatvanino digreſsis, conſultatum eſt, quæ ratio ineunda videretur, ut jus regium tantopere læſum reparari, &, quæ ei extorta erant, commode irritari poſſent. Nec enim jam obſcurum erat, Zapolyam, velut in machina latentem, rerum *Hatvanini* transactarum motorem fuiſſe. Ab ejus nutu tunc

Q q 4 pen-

a) Hæc magnopere variant a ſtatutis an. 1524. quæ in Cod. jur. patr. exſtant.

b) *Informatio data Egregiis Paulo de Arthandy, & Michaeli Kendereſſy de Gyal, ad ſereniſsimum D. Sigismundum Pol. Regem deputatis an.* 1525.

pendebat Nobilitas, poſtulata, illo moderan-
1525. te, jam aucta, jam arctius contracta, quædam etiam, ut Germani ab aula removendi, ad ſpeciem tantum propoſita fuere, cum enim id in Conventu maxime ageretur, clam admoneri reginam fecit, metum poneret, Germanos manſuros; nunc vero Palatinum, opus manuum ſuarum, in aula conſiliorum moderatorem, novos Conſiliarios ſuæ parti addictos, & armorum Præfectos largitionibus ſibi devinctos, in quamcunque vellet partem flectere, pronos ad imperata habebat. Acceſſit illud quoque, quod recens acceſsione bonorum Laurentii Ducis, quæ amplisſima fuerunt, rege ipſo, cujus proventus partim in pignore, partim a Magnatibus direpti erant, a) ſi non ditior, certe paulum inferior redditus eſſet, qua

a) Diar. Mich. *Csáſzár.* Item fidelitas Baronum, quorum bona, ſi ſine hærede morerentur, ad aulam regiam, & hæredem Regem deſcenderent, ex quibus ſervitoribus ſolvere, vel eos nobilitare Sua Majeſtas poſſet, ſic agunt, cum mortem eorum appropinquare ſperant, duo & duo bona eorum colligunt hoc modo; ut, ſi quis eorum ſine hærede, vel fratre paupere exiſtente, bona quem concernerent, moreretur, ex tunc bonum hujus in alterum deſcenderet, & e converſo. Per talem aſtutiam talium plus quam 50000. Jobagionum ab aula regia alienarunt.

qua ratione cum ſumtus, militiam, Conſilia aulica, & magnam Nobilium partem in poteſtate haberet, nihil pronius erat, quam ut ad regiam dignitatem, cujus indicia jam ante non obſcura dederat, ſenſim eluctaretur, ut adeo rumor etiam in vulgus paſsim manarit, Rege peremto, reginam eidem collocandam eſſe. *a)* Hæc ut aliquot Magnates Patriæ ſtudioſi, & Regina inprimis, Rege perſpicacior, quo tandem evaſura eſſent, facile intelligebant, ita non habebant modum in promtu, quo adverſum niterentur: vim adhibere, nondum ſedato penitus animorum æſtu, inconſultum videbatur; illud proinde illis e re viſum, ut Nobilitatem a Zapolya abſtraherent, quod quidem, niſi *Verböczio* in ſuas partes pellecto, vix ſperari potuit; cujus perficiendi rationem dum inter ſe exigunt, ipſe paulo poſt occaſionem imprudens præbuit. Poſt adeptam enim Palatini dignitatem, ut hanc ſibi ſtabiliret, inita cum Strigonienſi Archi-Epiſcopo, aliiſque ſocietate, totum ſe homo novus, contemta Nobilitate, Magnatibus applicuit, iſtiſque magis, quam Regi, cœpit obſequi, nec eorum, quæ in Conventiculo Hatvanenſi, ſe auctore, conſtituta erant, etſi crebro a Nobilitate mone- 1525.

ne-

a) Epiſt. Baron. *Burgio* anno 1525. d. 11. Jul. *Dicono, che mandaranno il Re via a regnare in l' altro mondo, farian lo Vayvoda Re, & li daran per moglie la Regina.*

neretur, quidquam opere ipso præstitit. *a*) Hoc
1525. illicio captus, inter Sacrum, & Saxum hærebat. Nobiles enim, cum se viderent per dolum ab eo circumduci, aversari primum hominem, dein sensim in regis partem transire cœperant, & Zapolyæ auctoritas imminui. Regina huc rem adductam videns, paulatim quoque effecerat, ut ex Baronibus, & Nobilibus non temnenda societas, sigillis etiam firmata, cui *Kalandos* nomen inditum, *b*) contra

a) Diar. Mich. *Császár. Commiserat Conventus Palatino, quatenus omnia ista illegitima* (quorum Consiliarii regis arguebantur) *ad certum finem ordinaret, &; si propter aliquid id facere non posset, per Comitatus scriberet, & viritim in auxilium suum consurgerent. Nec scripsit, nec aliquam curam de ordinandis habuit.*

b) De hac societate Franc. de Batthyán ad Thom. Nádasdi anno 1559. d. 2. Nov. ita scripsit: *Ubi autem Magnificentia V. certior fieri cupit, an illa antiqua confœderatio, quæ* Kalandos *dicta fuit, cum consensu, & scitu sereniss. regis Ludovici facta sit, possum M. V. significare, eam cum scitu, & annuentia ejusd. sereniss. regis esse initam, & quidem contra Joannem regem, qui tunc erat Vayvoda Transsilvaniæ, & Budæ est conclusa, atque sigillata multorum Nobilium, & Dominorum consensu, — & prout erat, non erat regi perniciosa;*

tra Zapolyam coalefceret, tempori tamen, ut animi magis confpirarent, aliquid tribuendum putabat.

IX. Nec id diu abfuit, dum ineunte anno Turca, Paulo ei poftea nomen, non poftremi ordinis, Budam transfugit, & Solimani confilia de invadenda Hungaria prodidit; deftinaffe illum per Transfilvaniam primum, collectis in Moldavia, & Valachia LX. millibus peditum, & equitum, irrumpere, Budamque, regni caput, obfidere, fe ipfum deliberationi huic adfuiffe, deinde Rafcianum effe advocatum, qui iter illud, quod Danubius femel, iterumque, & Tibifcus etiam non fine moleftia transmittendi effent, difuaferit, rectaque, Savo ac Dravo transmifsis, commodius Budam perveniri poffe, affirmarit, atque id Solimano fuiffe probatum, & expeditionem anno elapfo ipfis Calendis Decembris per omnes provincias effe vulgatam. Hæc Turca in Confilio retulit. a) Sufpecta primum fuit hominis fides, dubitatumque, an non in transfuga exploratorem difsimulet, fed, ubi a Nuncio Apoftolico variis quæftionibus exagitatus erat, 1526.

com-

fa; ubi autem deventum eſt ad faciendas expenfas, & fumtus, certe quilibet fe fubtraxit, — pauci perfeverarunt. &c.

a) Cognomine *Bakics* & a baptifmo *Paulus*, in Nobilium ordinem a rege cooptatus, qui bello poftea fub Ferdinando inclaruit.

compertus fuit idem esse, qui crebro alias ex
1526. Turcia Regi vera nunciare solebat. Bellum igitur parari certum erat, quod Zapolya quoque ex Transsilvania significavit, & ex copia navium, quas *Beglerbegum* ad Belgradum congregare, nunciatum fuit, magis in dies firmabatur. De induciis, quibus fortasse exitium differri poterat, ne cogitandum quidem fuit, de quibus cum Legatus Poloniæ Ibrahimo Bassæ mentionem injecisset, responsum accepit, quod bellum præ illis indicare videbatur. In tam præsenti instantis belli periculo Rex nuncios in Bohemiam ad celebranda Comitia, & oratorem ad Poloniam pro suppetiis misit, a Pontifice etiam subsidia implorabat. Poloni quidem ob recens conciliatas cum Turcis inducias, metuebant hostem in se irritare, Pontifex vero, qui Hungariæ funus indictum videbat, quinquaginta aureorum millia Regi subsidio misit, & præterea Galliæ Regem, ut periclitanti regno tempestive velit succurrere, obtestatus est. a) Regina tempus opportunum adesse rata, conjugem monuit, ne ab exteris solum opem corroget, verum domi quoque, coacto Nobilium conventu, necessarios appara-

ra-

a) Litt. Pontif. ad reg. Gall. Roma 23. Apr. *Itaque & alias sæpe submissis subsidiis, nunc quoque ad* 50000. *Ducatorum in Hungariam destinare cepimus, ex qua pecunia manus aliqua virorum fortium parari possit.*

ratus satagat antevertere. Rursus igitur Ordines pro XXIV. Aprilis moniti sunt, ut adessent. 1526.

Primi omnium, ducenti Nobiles ex societate *Kalandos* ad *Kecskemetinum* collecti, cum ingenti rusticorum caterva aderant, qui, etsi quidem regi contra Zapolyam faverent, minus tamen æquanimiter, Paulo *Arthandio* interprete ferebant, quod Stephanum *Brodericum*, Roma reducem, nulla dignitate Ecclesiastica conspicuum, regni Cancellarium præteritis aliis constituisset, petebantque alium ei subrogari. Id ex subornatione quorundam ex Prælatis, qui hanc provinciam ambiebant, factum non vana suspicio fuit. Res tamen, declarato illo per regem Sirmiensi Episcopo, mox composita est, actumque, ut reliquæ etiam Nobilitati liberum esset, nomen suum in hac societate profiteri 7. *Werböczius* ex his initiis malum finem præsagiens, etsi sæpe alias ad aulam accersitus venire renuerit, die XXVIII. Aprilis tamen sponte regem, & reginam adiit, & se Palatini officio abdicavit. Remissus, & responsum domi jussus est præstolari, idem Bathorio, qui causam suam judicio decerni petierat, mandatum. Quod cum Rex missis ad Nobiles duobus internunciis significari curasset, monuissetque, quam parum regiæ dignitatis anno præterito memores fuerint, veniam erratorum se omnibus vel ea de causa facere, indicari jussit, quod sciret, culpam unius solum, qui eos seduxerat, fuisse, mo-

do,

do, poſitis armis, conatum omnem ad Pa-
1526. triam, cui ſummum periculum inſtet, ſervandam unanimiter conferrent. Quibus auditis, confeſtim arma poſuere, Rex collaudatus, *Bathorius* dignitati reſtitutus, & *Werböczius* tamquam Nobilium ſeductor diris devotus, & conviciis proſciſſus eſt, quod ut ille comperit, & a Bathorii familiaribus ſe ad necem deſignari intellexit, concubia nocte in Tranſsilvaniam fuga ſe ſubduxit. Actum poſtea de confiniis defendendis, &, ut Epiſcopi, Abbates, & univerſi Eccleſiaſtici in dignitate conſtituti ad bellum ſe accingant, qui renuerent, beneficiis priventur, *Werböczio*, cujus domus ægre a direptione ſervari potuit, triduum datum, ut ſe judicio ſiſtat, ni faceret, pro rebelli habeatur, &, ne poſthac Palatinus absque gravi cauſa loco moveatur, decretum. His conſtitutis centum ex Nobilibus delecti, qui Magnatibus conjuncti, de iis, quæ tempori opportuna viderentur, conſultarent, & ad regem referrent. Hæc ad ultimam Aprilis diem acta.

Calendis Maji Rex, & regina, accerſitis ad ſe Prælatis, in memoriam revocabant, quam multis beneficiis a patre ſuo, & a ſe etiam affecti fuiſſent, æquum proinde videri, ut vicisſim gratum animum factis teſtentur, non ſe quidem de eorum fide, qua illos in regem ferri oporteat, dubitare, viſurum tamen, quid in proximo Comitiorum conſeſ-

ſu

ſu præſtaturi ſint, neque, addebat, id de nihilo a ſe memorari. Poſtremis verbis, cum 1526.
ſe tacite notari ſenſiſſent, actis pro benevolentia gratiis, ſe ad omnia, quæ ex uſu rei publicæ eſſent, promtos eſſe, poenaque dignos videri, qui aliter agerent: ad quæ regina, ſibi morem eſſe, repoſuit, animos ex factis, non verbis, metiri. Aderat & nuncius Apoſtolicus, qui Epiſcopos, nam & hi inter ſe diſsidebant, nomine Pontificis ad concordiam adhortatus eſt. Poſtridie legum ſanctiones regi exhibitæ ſunt, inter quas cum regina & illam legiſſet, qua decernitur, ut Rex, & Proceres, fide dignos viros deligant, qui viderent, utrum proventus regii integra fide adminiſtrentur: arrepto calamo lituram illi induxit, adjecitque; *unus Rex, unus Princeps*: quæ verba Nobilitas graviter tulit, nec ſatis conſulte a regina factum, quod facile ſuſpicionem de ſe concitare potuerit, quaſi ipſa ex his lucri compendium quæreret; ſuaſit idcirco regi, & reginæ Nuncius Apoſtolicus, ut opportuna tempori moderatione uterentur, alioquin videri, utrumque plus lignorum igni injicere, quam ut ei poſtea exſtinguendo pares ſint. Perlectis ad calcem ſanctionibus, Rex cum conſiliariis in Comitium ſe intulit, & omnibus, quæ Ordines ſtatuerant, confirmatis, *Werböczium* cum Michaele *Zobio*, velut everſores regiæ dignitatis, & publicæ tranquillitatis turbatores,

regni

regni hostes declaravit, bonis utriusque, salvo uxorum jure, in Fiscum redactis, quam sententiam Ordines suo etiam judicio, ratam gratamque habuere. a) Reliqui dies a quinta Maji ad octavam componendis dissidiis, quæ Prælatos cum Magnatibus, & utrosque cum Nobilibus hactenus commiserant, absumti. Usus item monetæ cupreæ, quæ in Conventu prioris anni decreta, & hoc ineunte, eam recipere nolentibus poena amissionis bonorum, rerumque omnium dictata fuit, b) confirmatus. Aliquid etiam moræ ab iis, qui in societatem *Kalandos* coaluerant, & se *confratrum* nomine appellabant, injectum, inter quos, & Proceres, quod Rex illis favere præ his videretur, simultas exorta,

1526.

a) Documentum vide apud Pray annal. Par. V. pag. 86. sed annus 1525. erroneus est, & 1526. rescribendus.

b) Litt. regis ad civit. Bartpham, Bud. 22. Jan. *Intelleximus esse plurimos, — qui contemta publica ordinatione, quam de usu, & æstimatione novæ monetæ — una cum dominis Prælatis, Baronibus, ceterisque regnicolis nostris fecimus — easdem novas monetas contemnerent. — Est igitur voluntas nostra, — ut secundum ordinationem factam, duæ novæ monetæ pro una antiqua dentur, — sub poena confiscationis bonorum omnium, ac rerum &c.*

ta, *a)* quæ animos Procerum ſenſim a rege ita alienos reddidit, ut is, utri parti ſe adjungeret, primum hæreret, mox increſcente paulatim diſceptationis fervore, cum ſibi utrinque, ſi quid periculi regno ingrueret, mutuas objectationes regererent, inops conſilii, & fluctuans pene ab omnibus desereretur. *b)* 1526.

X.

---

a) Litt. Ant. Burgio Bud. menſe Majo: *Proceres diſcordant a confratribus, & alienati ſunt a Rege, Rex autem, poſtquam tantum favorem exhibuit confratribus, nunc ejus pœnitentia ducitur, & neſcit, quid ſit facto opus, an forte debeat illis adhærere, an reverti ad partem Procerum* &c.

b) Hæc ex Diario Baron. de Burgio, item ejusd. epiſtola ad Sadoletum Bud. d. 24. Maji. & de interna, quæ circa tempus S. Georgii fuit, regni conſtitutione, in qua, ubi agitur, ut Rex ſua auctoritate utatur, hæc occurrunt: *Rex reſpondit, quod bono animo hanc ipſorum voluntatem ſuſcipiat, promtusque ſit agere, quod poſſet, ſed ad defenſionem regni, & auctoritatis regiæ, opus eſt pecuniis, Majeſtatem autem Suam non habere tantas, quantæ ad id ſufficerent, &, ſi ſibi reditus oſtendiſſent, oſtendiſſe eos multo majores, quam re ipſa ſint. — Majeſtatem ſuam facturum, quod poſſet, ſed ad impoſsibile obligari nolle, & ita proteſtata eſt*

 eti-

1526. X. Hic Comitiorum exitus, & novum dissidii alimentum erat, importuno prorsus tempore, cum vix soluto conventu nunciatum esset, Turcarum antesignanos duces cum parte copiarum, ad Belgradum consistere, *Solimanum* consequi cum robore exercitus, Savum, & Danubium sterni pontibus, & Hungariam designari. Missa quidem confestim mandata ad Praefectos arcium, quae Savo vicinae erant, ut hostem transitu arcerent, sed hi ob rerum omnium, quae ad defensionem spectant, penuriam, missionem petiere, nemoque erat, qui subrogari cuperet, aut, qui oblatam provinciam vellet adire, ipse Colocensis Archi-Episco-

---

etiam coram nobis, quod si aliquid regno eveniret, id Suae M. imputari non posset. Et ita comoedia finita est, cum protestationibus vasallorum contra Regem, & Regis contra vasallos. — Dicunt, exeat Rex in campum, & Rex non habet calceos, ne dicam apparatum ad exeundum in campum. Hoc fecerunt, ut, ubi casus venerit, culpam omnis mali in regem conjicere possint. Nos Oratores interposuimus nos, & aliquantum sermonem habuimus, & ipsis relictis discessimus. Nunc omnes, vel major pars Procerum determinarunt a Curia regia discedere, & relinquere regem in majori confusione. Tristis profecto regni ad interitum properantis facies.

fcopus, cui in ea ditione armorum præfectura erat credita, hac fe abdicare parabat. Deerat, qui illi fubftitueretur, invitati funt, Chriftophorus *Frangepanius*, bello Veneto clarus, & Nicolaus a *Salmis*; uterque fplendidum onus detrectavit, quod nec miles, nec commeatus, nec pecunia in promtu effent; regis confiliarii, plerique rei militaris expertes, tempus deliberando terere, nihil decernere, &, fi quid decreffent, nemo repertus, qui exfequeretur, ipfe Rex, magnitudine præfentis periculi attonitus, obtorpuit. Turcæ interea, trajecto Savo, caftrum S. *Demetrii* obfedere. Nuncius Apoftolicus cum Colocenfi Archi-Epifcopo, hoc tempus occupans, auctor noftris fuit, ut, quando Savum cuftodire neglexiffent, faltem Petrivaradinum, id enim hoftem morari poterat, militem, annonam, & reliquum belli apparatum, mature mittant, & Danubium claffe infternant, ita futurum, ut, cum hoftis iftic adhærere cogetur, domi omnia ad refiftendum parari, & auxilia ab exteris adeffe pofsint. Verum, & naves deerant, & clafsiarii ob negata ftipendia diffugerant, nulla etiam tormenta, nifi privatorum in promtu, & hæc longinquius primum advehenda. Aucta eft cum metu, animorum perturbatio, poft occupatum caftrum Demetrii, tum vero cruentus gladius per regnum circumlatus, quo omnes armorum capaces ad bellum conciri mos fuit; Rex vafa argentea 1526.

Judæis pignori locare coactus, supellex Ec-
1526. clesiarum corrasa ad cudendam pecuniam, cui feriundæ vix tempus suppetebat, missi ad Ferdinandum Archiducem Austriæ, Carolum Cæsarem, Regem Galliæ, a) & reliquos Prin-

ci-

a) Plenæ commiserationis sunt litteræ, quas ad eum dederat. *Certissima*, scribit, *fama est, Turcorum tyrannum numerosissimo exercitu, ingeniisque* (tormentis) *bellicis, ac commeatu instructissimo — ita paratum, ac animatum venire, ut nobiscum non de unius, vel alterius arcis finitimæ expugnatione, sed de totius regni nostri possessione sit certaturus. Imbecillitatem vero rerum nostrarum serenitas vestra tum alias sæpe intellexisse potuit, tum ex his litteris nostris intelliget. Sumus omnino impares tanti hostis conatibus, in causa est diutini belli impensa. Omnes enim regni nostri proventus, in tuendis arcibus, Turcis oppositis, consumti sunt, privatas subditorum opes, atque animos eadem calamitas afflixit; hostis autem conditio, quantum roboris, & incrementi, per hos annos acceperit, serenitati V. notissimum est. Quo igitur in tanto discrimine me vertam, aut cujus auxilium implorem, & Rex, & Christianus, nisi ad reges Christianos, præter Deum, habeo neminem. Quare S. V. oramus, atque obsecramus, velit communibus periculis consulere, & nobis — id subsidii*

quod

cipes nuncii cum litteris, auxilium rogaturi, Comitatibus imperatum, ut copias proximis 1526. Comitiis decretas, summa celeritate cogant, Palatinus, & Colocensis Archi-Episcopus, ex vicinis provinciis militem jussi colligere, & Eszekinum proficisci, sed cum Nobiles, nisi Rex adesset, signa illorum sequi renuerent, Palatinus rusticanam solum turbam ducens, Quinque-Ecclesiis primum hærere, post, cum nemo vellet imperata facere, ad regem reverti coactus est. Erexit non nihil animos Colocensis sedulitas, qui cum mille peditibus, quingentis equitibus, & paucis, quos nancisci poterat, naviculariis, quocunque periculum vocaret, se paratum esse nunciaverat, plus animi, quam virium habens. Nuncius quoque Apostolicus, qui jam antea Hannibalem Carthaginensem in Moraviam miserat, ut ære Pontificis militem pugnæ pedestri assuefactum, conscriberet, hominem tanto magis accelerare jussit, quanto propius periculum jam instabat. *a*)

---

quod plurimum poterit, & quam celerrime mittere. Nos id, quod poterimus, libenter præstabimus, ibimus obviam hosti cruentissimo, atque oppetemus mortem, si opus fuerit, pro Christo, & miserrimis Christianis &c.

a) Litt. regis ad omnes Prælatos, Magnates, Abbates, & Capitula. 23. Jun. & Baron. Burgio 19.

1526. Sub hæc hostis, cum nemo esset, qui resisteret, Petrivaradinum obsederat, & XV. Julii semel, iterumque assultu in seram noctem producto tentavit, sed accepta mille *Janiczerorum* clade rejectus, & pari jactura a vado Danubii repulsus est, quod Colocensis, quadraginta naviculis, nostri *Nazadas* vocant, ope mille equitum, cum tribus rusticorum millibus aliquamdiu tuebatur, cum vero hostis vires in dies magis accrescerent, Bachiam se recepit, ut se Regi facilius conjungeret. Turcæ occupato vado, & *Futakino* exusto, jam utramque Danubii ripam tenebant, in quamcunque vellent partem libere, & impune divagaturi. Id nostris tandem veternum excussit. Rex XX. Julii postremum reginæ colloquutus, Buda excessit, comitatu adversus tam potentem hostem exiguo; præter bis mille enim & quingentos pedites, ducentos solum loricatos, & mille levis armaturæ equites ducebat, duobus infra Budam milliaribus stationem defigens, cum ut reliquis tempus conveniendi daret, tum ut missis per Comitatus nunciis oscitantes accelerare juberet; Zapolyæ mandatum, ut trajecto Danubio, cum Transsilvanis, & Siculis, a tergo hostem lacessendo moraretur, donec plures ad signa con-

19. & 30. ejusd. Brodericus in Descript. cladis Mochacsianæ. Vide etiam annal. P. V, pag. 97. — 103.

confluerent. Primi omnium adfuere quater mille pedites ære pontificio in Moravia, & Bohemia conſcripti, hos Poloni mille, & quingenti mox conſequuti ſunt, tum Epiſcopi plures, quam e Magnatum numero, cum ſuis copiis, paulumque poſt Georgius, Zapolyæ frater, mille, ducentos pedites, & trecentos equites adduxerat, Palatinus paucos primum aſſeclas habuit, major poſtea confluentium ſenſim numerus fuit. Petrivaradino interim a Turcis expugnato, id unum ſupererat, ut *Dravum* in poteſtate haberemus, id Palatino commiſſum, & aliquot Optimates cum Nobilibus adjuncti, Zapolya monitus, ut, neglecto priore mandato, quo hoſtem a tergo laceſſere jubebatur, cum ſuis, & quoscunque per iter offenderet, ad caſtra regia *Tolnam* properet, verum ille retentis apud ſe, qui ad regem proficiſcebantur, & contraria mandata prætexens, jam tum ſuſpicionem de ſe plerisque ingeſſerat, quaſi clam cum hoſte ſentiret, a) Optimates autem cum Nobilibus, pri- 1526.

a) Litt. Bar. Burgio. *Sive Vayvoda* (Zapolya) *cum Turco intelligentiam habeat, ſive non, Rex, niſi ſugam arripiat, male incidet in manus populorum ſuorum* &c. Communem hanc opinionem tunc fuiſſe, Iſtvanſius l. 8. utcunque indicat, & luculentius ex litt. Ferdinandi anno 1527. fer. 2. prox. poſt OO. SS, editis patet ubi

vilegio suo, & more, sub regio solum vexil-
1526. lo militandi, se tuebantur, & cum Palatino proficisci detrectabant. Ita Dravi defensio, qua hostis detineri poterat, temere neglecta fuit. Colocensis, qui cum suis proximus hosti, excubabat, cognita hac desidia, infelicem exitum præsagiens, autor regi erat, ut misso ad *Solimanum* oratore, de concilianda pace, oblato etiam, si aliter impetrari non posset, tributo quotannis pendendo, ageret. Nec Proceres, qui cum Rege erant, ab hac alieni fuere, sed Nobilitatem veriti, invidiam ex turpi pace orituram, connivendo malebant in Regem, quam se, derivari. Jam Turcæ classem ad *Erdödium*, non longe a Danubii, & Dravi confluente applicuerant, *Eszekinum* a nostris desertum fuit, & Zapolya, etsi prope quadraginta millia sub signis censeret, infra *Szegedinum* moras trahebat. Rex tandem suorum importunitate victus, XIV. Augusti ex

S.

ubi hæc de Zapolya: *ex eo, quòd idem immemor fidei, & fidelitatis suæ, quam serenissimo condam domino Ludovico regi fratri, & sororio Regiæ Majestatis, domino suo naturali debebat, ad tuendum, defendendum, ac protegendum caput, & personam ipsius regis, sæpius tam per litteras, quam nuncios vocatus, nequaquam venisse, sed potius post miserandum casum, coronam regni Hung. — pro se usurpasse, vendicasse ac occupasse dignoscitur* &c.

S. *Georgio* non longe a *Tolna* movens, castra ad *Mohácsium* defixit. *a*) 1526.

XI. Hic anceps iterum de constituendo duce, qui a rege copiis supremo imperio praeesset, orta consultatio. Lectus est Paulus *Tomory*, Archiepiscopus Colocensis, invitus licet, & reluctans; additus ei collega est Georgius Scepusiensis, frater Zapolyae. Uterque antrorsum magis movere jussi, castra seorsim opportuno loco metati sunt; regia non longe aberant. Franciscus Batthyanius Croatiae Banus, propediem cum suis adfuturus sperabatur, Zapolya, & Christophorus Frangepanius, nunciabant, ne Rex pugnae copiam prius faciat, quam ipsi cum suppetiis adessent, idem regni Cancellarius Brodericus suadebat, e re publica videri, ut copiae in tutiorem interea locum, aut, si necessitas postulet, retro penitus ducantur, alioquin praestare, ut ali-

a) Brodericus l. c. & in epist. ad reginam. *Miraretur M. V. consilia nostrorum, si interesset, qui fere omnes volare se posse credunt sine alis, & me, quia cautius loquor, & tam M. regiae, quam ipsis consulo, cavendum, desperatum. timidumque appellant. Utinam mea desperatio esset sine causa, non mihi certe timeo, sed regi, & regno, & maxime regi, cui non video, quod adhuc aliqua immineant a suis pericula. Neque possum mihi persuadere, nostros ea, quae faciunt, regem his periculis objiciendo, facere consulto in regis perniciem, sed, quod ita eum progredi, & haec, quae agit, agere melius existiment, &c.*

aliqua regni pars hoſti vaſtanda deſtituatur,
1526. quam totus exercitus cum rege pereat, quod collatis cum hoſte viribus, ſupra ducenta enim millia eſſe ferebantur, fere neceſsarium erat. Fuiſſet conſilio huic fortaſſe locus, ſi Zapolya aut citius hæc nunciaſſet, aut inutiles moras ad *Szegedinum* non traxiſſet, at nunc, poſtquam *Solimanus* ſuperato Dravo, duobus ſolum milliaribus a noſtris abeſſet, & Nobiles, qui in primis caſtris erant, pugnam importune poſcerent, ſerum id erat, mutanda conſilii ratio fuit, caſtra regia aliis conjuncta, & omnia ad prælium comparata, rege, dum appoſita capiti galea ſolito magis obpalleſceret, quaſi caſum ſuum præſentiente. Ad manus XXIX. Auguſti ventum, victoria primum a noſtris ſtetit, poſt, ubi incauto fervore ultra, quam par erat, in hoſtem penetrant, & ſesqui hora certamen fortiter ſuſtinent, numero circumfuſi, in fugam aguntur. Cæſi magnam partem Epiſcopi, Barones regni, & flos Nobilitatis, pauci cum Palatino evaſerant, captivi contra datam fidem trucidati, & caſtra direpta. Rex, ubi aciem inclinare vidit, receptum Quinqueeccleſias parabat, ſed, dum per paludem in adverſam ripam eluctari nititur, reſupino equo in coenum prolapſus, armorumque pondere oppreſſus, inteſtini diſsidii victima occubuit. *a*) So-

a) Brodericus l. c. Vide etiam Pray annal. Par. V. pag. 117. & ſequ.

Solimanus, cognita noſtrorum fuga, dolum ſubeſſe ratus, indulta ſuis quiete, aliquamdiu ad Mohacſium hæſit, convulſis poſtea ſignis, fugientium veſtigiis inſiſtens, Budam, quin uſpiam mora illi injecta fuiſſet, venit, qua occupata, dimiſsis in varias partes copiis, vaſtitatem usque Jaurinum circumtulit. Nuſpiam hoſti, quam ad *Marothum*, quo ingens hominum copia ſecuritatis cauſa confugerat, reſtitum, quibus ad extremum ſuperatis, cæſisque actum erat de Hungaria, niſi Solimanus, accepto de turbis, in Aſia minore exortis, nuncio, redire coactus fuiſſet. Id Hungariam ſervavit. Strato igitur ad Peſtinum ponte, abductisque ſecum Apollinis, & Herculis, quas Mathias Corvinus ex ære, miri operis conflari juſſerat, ſtatuis, & regia Bibliotheca, quod in barbaro mirum videri debet, magno litterarum damno expilata, quidquid inter Danubium, & Tibiſcum porrigitur, igne, & ferro fœde populatus, ducenta hominum millia in captivitatem abduxit. 1526.

Regina accepto cladis nuncio, vix tantum ſpacii, ut Pontificem de caſu mariti edoceret, nacta, Poſonium cum Nuncio Apoſtolico, paucisque Proceribus, trepide ſe contulit, *a*) & miſsis quaquaverſum per provincias li-

a) Litt. reginæ ad Pontif. *Datum Budæ, immediate poſt conflictum.*

litteris, omnes, ut in fide constantes essent,
1526. cohortata est, spemque fecit, auxilii a fratribus suis, Cæsare, & Ferdinando adfuturi, quo hostes externi, & intestini, si quid contra jus, & libertatem regni molirentur, reprimi, & in officio contineri posſint. a) Zapolya interim, qui ad id tempus cum justo, & instructo exercitu, b) Szegedini morabatur, ut exitum pugnæ, hostemque Buda recedere comperit, non modo in palantem, & spoliis onustum, ut fieri poterat, invectus non est, sed metum simulans, *Tokainum*, erat id juris illius oppidum, in montana se recepit, quo dum magna Nobilium pars, securitatis causa confluxisset, statuit *Verbòczio* auctore, qui abhinc, quam Buda fugere coactus erat, lateri illius constanter adhæsit, consilia sua de regno sibi as-

a) Litt. reginæ Poson. s. d. *Nam certi sitis, quod nos una eum dominis fratribus, & Consiliariis, ac majori parte regni hujus, jus, & libertatem vestram, — & unumquemque vestrum in libertatem vestram vindicabimus, habebitisque auxilio Dei, qui vos, & libertatem vestram — defendat, protegat, & tueatur.* &c.

b) Litt. Ablegator. Comitat. Heves, Gömör, Borsod, Thorna, & Abaujvar, ex Miskolz 13. Sept. *Nos cum omnibus vicinis dominis, & fratribus nostris, quanto magno poterimus apparatu castra metabimur, usque ad adventum D. Vayvodæ, qui per litteras suas, & nuncios, certa fide nobis promittit, quam citissime potest, se ad nos cum numeroso, & instructissimo exercitu venturum.*

asserendo, diu ante jam agitata, ad exitum perducere. Initium a largitionibus factum. 1526.
Et erat, unde has sumeret. Nam præter fodinas auri, & argenti, proventus etiam regios fere plerosque, quos in pignore prius habebat, nunc suos fecit, patrem suum Stephanum imitatus, qui arces fidei suæ a Mathia Corvino creditas, ab hujus obitu, una cum argentea regis supellectili, in suos usus convertit. *a)* Hinc illæ divitiæ, quibus spem regni aliquando obtinendi, jam a patre ad hanc concitatus, *b)* tacite alebat.

Ut autem suspicionem ambitus ab se amoliretur, monuit Reginam, ut convocatis Ordinibus quamprimum orbitati regni consultum vellet. An, ut suspicio erat, & cujus rumor jam in conventiculo Hatvanensi diditus fuit, hac ratione animum reginæ sibi conciliare voluerit, sensimque ejus nuptias ambire,

ut

a) Thurnschwam in memoriis suis MsT. Wie auch Grof Stephan, des Janos (Zapolya) Waida Vatter, so König in Ungarn worden, alle Schlösser, so König Mattjas, eingezohen, und dem Stephan zu treuen Händen gelassen hat, auf die letzt für sich selbst behalten, auch hat gemelter Stephan all des Königs Mattjas Silber Geschier, gulden gebieth, und anderes zu wegen gebracht, wie man bey seinem Sohn, den Janos, so nach dem Ludovico eingedrungener König gewest, offentlich gesehen hat, mit dem Raben.

b) Vide testimonia de hoc annal. Hung. P. V. pag. 119.

ut facilius ad regiam dignitatem eluctari pos-
1526. sit, non habeo, quod pro comperto affirmem. Illud certum, reginam longe alienam fuisse ab hoc proposito, licet consilium illius sequuta, cum Palatino, cujus id ex lege erat, regni Ordines Comaromium pro XXV. Novembris convocarit, & Zapolyam in Transsilvaniam, ut idem cum provincialibus faceret, proficisci jusserit. a) Facile intelligebat, si mandatis morem gereret, rationes sibi magnopere conturbari, futurumque, ut Ferdinandus, cui Regina studebat, & in quem potior Optimatum pars, sororis defuncti Regis titulo, quam in matrimonio habuit, aperte propendebat, spem regni sibi penitus succidat. Quare, ut Reginæ, horumque consilia anteverteret, ipse arrogato sibi contra fas jure Palatini, Comitia Albam regiam in V. Novembris indixit, absfuturis gravissimas pœnas comminatus. Qua una re suspicionem, quæ dubiis hactenus indiciis nitebatur, quasi Regem Ludovicum de industria in nuperno prælio destituerit, ut regno potiri posset, de se jam in Conventiculo Hatvanensi conceptam, opere ipso confirmasse, plerisque visus est.

XII.

a) Litt. reginæ ad Zapolyam. *Quare hortamur fidelitatem vestram, & rogamus, ut statim acceptis præsentibus hominem suum sine mora ulla in Transsilvaniam expedire, & conventum illis indicere velit, ne in adventum oratoris nostri sint in mora. Aliud fidelitas vestra ne fecerit.*

XII. Itaque regnum, quafi ad cladem recens acceptam, aliquid deeffet, bifariam fciffum eft; pars Reginam, pars Zapolyam fequebatur, illa æquitati, hæc factioni innixa, cujus molitiones ut Regina mature retunderet, mifsis iterum ad Comitatus litteris, omnes ad conftantiam, &, ne fe a Zapolya, fpe libertatis in fraudem induci finerent, exhortata eft, a) regnique Magnates, quos ab eventu pendere videbat, conciliare fibi ftudu't. Fuere inter hos poft Palatinum, præcipui a clade fuperftites, Comites de S. Georgio, & Chri- 1526.

a) Litt. reginæ Pofon. f. d. Indixeramus unacum D. Palatino, fecundum Decretum, & libertatem hujus regni, generalem Dietam pro fefto Catharinæ V. & M. in Komaron celebrandam, ut in ea ipfa Dieta de falute rei publicæ, de defenfione regni, de libertate veftra, & totius Nobilitatis confervanda, communibus votis, pari confilio ageretur, tractaretur, & concluderetur. Ipfe autem Vayvoda Transfilvanus, paucis quibusdam dominis, nonnullaque Nobilitatis parte, fibi muneribus, & promifsis conciliata, contra Decretum regni, contra libertatem Nobilitatis, aliam Dietam fub gravifsimis pœnis ad feftum B. Emerici Ducis, ad Albam regalem promulgari fecit, eo animo, ut in Alba regali fe in regem, non fecundum libertatem regni, fed ex paucorum, quos fibi adfcivit, voto, & electione creari, & corona regia, quam jam pridem in poteftate habet, coronari faciat. &c.

1526. Christophorus Frangepanius, qui quamcunque in partem se dedissent, auctoritate sua magnum ubique pondus additūri erant. Hunc, ut cum Croatiæ, Sclavoniæ oratoribus ad fratrem Ferdinandum destinatis, *Haimburgum*, duobus stadiis Posonio dissitum, veniret, invitaverat. *a*) Adfuit, & primum in partes Ferdinandi utcunque videbatur inclinare, post vero, incertum qua de causa, ad Zapolyam transiit, magnoque ei ad consequendum regnum adjumento fuit. Rem hucusque adductam Zapolya tanto magis urgere cœpit, quanto verisimilius cupiditati suæ a comitiis Bohemicis in 24. Oct. promulgatis, remoram positum iri videbat. Nec enim dubium erat, quin Ferdinandus, etsi Albertum Bavarum æmulum haberet, se-

a) Litt. ejusd. ad Frangepanium. *Quare hortamur, eidemque committimus, ut posthabitis aliis suis omnibus, & negotiis, ad M. nostram, una cum suis Collegis sine mora venire velit & debeat, ita, ut die Dominico proxime sequenti, vel secunda ejus diei in Haymburga constitui possit. Aliud ne feceritis. Dat. Poson.* 1526. Dies abest, sed cum fratrem suum archiducem solum vocet, videtur ante 24. Octob. ante, quam Rex Boh. esset electus, scripta fuisse. Ad Comites vero S. Georgii eadem de causa Posonio scripserant Oratores Ferdinandi, *Christophorus* Episc. Labacensis, administr. Seccovien. Barones, Wilhelm. de *Zolking*, & Joan. de *Lamberg*, Georg. de *Herberstein* Eq. Erasm. de *Dornberg*, & Steph. de *Pemflingen*.

ſecundum vetera pacta, inter Bohemos, & Auſtriacos inita, Rex eligendus, & regni illius vires in ſe, quo minus regno potiatur, converſurus eſſet. Itaque clam apud Bohemos agebat, *a*) ne Ferdinandum eligerent, tum, ubi dies conventui præſtitutus adventabat, Budam primum, mox Albam profectus, ante Comitiis quam initium eſſet factum, corpus defuncti regis, quod regina vidua *Czetricii* regis Cubicularii opera, Albam perferri curaverat, ne triſtis recordatio innocentis regis, conſultantium animos immutaret, qua ſubito fieri poterat pompa, tumulo condi juſsit. 1526.

Finita humatione actum eſt, de rege eligendo. Interfuit Comitiis etiam orator Polonus, ſuaſitque, ut ex natione ſua, quem ſolio dignum arbitrarentur, regem optent, id adeo regem ſuum cupere, qui, quantum in ſe erat, vix admiſſurus eſſet, ut exterus præ Hungaro eligatur. *b*) Utrum ex mandato re- gis,

a) Litt. anonymi, qui Comitiis interfuit. *Credimus Joannem regem habere intelligentiam & cum Principibus Boh. & Moraviæ. Diviſi enim ſunt, & magna pars adhæſit Pernſtenſzki.*

b) Id. ibid. *Venerat orator regis Poloniæ, qui — etiam Nobilitati inſinuaverat, ut Hungarum, & non alienigenam regem crearent, qui, quantum in ſe eſſet, regem exterum non admitteret.*

gis, quem ceteroquin Domui Austriacæ ad-
1526. dictum esse constabat, an ab aliis subornatus, id ageret, etiam serius postea dubitatum fuit. Venerant quoque sub idem fere tempus oratores a Ferdinando Archiduce Austriæ, qui Principis sui jus in Hungariam ex pactis inter Fridericum III. Imperatorem, & regem Mathiam Corvinum, olim initis, & ab Ordinibus regni roboratis, tum per Maximilianum, & Wladislaum regem nova conventione firmatis, propugnabant. His nihil prius responsum, quam Zapolya, præsentibus paucorum Comitatuum nunciis *a*) electus, & XI. Novembris coronatus fuisset. *b*) Tum facessere jussi cum mandatis, nunciarent Ferdinando, ne Comitia indicere, pedemve regno inferre ausit, si faceret, hostem declaratum, & cum dedecore proturbatum iri. *c*) Fortassis, si oratores jus Ferdinandi, qui originem a feminea Arpadi linea duxerat, in medium promere, tuerique novissent, facilius Status & Ordines a Zapolya abstractos in

a) Id. *D. Vayvoda secundis diebus Martini coronatus est in regem magno omnium consensu, qui affuerant, fuerunt autem de vicinis Albæ Comitatibus, ut sunt Simeghien. Szaladien. & castri ferrei, non tamen multi.*

b) Litt. Joan. Doczy Thesaurarii ad Cassovien. *D. Vayvoda sabbatho in profesto S. Martini Episc. declaratus, ipso autem die Martini coronatus in regem.*

c) Idem anonym.

in suas partes adducturi erant. Utcunque autem id sit, Zapolya illis digressis, scripserat ad regem Poloniæ, hunc enim ante alios ad novam dignitatem sustentandam, sibi necessarium esse existimabat, se diu, multumque reluctantem, communi omnium voto, jugum imperii suscipere coactum fuisse. *a)* Regina interim, & qui cum ea erant, erant autem præcipui ex regni Prælatis, & Baronibus, *b)* ut primum Zapolyam pro Conventu Albam regiam accelerare intellexit, ipsa quoque Comitia, quæ prius Comaromium indixerat, Posonium traduxit, ubi Ferdinandus, a Bohemis jam in regem cooptatus, Rex etiam Hungariæ, licet absens, unanimi consensu salutatus est. *c)* 1526.

a) Ex *Minuta*, ut dicitur, epistolæ ad regem missæ, cui hæc addita sunt: *Majestas V. poterit demere, quæ superflua sunt, vel addere, si quid desiderari possit.* Et mox: *Calcedonensis servitor.* Videtur Ordinis Ecclesiastici, & Episc. *titularis* fuisse.

b) Anonym. cit. *Regina est adhuc Posonii cum iisdem dominis, qui prius cum ipsa fuerunt, sunt autem Palatinus, Franciscus Batthyan Christophorus Comes (Frangepan) Comites de S. Georgio, Episcopus Veszprimiensis Cancellarius, D. Thurzo & pleriqne alii, quorum consilium, & desiderium est, quod Ferdinandus, Rex Hungariæ creetur.*

c) Sommersberg Tom. II. rer. Siles. pag. 394. Goldast. Tom. III. Constit. Imper. pag. 494.

Huc tandem factio, clandeſtinis tot an-
1526. norum molitionibus ſuſtentata, evaſit, ut Hungaria, quæ inteſtinis motibus quaſſata, jam diu ſimulacrum potius regis, quam regem habebat, duos repente acciperet, *a)* qui naſcendi conditione, juris prærogativa, & viribus diſpares erant. Ferdinandus vetuſta Majorum, inter quos ſex Imperatores, proſapia clarus, Zapolya equeſtri quidem genere, ſed tenui domo, editus: *b)* ille, præterquam quod ei

---

Balbin. Epit. rer. Boh. c. 12. Widemann in Actis Conventus Olomucen.

a) Cod. jur. patr. Zapolyam e regum numero excludit, cujus autoritatem ſi & ego ſequar, peto, ne id mihi vitio detur. Nec enim hæc duo; *regem*, & publicum *regni hoſtem*, qualis Zapolya per ſtatus regni declaratus erat, ſatis ſcio conjungere. Certe diploma Ferdinandi anno 1527. die 30. Nov. Strigonii editum, ita diſerte de Zapolya: *unde etiam per nos, ac dominos Barones, totumque regnum nota infidelitatis perpetuæ ac criminis læſæ majeſtatis, in proxima Congregatione generali, pro felici coronatione noſtra, Albæ celebrata, publice eſt condemnatus:* de quo tamen altum ſilentium in Decreto Comitiorum dicti anni.

b) Thurnſchvamii Memoriæ Mſs. Ehe ich auf die materia kom, ſeynd zwey Brüder geweſt der ältere Emrich Deák, und Stephan, der Emerich Deák iſt bey Matyas Zeiten in der Ungariſchen Freyſtadt Szakmar-Bánya genannt, Kammergraf geweſt, wie die Tafel in der Kirchen alda anzeigt

ei pacta conventa, & jus uxorium exemplo Sigismundi, & Alberti, favebant, coactis secundum instituta regni Comitiis, a majori eorum, quibus suffragii jus erat, parte electus, hic contra nec legitimis Comitiis, nec libera suffragatione, & paucorum Nobilium, quos largitionibus, & promissis, sibi adjunxerat, factione, creatus, solaque anni 1505. per secessionem, invitoque Wladislao, de non eligendo rege extero, facta constitutione nixus, cui tamen Maximilianus Imperator confestim intercessit & publicis litteris jus suum ex pactis aquisitum, nova conventione, & nuptiali, cum alterutro nepotum, fœdere stabilivit. *a)* 1526.

Nec defuere, qui, si etiam par utrique æmulo jus in regnum fuisset, aut sola electione res fuisset agenda, consultius nostros fuisse facturos existimabant, si Ferdinandum, præ Zapolya, Regem concordi voluntate renunciassent, quem jam Bohemia, cum adnexa Mora-

anzeigt — derselbe Emerich Deák hat seinen Bruder Istvan an König Matjas Hof geholfen, ist zuvor zu Gran auf den Schloß ein Trabanten Hauptman gewest, und Vorsteher. Seynd Windischer Art, und aus den Dorf Zapol genannt, bürtig, ist so viel, hinter dem Feld, oder innhalb des Feld, in Bosna an Crabaten.

a) Vide, quæ de hac constitutione ad an. 1505. & de nuptiali fœdere, ad an. 1515. dicta sunt.

Moravia, Silesia, & Lusatia utraque elege-
1526. rat, fratremque habebat Cæsarem, cujus auxilio, & ditionum suarum, quæ Hungariam ducto initio a Poloniæ limitibus usque ad maris Adriatici sinum Flanaticun ambiunt, ope subnixus, regnum adversus hostes, præ illo tueri potuerit. Etsi enim Zapolyæ opes privatæ non deessent, exhausto tamen per peculatum ærario publico, & ad privatos derivato, minime videbantur suffecturæ, ut Hungariam diu defendere, aut decerptas ab hac provincias recuperare posset, quæ jam sub Mathia Corvino, dum res satis integræ erant, sæpe Pontificum opem, & deinceps auxilium etiam ex Germania, ad se sustentandam, implorare cogebatur, quod nunc tanto minus sperari poterat, quanto magis ipsi Principes Imperii ob novitiam religionem, quæ in Hungariam quoque dissidii tempore clam irrepserat, inter se non consentiebant, indeque Turcis data opportunitas, ut præcipuam Hungariæ partem sub jugum mitterent, quæ eandem fortasse, quam nunc Bosnia, Servia, & Bulgaria, cum Moldavia, & Valachia ferre cogitur, sortem subitura erat, nisi ex Domo Austriaca reges fuisset nacta, quorum auspicio & Turcas regno exactos, & limites illius ad eum, qui olim erat, statum reductos videmus.

